CORPVS
SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM
LATINORVM

EDITVM CONSILIO ET IMPENSIS

ACADEMIAE LITTERARVM CAESAREAE

VINDOBONENSIS

VOL. XXXX.

SANCTI AVRELII AVGVSTINI

EPISCOPI OPERA (SECT. V PARS 1):

DE CIVITATE DEI

LIBRI XXII

EX RECENSIONE

EMANVEL HOFFMANN.

PARS I

LIBRI I—XIII

PRAGAE F. TEMPSKY | VINDOBONAE F. TEMPSKY | LIPSIAE G. FREYTAG

MDCCCLXXXXVIIII.

Verlag der Österreichischen Akademie der Wissenschaften

ÖAW

SANCTI AVRELII AVGVSTINI

EPISCOPI

DE CIVITATE DEI

LIBRI XXII

RECENSVIT
ET COMMENTARIO CRITICO INSTRVXIT

EMANVEL HOFFMANN.

VOL. I
LIBRI I—XIII

PRAGAE F. TEMPSKY
VINDOBONAE F. TEMPSKY
LIPSIAE G. FREYTAG
MDCCCLXXXXVIIII.

Verlag der Österreichischen Akademie der Wissenschaften
ÖAW

PRAEFATIO.

S. Aurelii Augustini de Ciuitate Dei libri XXII integri non nisi recentioribus libris mss. seruati sunt, cum uetustiores codices non nisi partes operis contineant.

Vetustissimus codex, qui Luguduni in Bibliotheca ciuitatis asseruatur, n. 607 insignitus (olim 523 bis, in Delandinii catalogo omissus) saeculo VI. litteris semiuncialibus duabus columnis scriptus libros quinque priores continet. Accuratam huius codicis descriptionem exhibuit Leopoldus Delisle in annalibus 'Notices et Extraits des manuscrits de la bibliothèque nationale et autres bibliothèques, publiés par l'Institut national de France, tom. XXIX, Paris 1880, p. 366 sqq.' Dolendum est quod hic codex et lacunis deformatus est et situ et umiditate mutilatus, ut margine corroso haud exigua pars superiorum inprimis uersuum in exterioribus columnis perierit.[1]) Codex qui nunc foliis 138 constat, cum integer esset, unum et uiginti quaterniones et unum quinionem com- L

[1]) Ut exemplum mutilati marginis ponam:

f. 4, r, col. b (p. 32, 21 sqq.)	f. 4, v, col. a (p. 33, 10 sqq.)
minuantur [*bonam*	*integ*]ra aut eo quod
iustamque uit[*am om*	*nullo*] contrectan
nino non mi[*nuunt*	*tur adta*[ctu cum pos
quod si tale ali[*quid*	*sint diu*[ersis casibus
est pudicitia [*ut quid*	*etiam*] uulnerata
pro illa ne amittat[*ur*	*u*]im perpeti et
etiam cum periculo corpo	medici aliquando
ris etc.	etc.

Specimen scripturae exstat in tab. VII. operis: 'Album Paléographique cett. par la Société de l'École des Chartes,' Paris. 1887.

plectebatur. Exciderunt duo primi quaterniones et primum folium tertii; ex quaternione XII. excidit unum folium (inter ff. 71. 72); desiderantur Q. XIII. et XVI.; in Q. XVIIII unum deest folium (inter ff. 110. 111); de extremo quinione perierunt ultima tria folia.

Desiderantur itaque l. I, c. 1 usque ad capitis 14 uerba *tres pueri* (p. 27, 7); l. III, c. 17 uerba *Ianiculum* usque ad *credi solet* (p. 139, 7—140, 15); l. III, c. 20: *etiam fauentibus* usque ad c. 31: *—si humanum* (p. 146, 28—159, 18); l. IIII, c. 13: *officiis et operibus* usque ad c. 23: *— Terminus et Iuuentas* (p. 131, 13—192, 27); l. V, c. 5: *ad aequalitatem* usque ad *— ne in ipsis quidem* (p. 217, 13—218, 25); l. V, c. 26 p. 264, 14 desunt uerba inde ab *et Christiana* usque ad finem libri.

Hae uetustissimi codicis lacunae partim explentur altero libro Lugudunensi, n. 608 insignito, scl. VIIII scripto, libros
Λ I—XIIII continente, quorum quinque priores, ut iam Leop. Delisle luculente docuit (l. l. p. 397 sqq.), ex codice n. 607 descripti sunt. In eo tamen errauit Vir doctissimus, quod apographum factum esse putauit, cum uetus codex adhuc integer esset. Immo priora sex folia, licet eandem fere scripturae indolem prae se ferant, postero demum tempore praefixa esse, ex condicione folii 7. concludi potest. Hoc enim folium olim primum fuisse nullis aliis foliis nec inuolucro obtectum, ex fusco colore laceraque superiore parte nec non inde colligi potest, quod manu recenti superscriptus est titulus *'auguſtinus de cĩtate deĵ'*. Haec ipsa inscriptio documento est, folium illud, quod nunc inter f. 6 (uerbis *multos inqui*] p. 22, 4 desinens) et f. 7 (uerbis [*extrinse*]*cus sed* p. 25, 20 incipiens) desideratur, non initium apographi sed nouissimum folium supplementi fuisse. Excidit haud dubie, quod singulare folium erat nec cum antecedente ternione (f. 1—6), nec cum primo apographi quaternione (f. 7—17) cohaerens. Praefixa sex folia non ex uetusto codice L sed ex eodem exemplari descripta esse, unde libri VI—XIIII deprompti sunt, ex orthographicis discrepantiis inprimis illa intellegitur, quod cum in

L eiusque apographo Λ semper *xp̃ianus* scriptum sit, in supplemento illo ut in libris nouem posterioribus insolita forma *cristianus* exstat. Eo tempore, quo apographus conficiebatur, in L iam deerant duo illa folia, quae inter ff. 76. 77 et 110. 111 desiderantur. Hae lacunae, quae scribam apographi latuerant, postea demum foliis 40 et 65 et quidem parum apto loco insertis expletae sunt. Finem l. V ex integro adhuc codice L descriptum esse, cum Delislio (l. l. p. 400) consentio.

Sequentes codicis 608 partes libros VI—XIIII continentes *l* a diuersis scribis exaratae sunt. Differunt etiam quaterniones XX. XXI. XXII (l. XI. XII, 1—16 p. 594, 13) ab reliquis, quod non duas columnas sed continuas transuersas lineas exhibent. In l. XII, c. 21 turbato foliorum ordine in exemplari, unde descriptus est *l*, factum esse uidetur, ut uerba inde ab *et hoc propterea* (p. 602, 10) usque ad *falsae beatitudinis* (p. 603, 10) hic omissa infra c. 22 (p. 607, 5) post *consecutus* exstent. Hic lineolis deleta in singulari folio ab eadem manu atque ff. 40 et 65 scripta suo loco inserta sunt.

In L nullum interpolationis uestigium deprehenditur, nam illud *inputant* pro *increpitant* (p. 86, 9 sqq. *Et tamen luxu adque auaritia etc. rem publicam pessimam ac flagitiosissimam factam non inputant dis suis; adflictionem uero eius etc. religioni increpitant Christianae*) aut mero errore propter antecedens *inputant* scriptum est, aut ex interpretatione in Archetypo adscripta in textum irrepsit. Scribae errores plerumque manu fere aequali correcti sunt; has correcturas recepit apographus.

Uterque codex, L et Λ (*l*), nulla capitum distinctione scriptus est. Hic illic in L marginales notae argumentum adumbrantes exstant.

Contuli hos codices Lugudum a. 1889 et retractaui a. 1897.

Codex Corbeiensis in Bibliotheca publica Parisiensi C olim inter libros mss. S. Germanenses n. 766, nunc n. 12.214 insignitus, scl. VII. litteris semiuncialibus scriptus, continet libros nouem priores praemisso indice capitula decem librorum enumerante. Hic codex, quem primum a. 1865 contuli

et insequentibus annis, cum iterum iterumque Parisiis uersarer, retractaui, hucusque lectionibus modo cognitus erat, quas Dübnerus in adnotationibus editioni Parisinae a. 1838 adnexis enotauerat; sed cum Viro docto non liceret Augustini uerba ad ipsam librorum fidem recensere, immo id ei esset praescriptum, 'ne quidquam nouaret in textu Benedictinorum, nisi uel uitium tollendum esset apertum, uel grauium testimoniorum consensus integer et nulli dubitationi obnoxius aliquid expelleret, adderet iuberetue mutari', non integram nec Corbeiensis nec reliquorum codicum Parisinorum lectionem exhibuit, sed grauiores modo discrepantias inprimis eas exscripsit, quae uulgato textu potiores uidebantur. Sic fieri nequiuit ut certum iudicium et de Corbeiensi et de reliquis libris Parisinis ferretur.

Eximia quidem arte scriptus est Corbeiensis, sed parum recte Dübnerus eum 'summa cura scriptum' esse praedicauit. Immo librarii neglegentia et inscitia factum est ut in quaque fere pagina et leuiores et grauiores mendae deprehendantur. Ut genera mendorum exemplis illustrem: creberrime permutatae sunt litterae *i* et *e*: 6, 13: *Ulexis*; 6, 14: *arces*; 23, 17: *bestęas*; 26, 2: *mulieręs*; 27, 9: *gentęs*; 42, 15: *sustenens*; 47, 7: *incędat*; 50, 8: *emęnerent*; 57, 6: *urbęs*; 58, 11: *relęgio*; 58, 24: *condęderit* etc. — 25, 2: *bisteis*; 33, 12: *opitulantis*; 48, 19: *purioris*; 35, 18: *interimit*; 43, 14. 52, 16: *cligit*: 46, 8: *timere*; 64, 3: *diceret* etc. — *u* et *o*: 34, 19: *maritu*; 47, 12: *reus*; 52, 23: *subrie*; 52, 22: *cupiarum*; 76, 24: *nutatur*; — 54, 13 et saepius *luxoriam*; 82, 12: *orbem* etc. — Accedunt prauae uerborum terminationes: 25, 8: *recesserant* (*-unt*); 34, 5. 43, 3: *pendit*, *incidit* (*-et*); 35, 3. 37, 25: *occidis* (*-es*); 42, 8. 62, 14: *praescribunt*, *reddunt* (*-ant*); 44, 5: *proferent* (*-unt*); 47, 21: *acceperunt* (*-int*) etc. — Haud raro accusatiuus pro nominatiuo uel ablatiuo legitur: 6, 23: *ipsam Mineruam*; 43, 8: *inlatã sibi mortem*; 48, 21: *frontem*; 76, 10: *honorem*; 146, 11: *mercedem*; 160, 22 *Africam* etc. — Permultis locis omissae sunt singulae litterae uel syllabae: 9, 4: *hosti*[*li*]*bus*; 15, 26: *tempor*[*al*]*ibus*; 17, 7: *pot*[*u*]*erint*;

23, 27: *ca[da]ueribus*; 30, 15: *s[t]upra*; 44, 8: *terr[en]ae*; 44, 17: *humili[ta]te*; 47, 20. 21: *interime[re]* — *a[b]luti*; 49, 22: *amis[is]se*; 50, 26: *null[i]us*; 56, 7: *quaere[re]tis*; 59, 24: *respon[den]tibus*; 61, 13: *per[pe]tratum*; 75, 10: *Cae[ci]lius*; 97, 27: *tempora[ta]lia* etc. — Accedunt multi alii errores: p. 34, 2: *consessione* (*consens.*); 38, 9: *perhibetur* (*proh.*); 39, 8: *adulterum* (*alterum*); 43, 23: *cū ausa* (*cum causa*); 48, 24: *interficere* (*interfice te*); 50, 4: *caritatis* (*castitatis*); 50, 7: *amplius* (*amplior*); 60, 4: *obnoxia* (*obnixa*); 69, 10: *ait* (*at*); 91, 8: *pridem* (*pridie*); 91, 25: *effectus* (*effatus*); 128, 23: *ciuis* (*uiuis*) etc.

Haud raro etiam sententiarum partes propter similem insequentis uocabuli terminationem omissas esse, uix est quod moneam.

Corbeiensem descriptum esse ex codice litteris semiuncialibus, non uncialibus exarato, ex commutatis litteris *ſ* et *r* apparet: 5, 24: *petulanteſ* (*-r*); 23, 5: *requiritur* (pro *ſequitur*); 66, 13: *ſururros* (*ſuſurros*); 98, 13: *rectae* (*ſextae*); 147, 24: *licentiora* (*-oſa*); 173, 10: *praeposituſa* (*praepositura*); 252, 19: *suos orores* (*suos oſores*); 361, 20: *ſitibus* (*ritibus*); 382, 6: *ipſaetferatur* (*praeferatur*); 414, 10: *mallere* (*malle ſe*) etc.

Saepe in capitum distinctione erratum est. I c. 18 incipit uoce *Alienum* p. 34, 5; c. 20: *Suspicionis* p. 37, 16; c. 22: *His igitur* p. 40, 5; c. 29: *Illi uero* p. 51, 23; c. 35: *Ut suorum* p. 57, 8; II, c. 25: *Multo* p. 100, 6; c. 26: *Quam illorum* p. 102, 15; c. 27: *Nequitiae* p. 104, 22; c. 28: *Non fieret* p. 106, 2; III c. 3: *Urbem* p. 112, 9; c. 28: *Huius* p. 140, 4; c. 30: *Crudelia* p. 157, 20: c. 31: *Certe* p. 159, 6; IIII, c. 3: *Quamquam* p. 165, 8; c. 9: *Nimirum* p. 173, 25; c. 23: *Si libri* p. 191, 5; c. 26: *Haec Homerus* p. 196, 4; c. 30: *Ut falsae* p. 202, 1; V, c. 2: *Scriptum* p. 211, 17; c. 6: *Nouimus* p. 217, 25; c. 17: *Nam quid* p. 244, 22; VII, c. 11: *Haec autem* p. 318, 6; c. 17: *Nam trium* p. 326, 3; c. 18: *Cum perhibentur* p. 327, 9; VIII, c. 7: *Haec de illa parte* p. 365, 26; c. 14: *Adtente* p. 376, 17; c. 21: *Vel-*

lem p. 389, 5. — VIIII, 21: *Clarum est* p. 438, 18; c. 23: *Nam et de ipso* p. 441, 7.

Leuiora menda corrector ille, qui singulis libris '*contuli*' subscripsit, recte emendauit; sed cum non ad exemplar aliquod sed suo Marte uerba corrupta corrigeret, interdum nouos commisit errores. cf. Adnot. crit. p. 17, 22; 87, 24; 202, 6.

Si iam ad grauiorem quaestionem accedimus, quae fides habenda sit Corbeiensi, qui dum antiquior uel aeque uetustus liber notus non erat, integerrimus fons uerborum Augustini habitus est, fieri nequit quin eius auctoritas comparato iam codice Lugudunensi aliquantum imminuatur. Plerumque quidem uterque liber consentiunt, ita ut ad eundem archetypum redire uideantur (pares errores habent p. 38, 12; 39, 1; 59, 13; 149, 11; 150, 19; 248, 22), sed ubi differunt, lectiones codicis C uel singulares uel cum deterioribus libris communes correctori deberi facile euinci potest. Ubique enim id quod correcturarum proprium est, uerba paulo insolentiora uel parum recte intellecta in tritum sermonem nullaque difficultate impeditum conuersa sunt; interdum etiam prauo uariandi studio in traditis uerbis aliquid immutatum est. (cf. p. 32, 14: *cum nullus in potestate habeat, quid de sua carne fiat*] *faciat C;* 45, 5: *corpori eiusque concupiscentiae*] *corpori uoluptatique C Domb.;* 65, 22: *diuino testimonio sublimatus*] *subleuatus C Domb.;* 113, 17: *ubi intellegamus*] *ut ibi int. Cv Domb.;* 125, 1: *felicius—quam illa conubia Romana nupserunt*] *LAp; coniugia C rell. v Domb.;* 127, 26: *antiquiora tempora*] *LA rell. v; antiquorum C Domb.;* 182, 18: *ut possit esse quem uincas*] *ut possis habere C;* 236, 10: *uirtus—humano testimonio contenta*] *iudicio C Domb.*, cf. 62, 24. 130, 13. 167, 9. 185, 16. Aperte interpolatus est locus p. 202, 6 ubi LA^1p habent: *Cicero augur inridet auguria et inridet homines e. q. s.*, cum in C et deterioribus libris legatur *et reprehendit.* Idem sentiendum est de loco p. 87, 21 sqq.: *Prouinciae regibus—seruiant cosque non sinceriter honorent, sed seruiliter timeant*, sic *LAp;* membrorum aequalitas, cui Augustinus ubique studet, turbatur addi-

tamento quod in C et deterioribus legitur: *sed nequiter ac seruiliter timeant.* Singulares praeterea lectiones habet C p. 279, 27: *excludatur*] *amoueatur C;* 284, 12: *Cardea—quae cardinem seruat*] *uersat C;* 286, 1: *a tanto auctore*] *doctore* C; 306, 25: *hominem qui non habeat*] *non habentem C.* Glossa inserta est p. 339, 2: *merito hinc auersatus est Varro noster, neque hoc dicere uoluit*] *adque taceri neque hoc dicere uoluit.* Mira uox exstat p. 369, 25: *a cretura mundi*, ubi reliqui libri habent *a constitutione mundi.*

Codex Veronensis in bibliotheca Capituli Veronensis n. V XXVIII, 26, litteris uncialibus scriptus, saeculo VII., cui uindicatur, haud dubie uetustior, libros XI—XVI continens. Cum in calce libri XVI modo exstet: '*Aurelii Augustini..... liber XVI exp.*', nec additum sit '*lib. XVII inc.*', apparet, codicem sequentes libros non continuisse. Praemissus est *Index capitum librorum XI—XIIII* scl. X scriptus. In textu nulla capitum distinctio exstat. Contuli hunc librum Veronae a. 1868; aliquot locos, in quibus ea quae ipse legeram, non cum collatione, qua Dombart in Editione II usus est, consentiebant, Dr. Guil. Weinberger meo rogatu ante hos aliquot annos denuo contulit.

Aliquot folia ita corrosa et perforata sunt, ut uerba uel plane exciderint, uel aegre ex uestigiis dignossi possint. Haud raro litterae euanidae manu quidem antiqua sed admodum rudi et indocta rescriptae sunt. Praeter multos scribae errores etiam interpolationes hic illic apparent. Ut mittam prauum illud *dicuntur* pro *loquuntur* p. 523, 1, cf. p. 522, 29: *explicare curabo*] *conabor* V; 524, 18 sqq.: *firmamentum factum est inter aquas superiores et inferiores*] *super aquas* V; p. 610, 18: *disponit omnia suauiter*] *sapienter* V. p. 648, 13: *a ligno tamen uitae prohibitus traditus esset tempori uetustatique finiendus*] *prohibitus esset et tempori cett.* V. — p. 630, 2 in V ineptum *carduus* insertum est. Mero uariandi studio deberi uidetur illud *mutabiliter* quod Dombart ex V et cod. Monac. f recepit pro *mortaliter* in loco p. 581,

9 sqq.: *Cuius* (sc. *ciuitatis Dei*) *pars, quae coniungenda immortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur et nunc mortaliter peregrinatur in terris uel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit cett.* — XIIII, c. 23 (II², p. 49, 26 Domb.) uerba male intellecta: *quia nos non damnabilem obscenitatem nunc—commemoramus* — mutata sunt in: *non laudabilem obscenitatem.* — XV, c. 13 (II², p. 83, 7 Domb.) falso additur *sexta.* — Interpretatio in archetypo adscripta in causa fuisse uidetur ut uerba XVI, c. 37 (II², p. 184, 24 Domb.): *uinum in sacramento corporis eius et sanguinis* corrumperentur in *uinum in sacramento caro eius et sanguinis.* Interpolatori etiam deberi uidetur XIIII, 15 (II², p. 36, 3 Domb.) *felicitas* pro *facilitas.*[1])

Ut iam de orthographicis moneam, quae in tribus illis uetustis libris L C V reperiuntur, notandum est in L fere ubique, in C V interdum *u* et *b* confundi. In eo consentiunt, quod semper fere *b* pro *p* habent in uerbis *scribsi, scribtus, scribtura, labsus, nubtiae, babtizare*; aspernantur *p* inter *ms, mt* insertum (*sumsi, sumtus, emtus, demtus, redemtor, contemtus, promtus*); pro *tentare* habent *temtare*, perraro *temptare, temptatio.* Consentiunt in uoce *quur,* uariant in coniunctione *cum qum quum*, itemque in formis uerborum *secutus sequutus, secuntur sequuntur, locuntur* (sic C¹ p. 60, 2). Insolentior est *qu* in initio uerborum pro *c* (*quaepere, quaepit* 127, 29; 130, 6. 219, 15 L Λ¹; *quinicos* pro *cynicos, quuius* pro *cuius* (II, p. 44, 8. 100, 17 Domb.[2]) V. In L C semper *adque* scriptum est; *aput* L semper, C plerumque praebet. Utrumque retinendum esse censui, nec minus formas contractas *di, dis*, quae in L V semper et frequenter etiam in C exstant. Consentiunt hi libri scribendo *querella, cottidie, cottidianus* et quod semper *p* duplicant in formis uerbi *repperire*; admittunt aspirationem

[1]) Menda, quae in codice V in locis p. 522, 29. 524, 19. 648, 13. XIIII, 23. XVI, 37 exstare monui ut multa alia Dombart silentio praetermisit, arctioribus haud dubie editionis suae finibus commotus, ut potiores modo lectiones exscriberet.

in *cohercere, harena,* demunt in *umor, umectus. oratius* praebet C p. 239, 4; *omerus* L Λ^1 202, 22. 222, 6. 11; *istrio* L Λ 55, 26; pro *tunc* L semper *thunc* habet. Parasiticum *i* ante *st* obuiam fit in *istoicus* L p. 211, 20, (V II, 16, 15. 19, 10 Domb.[2]); *istratonem* C p. 294, 24.

De assimilatione consonarum, quibus praepositiones cum uerbis compositae desinunt, in uniuersum monendum est, rarius eam in C admitti quam in L V.

ad in C non nisi in *accedere, apparere* et interdum in *afficere, affectus* assimilatur; L et V constantem usum non nisi eum habent, quod *ad* semper ante *n* et *m* assimilatur (*annotare, annuere; ammirari, ammonere, ammittere, ammiscere, amministrare, amminiculum*); accedit quod in V semper *ammodum, quemammodum* scribitur (*quemammodum* m. 1 correctum semel habet C p. 16, 22).

con in C ante *m* tantum in *com* abit, aliquotiens tamen praebet *conmittere, conmendare, conmemorare, conmixtio, conmentus* (p. 10, 16. 35, 1. 79, 26. 152, 11); L et V fluctuant, itemque in compositis cum praepositione uel negandi particula *in*, quae in C assimilari non solet.

Maior consensus librorum est in uerbis cum *ob* et *sub* compositis, in quibus ubique fere integra praepositionis forma retinetur. In V p. 587, 1 scribitur etiam *obcăbando.* Interdum *b* supprimitur in *suplicare, suplicium.*

Secutus sum codicis C usum.

Ex numero codicum Parisinorum, quorum lectiones Dübnerus modo degustauit, hi quinque a me collati sunt:

n. 2050, olim Colbertinus n. 437, membr., scl. X scriptus, omnes libros continens. *a* (A Dübn

n. 2051, membr., scl. X, omnes libros complectens. *b* (B Dübn

n. 2053, membr., scl. X, octo priores libros continens. *d* (D Dübn

n. 11.638, olim Corbeiensis, deinde S. German. n. 258, membr., scl. X, omnes libros exhibens. *e* (E Dübn.

n. 12.215, olim Corbeiensis, postea S. German. n. 767, membr., scl. X, libros XVI—XXII complectens. *g* (G Dübn

Codices n. 2052 (C Dübn.) et 11.637 (F Dübn.), quorum alter decem priores, alter duodecim libros posteriores continet, conferre supersedi, cum eorum lectiones a Dübnero prolatae nullius pretii essent.

a Codicem *a* olim *Iac. Aug. Thuani* fuisse nomen primo folio inscriptum testatur. Praemissa sunt sex folia non numerata, quae indicem capitulorum scl. XIIII uel XV rudi atque indocta manu scriptum continent. Hunc codicem ab interpolatore non raro male habitum esse, monuit Dübnerus; quod cum concedo non tamen in eo cum Viro docto fecerim, quod

b codicem *b* pluris faciendum esse censuit utpote 'satis bonum'; plerumque enim cum *a* et deterioribus libris consentit. Mirum est quod inde a c. 16 libri XVII in locis ex S. Scriptura laudatis plerumque prima modo uerba exscripta sunt addito '*et reliqua*'. Aliquot locis (p. 479, 12. 480, 11. 19) in textum receptae suot glossae argumentum indicantes.[1])

[1]) Uni libro XVIII praemissum est summarium, quod cum et uerbis et capitulorum distinctione plane ab traditis titulis et partibus libri recedat, operae pretium esse duxi hic exscribere:

EXPLICIT LIB. XVII | INCIPIT LIB. XVIII.

I. RECAPITULATIO huius operis et origo procursusque uniuersorum in terra regnorum. (c. 1.)

II. De institutis legum apud grecos et fratre foronei qui ut deus ceptus est coli. eo quod temporum annorumque cursus docuerit obseruari et ideo [Io] quam ut deam egyptii coluerunt (c. 2. 3) *et de morte isaac et libris (!) geminis eius liberis et de ioseph a fratribus uendito* (c. 4).

III. De ape argiuorum rege sarape ab egyptiis nuncupato et culto et de boue quem idem egyptii coluerunt (c. 5) *et de morte iacob. et de argo quomodo deus haberi coepit* (c. 6). *et de morte ioseph* (c. 7) *et natiuitate moysi. de prometheo et adrathlante* (l. *fratre atlante*). *et de mercurio et herculae ac ceteris in deos relatis.*

IIII. De minerua et de diluuio ab ogige facto (c. 8). *et cur ciuitas atheniensis tale nomen acceperit* (c. 9) *uel in ea ariopagus sit uocatus. et de contentione [d]eorum et desentia* (l. *de sententia*) *feminarum. et de diluuio sub deo calione (!)* (c. 10).

V. De moyse egressu ebreorum ex egypto (c. 11) *et de iesu naue filio. et in terram repromissionis introitu. et sacris ac ludis agentibus* (sic) *institutis. et de herculae ac minerua et reliquis qui dii appellati sunt* (c. 12).

In cod. *d* f. 1 praemonetur: '*Huius codicis id est usque octauum librum precedentes canones in alio uolumine sunt quęrendi qui huic operi praeponantur sicut ab ipso sunt conditi quibus quid singuli libri contineant indicatur.*' In libro I capitibus usque ad XVI. manu scl. XII argumenta in margine adscripta sunt. Nullo lacunae signo desunt in libro I uerba inde ab *in corpore* p. 31, 1 usque ad *hoc modo omnibus ad*] p. 47, 5. Dübnerus hunc codicem optimae notae et simillimum Corbeiensi esse iudicauit, et in calce adnotationum ad librum VIII (II, col. 1231) monuit, codicem a quinto fere libro ex praestan- d

VI. De iudicibus ebreorum et de monstruosis hominum transformationibus. quas gentilium fabulę confixeṛ. quibus ludos error hominum consecrauit. et apolline et libero et perseo (c. 13) *et p[o]etis qui homines esse deos dixerunt* (c. 14).

VII. De principio regni moeconearum et primo rege pioco (l. *Pico*) *et fauno* (c. 15). *et post euersionem troiae latino. fauni filio. et de grecorum templo pro quo alites dignare (?) dicuntur* (c. 16) *et de hominibus in bestiis (!) commutatis* (c. 17).

VIII. Quomodo de babilone sit fugiendum. et demones ea tantum facere quae uoluntas diuina permitti[t]. posse tamen eos per fantasiam multa confingere ut putentur etiam homines in bestias demutare (c. 18).

VIIII. De transfusione ęneae ad italiam. et de singularum gentium regnis (c. 19). *et de ębreorum a Saule et deinceps* (c. 20) *et de romano rege. et de duobus geminis et condita roma.*

X. De uia [iis qui] apud ebrę̣os regnauerunt. quando roma condita est (c. 22) *et de sibylla erithea et ceteris quarum et uerba ponit* (c. 23) *et de decim trib. in assirios ductis. et quos romani in deos retulerunt.*

XI. De manasse a quo isaias perhibetur occisus (c. 24) *et de duabus tribubus in babillonem ductis. et de septem sapientibus* (c. 25). *et de ciro et dario qui captiuos iudę̣os libertati pristinę reddideṛ. et historia iudith* (c. 26). *et prophetis. quo quis tempore prophetarit* (c. 27).

XII. Deos. ee [l. *De Osee*] *et amos* (c. 28). *et isaia. et michea. et iona et iohel prophetis. quod d[e] xp̃o et eccl̃a prophetarint* (c. 29. 30).

XIII. De abdia naū. et abacuc et cantico eius (c. 31. 32).

XIIII. De hieremiam et soffonia (c. 33) *danielo* (c. 34) *ageo et zacharia et malachia prophetis. et quod de nouo prelocuti sunt testamento* (c. 35).

XV. Dezdra [l. *De esdra*] *et hesdr* [*esther*] *quod ab hoc tempore non reges sed principes praefuerint iudeis usq; ad acristobolum* [l. *Aristob.*] *et de machabeorum libris. et qui eo tempore passi sunt inter martyres*

tissimo archetypo uideri descriptum. Ex frequentibus uitiis falsa syllabarum discretione ortis concludi potest, archetypum illum continua scriptura exaratum fuisse. (cf. p. 83, 3: *breuia &atis* (*breui aetatis*); 85, 2: *de∫ylla euitiis* (*de ∫yllae uitiis*); 96, 2: *di∫ideratis* (*di∫ iratis*); 97, 3: *mari cędeę* (*Maricae deae*); 157, 5: *agalli ∫tutū* (*a Gallis tutum*); 178, 19: *cam̃ aquę* (*Camena quae*); 185, 16: *diuersa earę* (*diuersae arae*); 189, 3: *adeo nęadeuntes* (*Adeonae adeuntes*); 223, 14: *natura messe* (*naturam esse*); 234, 24: *spirantiā ollus* (*spirantia mollius*); 339, 18: *gimine decęlū* (*Ganimede caelum*); 363, 27:

ab ecclesia receptis (!) (c. 36). *et quod poene omnes philosophi post ezdram fuerint. per quos prophetiae priores apud ebreos esse reperiantur quam apud gentes philosophias* (c. 37). *et de litteris quia iam fuerint ante legem et cur eccla in canonem aliquos non recipiat libros* (c. 38).

XVI. De his qui mundum antiquiorem esse quam sacrae testantur litterae confixer̃. (c. 40) *et de phylosophycarum discrepatione (!) sectarum [et quid] ł singulae eorum sectae defenderint.*

XVII. Quod cum gentiles passim et indiscrete phylosophos inter se dissidentes receperint dum nostra religio ∫peudoprophetas (!) inprobauerit. diuinarum auctoritate fulta uoluminum inquantotius (sic!) *sit scientiae plenitudo* (c. 41). *et quo modo ptolomeo roganti a septuaginta interpretibus scripturae in linguam grecam translate sint* (c. 42).

XVIII. Cur greca translatio discrepat a hebrea (c. 43) *cum iona prophetę legantur* (sic) *expositum* (c. 44). *et de captiuitatibus iudeorum diuersa per regna sibi succedentia tractis et de ducibus qui iudęis interea praefuerunt. templūq; sacrilegiis temeratum.*

XVIIII. De pompeio duce romano. quo modo hierosolimam ingressus iudęos tributarios fecerit. et herode alienigena (c. 45). *et quod xp̃o nato uel passo iudęi per orbem cum liberis suis ad testimonium sint dispersi* (c. 46). *et de iob* (c. 47).

XX. De prophet[i]a aggei. quomodo domum dei non templum sed ecclesiam ∫ignificauerit (c. 48). *in qua modo et boni et mali sunt* (c. 49). *et de passione et resurrectione xp̄i. et apostolorum praedicatione* (c. 50). *et quod causa hereticorum ad perfectum (profectum?) magis tendat ecclesię et quod per illos infame[n]tur qui in ea positi male uiuunt quod ab initio usque nunc et mundi persecutiones et dei consolationes habeat ecclesia* (c. 51). *et de decem persecutionibus ecclesiae inconuenienter decem plagis egypti coaptatis* (c. 52). *et quod ignoretur nouissimus dies* (c. 53). *et contra eos qui xp̄i doctrinam magicis artibus dicunt gentibus esse peruasa* (sic!) (c. 54).

coronam (*caro nam*); 369, 5: *indie pars aechaldei* (*Indi Persae Chaldaei*); 390, 10: *sideris* (*sed aeris*); 393, 10: *otrimegis tecū ille* (*o Trismegiste tum ille*) cett.

Praeter haec et alia uitia, quibus cod. *d* propter librarii ignorantiam laborat, etiam uestigia interpolationis non desunt. Cf. p. 112, 24. 150, 22. 160, 17. p. 114, 11 et p. 116, 13 inuitis reliquis libris priore loco *igitur*, altero *tunc* insertum est.

Codex *e* a diuersis scribis non ubique pari diligentia exa- *e*
ratus est, sed minus quam *a b* interpolationibus laborat. In exemplari, unde descriptus est *e*, uarias lectiones fuisse adnotatas, apparet ex locis ubi duae lectiones confusae sunt (cf. p. 293, 21. 431, 23. 509, 7. 512, 18); plerumque altera, haud raro deterior lectio margini adpicta est.

Codex *g*, 'optimae notae' ut iudicat Dübnerus, manu recenti *g*
(scl. XVI) in folio 1 inscriptionem habet: *Liber S. Petri Corbeiensis* [1]) | *Libri S. Augustini de Ciuitate Dei a XVI*° *ad XXII*^{um} *inclusiue*. Priora decem folia continent indicem capitulorum sic inscriptum: *PRECEDENTE CaNoNE* | *CaPiTuLoRV̄ QViBVS QVID SiNGuLi* | *LiBRi CoNTiNEANT IN*$^{di}_{ca}_{tur}$ | *INCiPiT ITaQVE CaNo*^{s} *LiBri XVI*. In textu capitum numeri margini adscripti sunt. Exemplar, unde descriptus est *g*, scriptura continua fuisse exaratum, produnt errores falsa syllabarum disiunctione orti. Partes codicis a diuersis librariis scriptae sunt. f. 115, v sub quinionis nota legitur: *pars conthardi*. Similis subscriptio imo f. 42, r, quo quaternio V incipit, ex uestigiis dispici potest. f. 89, v, quo desinit quaternio X, l. 6 uerbis *et seruiant ei* (II^2, p. 305, 17 Domb.) penso finito pars reliqua paginae uacua est; f. 90, r, l. 1 continuatur textus *sub iugo uno*. Ceterum singula pensa non pari diligentia absoluta sunt. In libro XVIII lacuna exstat nullo signo notata omissis uerbis inde ab *referendas* (c. 52,

[1]) In catalogo bibliothecae Corbeiensis anno fere 1200 scripto, codicem *g* sub n. 12 consignatum fuisse, docuit Leopoldus Delisle in 'Recherches sur l'ancienne bibliothèque de Corbie' (Bibliothèque de l'école des Chartes, 21 année, tome I, Paris 1860) p. 500.

p. 338, 18 Domb.) usque ad *infans et puer* (c. 54, p. 342, 25 Domb.). Desinit codex l. XXII, c. 29 uerbis *nonne cor meum* (p. 626, 4 Domb.) f. 238, v, in media pagina medio uersu. Praeter correcturas a coaeuo censore factas, qui libro XVI. illud *contuli* subscripsit, et recentiores correcturas rudiori manu scriptas apparent etiam hic illic emendationes, quae sine atramento sicco stilo membranae impressae sunt.

Bibliothecam Uniuersitatis Patauinae adii fama commotus, ibi asseruari codicem scl. XIII. scriptum, qui olim Francisci Petrarchae fuerit eiusque manu notulis quibusdam marginalibus sit instructus. Cum illustris ille poeta insigniter etiam meritus sit opera, quam conquirendis et describendis ueterum auctorum codicibus impendit, sperabam codicem illum licet recentem bonae tamen frugis fortasse esse, si quidem ex uetusto eoque integro exemplari esset descriptus. Hac tamen spe egregie falsus sum; nam non modo ubique fere cum uulgata, quam dicunt, consentit, sed etiam tot et tam miris compendiis scatet, quae haud raro instar sunt aenigmatum (*ma*^{a} = materia; *rō* = ratio; *ſnĩa* = sententia; *qōnē* = quaestionem; *mrib;* = matribus; *necm*^{u} = necessarium; *d'd'* = dicendum etc.), ut saepe certae uerborum formae imprimis terminationes aegre dignossi possint.

p Exstat autem alius in illa bibliotheca Patauina codex, n. 1469 insignitus, omnes libros usque ad uerba *ubi nullus* l. XXII, c. 30 (II², p. 631, 16 Domb.) continens, qui quamquam scl. XIIII demum scriptus non modo non spernendus, immo melioribus libris adnumerandus est. Hic codex in bibliothecam uniuersitatis translatus est ex monasterio S. Iustinae Patauino 'ad Pratum Vallis' sito, quod cum a monachis Monte-Casinensibus esset conditum, uerisimile est codicem in Monte Casino esse scriptum. Id modo mirum est, quod in celeberrima illa bibliotheca Montis Casini, si quidem fides habenda est Reifferscheidio, nullus ne recens quidem liber ms. exstat, in quo omnes insint libri *de Ciuitate Dei*.

Cuius pretii sit hic codex non modo inde intellegitur, quod

ubique fere cum optimis libris LCV consentit, sed aliquot etiam locis unus genuinam lectionem exhibet. (Cf. VIII, c. 4 p. 412, 1: *A. Gellius, uir elegantissimi eloquii et multae unde scientiae* $C^1 l$; — *multe eunde scientiae* Dombarti codd. αf; — *multae ac facundae scientiae* $C^2 b e v$ *Domb.*; — *multae undecumque scientiae p.* Imitatus est Augustinus Terentiani uersiculum, quem supra VI, 2 p. 272, 27 ut *elegantissimum* laudauerat: *uir doctissimus undecumque Varro.* Recta certe etsi inuentu procliuior est lectio codicis *p* in loco illo II, 21 p. 91, 28, ubi reliqui mss. praebent: *nam neque—aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam iuste lateque imperantem rem publicam*, quod Halmius quocum facit Dombart, correxit in *tam fuse lateque imperantem*; in *p* uero legitur *tam iuste longe lateque imper.* cf. p. 417, 26. 427, 22. 449, 25. 514, 26. 526, 15. Non tamen negauerim et in *p* inesse correcturas de industria factas ut uerba apertiora redderentur. cf. p. 101, 14. 273, 1. 431, 22. 641, 20. Poenitet etiam, quod huic libro obsecutus p. 477, 9 *inde* pro uulgato *hinc* (*hic* rell. codd.) recepi.

'*Tabula capitulorum libri Sancti Augustĩ de ciuitate dei*' quae praemissa est in *p*, ex dexteriore aliquo exemplari petita plerumque cum *v* consentit.

Alterius codicis n. 1490 insigniti, qui Petrarchae olim *q* fuerat, nonnisi libros nouem priores et indicem capitulorum totius operis contuli.

Specimina trium codicum Romanorum suppeditauit exemplar editionis secundae Dombartianae,[1]) in quo Ioannes Schmidt, Regimontanus, nescio quo consilio ductus uarias in aliquot libris lectiones adscripserat.

Ex codice Farfensi n. 26 Bibl. Vittor. Emmanuele, scl. XI *r* scripto, libros IIII—XX, c. 5 continente, collata est pars libri IIII usque ad c. 22; in schedis additae sunt lectiones libri XV, c. 5 usque ad l. XVI, 10 (= II,[2] p. 95, 15—141, 3 Domb. Lectiones ex l. IIII notatas, exscribere nolui, cum

[1]) Prostabat Lipsiae apud bibliopolam Franciscum Richter.

miram inscitiam et neglegentiam librarii prodant. cf. e. g. p. 169, 13: *quasi auitum gentibus morem noua imperii cupiditate mutauit*] *quasi uitium gentibus morem nouam imperii cupiditatem ut autem r;* p. 173, 10: *Quando de armis Cunina*] *quando dearum his cui nina r;* p. 175, 20: *Iuppiter insinuatur natus ex tempore*] *iuppiter uino nati dicantur ex tempore r;* p. 175, 26: *imbribus aether*] *in libris et aliae rem r*). Ut tamen de hoc codice iudicari possit, lectiones ex libro XV et XVI exscriptas in altero uolumine adnotabo.

s Codicis S. Crucis 138 (bibl. Vitt. Emman.) scl. X initio scripti libri VIII—X, quos solos continet, collati sunt.

t Ex codice S. Crucis 391, qui continet libros XI—XVI, adnotatae sunt lectiones in libris XI. XII exstantes. Cum hic codex eodem tempore atque eadem manu scriptus sit atque cod. n. 138, altera huius codicis pars fuisse uidetur.

Certam quandam cognationem adesse inter *s t* et *p*, probant permulti loci, in quibus hi codices contra reliquos conspirant (cf. p. 353, 23. 422, 6. 431, 21. 434, 19. 446, 3. 449, 25. 453, 19. 456, 15. 459, 2. 460, 10. 475, 14. 479, 17. 483, 4. 498, 17. 499, 25. 502, 6. 506, 22. 23. 509, 3. 19. 516, 15 sq. 519, 14. 22. 27. 524, 26. 525, 4. 530, 9. 531, 22. 537, 16. 542, 12. 583, 24. 595, 20. 597, 16. 608, 28); sed *p* foedis illis uitiis caret, quibus *s t* et inscitia et neglegentia scribae haud raro permixtis uariis scripturis laborant.

Codices quibus Dombart praeter *V* usus est graecis litteris insigniui.

α (A Domb.) cod. Monac. 3831, quondam Augustanus, omnes libros complectens, membr., saec. X. Hunc Dombart ex optimo fonte fluxisse et cum C saepius quam ceteros conspirare censet; non tamen carere eum interpolationis uestigiis; inprimis in locis ex S. Scriptura allegatis Italae interpretationi crebro Vulgatam quae dicitur substitutam esse.

ϝ (F Domb.) cod. Monac. 6267, quondam Frisingensis, duodeuiginti priores libros continens, saec. IX, eleganter scriptus. Ut Dombart monet, ex dissimilibus constat partibus; 'medii

enim septem libri (XII—XVII) uetustiore et diligentiore manu scripti ex paulo meliore archetypo uidentur originem duxisse quam undecim priores et duodeuicesimus. Neutra tamen pars libera est ab interpolationibus'.

(K Domb.) cod. Coloniensis 75 (Darmstadt. 2077), libros I—X continens, membr., saec. VIII, 'haud contemnendus sed et ipse interpolationibus saepius deprauatus.' *k*

(L Domb.) cod. Monacensis 2532, quondam Alderspacensis, omnes libros complectens. membr., saec. XI, 'profectus ab exemplari satis bono, quod codicibus R et A uidetur simile fuisse, saepissime tamen ab interpolatoribus etiam recentioris aetatis male habitus est'. Lectiones huius codicis Dombart in primo uolumine nullas, in altero nonnisi ad aliquot locos l. XVI. XVIIII. XX adnotauit. λ

(R Domb.) cod. Monacensis 6259, quondam Frisingensis, libros XV—XXII continens, membr., saec. X ineuntis. Hunc codicem utpote scripturae sinceritate insignem Dombart in libris XV et XVI Veronensi auctoritate paene aequandum ideoque dignum esse censuit, quem in ultimis libris praecipue ducem sequeretur. De hoc codice in altero uolumine accuratius mihi disputandum erit. ρ

De codice α (A) hic tantum monuerim, eum etsi reliquis libris deterioribus praestet, crebrioribus tamen interpolationibus laborare, quam ex Dombarti uerbis concludas. cf. p. 11, 7. 19, 6. 35, 17. 38, 25. 48, 1. 55, 12. 88, 6. 138, 1. 201, 28. 252, 17. 263, 5. 275, 27. 283, 3. 445, 10 cett. Si codices α et *p* inter se comparantur, maiorem auctoritatem codici Patauino esse tribuendam, inde possis colligere, quod in quinque prioribus libris ubi L (Λ), a textu Dombartiano differt, α non nisi septies (25, 23. 42, 26. 45, 5. 55, 10. 93, 5. 99, 6. 179, 2), *p* uero septuaginta locis cum uetusto illo libro conspirat.

Nimis haud dubie lectitati et descripti sunt libri *de Ciuitate Dei*, quam ut genuinum seruare potuerint habitum. Etiam uetustos illos codices C V non plane interpolationibus carere, iam supra monui. Temporum decursu apographi magis magis-

que uitiati sunt non modo scribarum erroribus prauisque correcturis, uerum etiam interpretationibus textui primum adscriptis, deinde inter uerba ipsa receptis. Vocabulis minus usitatis trita substituebantur, uerborum constructiones parum intellectae uel immutabantur, uel insertis quae omissae uiderentur uoculis cum uulgari sermone exaequabantur.

Qui primi typis describendum Augustini opus susceperunt, nec minus Patres deinde Benedictini Maurenses cum id potissimum sibi praestandum esse putarent, ut lectoribus textum ab omni difficultate liberum traderent, parum anxii de codicum fide[1]) uel eos modo secuti sunt qui uerba undique aperta et cum consueto sermone exaequata praebere uidebantur, uel ipsi tradita uerba eum in finem immutarunt. Ut exempla ponam, cf. p. 11, 24: *ut quisquis—haberetur inlaesus*] *abiret inl. v;* 29, 28: *captiuati sunt*] *captiui ducti sunt v;* 46, 22: *crimen incidisset*] *in crimen inc. v;* 60, 19: *occurrit mihi resistendum*] *respondendum qv;* 74, 10: *honori ducunt*] *honore dignos ducunt* a^2v; 74, 21: *capite etiam sancientes*] *cap. etiam plectendum sanc.* C^2v; 143, 21: *quam cruenta proelia gesta sunt*] *q. c. bella gesta sunt, quam multa proelia v;* 153, 8: *bellum deinde scruile successit et bella ciuilia. Quae proelia*] *bella ciuilia: in quibus quae proelia v:* 155, 11: *suis aliis caedibus*] *suis alienisque caed. v;* 248, 2: *sine ulla dubitatione*] *dilatione v;* 285, 19: *illa herede*] *illa herede relicta v;* 333, 14: *permanat*] *permeat v; ea significata et praenuntiata sunt*] *ea significauerunt et praenuntiauerunt qv;* 450, 1: *eum suauissimo adolemus incenso*] *ei suauissimum adolemus incensum v;* 452, 3: *fonti consuluisse*] *profuisse v;* 465, 14: *nec cunctatur esse*] *nec nosse cunctatur v* cett. Innumeris fere locis traditum uerborum ordi-

[1]) Patres Maurenses non ea cura qua par erat libros mss. et conquisiuisse et excussisse, iam Angelus Maius eis exprobrauit in Praefatione 'Bibliothecae nouae patrum'. Et reuera mirum est, eos in recensendo 'de ciu. Dei' opere commemorasse quidem duos Corbeiensis Abbatiae et duos S. Germanensis codices, sed nec uetusto illo Corbeiensi libro (C), nec S. Germanensi littera g notato usos esse.

nem, si minus consuetus uidebatur, immutatum esse, uix est quod moneam.

Hunc textum exinde uulgatum, quem corrigere Dübnero non licuerat, Dombart primus duabus editionibus, quarum prior a. 1863, altera codicis V lectionibus ditata, a. 1877 in publicum prodiit, ad librorum mss. memoriam reuocare studuit. Huius uiri docti uestigiis insistens cum grato animo profiteor eum de Augustini opere ab interpolationum sordibus purgando optime esse meritum, laudem eius detrectasse noluerim, si permultis locis contra eum statuendum esse censui. Uti enim mihi licuit et melioribus aliquot subsidiis criticis et aliquanto melius etiam edoctus eram de illis codicibus, quos Dombart ex adnotationibus modo Dübneri cognitos habuit.

Qua ratione in constituendis uerbis utendum sit, si libri modo spectantur, qui hoc uolumine continentur, dubium esse non potest quin in libris I—VIIII, XI—XIII ubique uetusti illi codices L C V sequendi sint, nisi ubi aperta menda adsunt. Ad haec sananda non parum conferre codicem *p*, supra iam monui, idemque codex etiam in libro X ubique fere genuinam praestare uidetur lectionem.

De aliquot locis a me emendatis data occasione accuratius disputabo.

Maximas gratias cum refero Viris Clarissimis Leopoldo Delisle, praefecto bibliothecae nationalis Parisiensis, Felici Desvernay, administratori bibliothecae Lugudunensis, Equiti de Girardi, directori bibliothecae uniuersitatis Patauinae, qui mihi aditum ad copias suae custodiae commissas summa liberalitate praebuerunt, par est ut etiam comitem de Giuliari, praefectum quondam bibliothecae cathedralis Veronensis commemorem, cuius humanitatem et beneuolentiam grata memoria retineo.

Scribebam Vindobonae mense Februario 1899.

Emanuel Hoffmann.

LIBRI II. RETRACTÁTIONUM CAP. XLIII.

Interea Roma Gothorum inruptione agentium sub rege Alarico adque impetu magnae cladis euersa est, cuius euersionem deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine paganos uocamus, in Christianam religionem referre conantes solito acerbius et amarius Deum uerum blasphemare coeperunt. Unde ego exardescens zelo domus Dei aduersus eorum blasphemias uel errores libros de ciuitate Dei scribere institui. Quod opus per aliquot annos me tenuit, eo quod alia multa intercurrebant, quae differre non oporteret et me prius ad soluendum occupabant. Hoc autem de ciuitate Dei grande opus tandem uiginti duobus libris est terminatum. Quorum quinque primi eos refellunt, qui res humanas ita prosperari uolunt, ut ad hoc multorum deorum cultum, quos pagani colere consueuerunt, necessarium esse arbitrentur, et quia prohibetur, mala ista exoriri adque abundare contendunt. Sequentes autem quinque aduersus eos loquuntur, qui fatentur haec mala nec defuisse umquam nec defutura mortalibus, et ea nunc magna, nunc parua locis temporibus personisque uariari, sed deorum multorum cultum, quo eis sacrificatur, propter uitam post mortem futuram esse utilem disputant. His ergo decem

EX LIBRO RETRACTATIONUM S̄CI AUGUSTINI SECUNDO TITULO LXVIIII (*sic!*) *C* AUGUSTINI DE CIVITATE DEI SENTENTIA EX LIBRO RETRACTATIONUM *p* 3 ac gentium *p* athlarico *p* 4 impetu/, m *eraso C* eius *p* 5 quo C^1 7 aceruius C^1 amarius] umanius *C* 8 Dei *om. C* 11 incurrebant *p* 15 deorum quos pagani colere consueuerunt cultum *p* 16 consuerunt *C* 22 futuram esse uenturam disponant disputant *ipsis correcturis in textum receptis p*

libris duae istae uanae opiniones Christianae religioni aduersariae refelluntur.

Sed ne quisquam nos aliena tantum redarguisse, non autem nostra adseruisse reprehenderet, id agit pars altera operis huius, quae libris duodecim continetur, quamquam, ubi opus est, et in prioribus decem quae nostra sunt adseramus, et in duodecim posterioribus redarguamus aduersa. Duodecim ergo librorum sequentium primi quattuor continent exortum duarum ciuitatum, quarum est una Dei, altera huius mundi; secundi quattuor excursum earum siue procursum; tertii uero, qui et postremi, debitos fines. Ita omnes uiginti et duo libri, cum sint de utraque ciuitate conscripti, titulum tamen a meliore acceperunt, ut de ciuitate Dei potius uocarentur. In quorum decimo libro non debuit pro miraculo poni in Abrahae sacrificio flammam caelitus factam inter diuisas uictimas cucurrisse, quoniam hoc illi in uisione monstratum est. In septimo decimo libro quod dictum est de Samuele: Non erat de filiis Aaron, dicendum potius fuit: Non erat filius sacerdotis. Filios quippe sacerdotum defunctis sacerdotibus succedere magis legitimi moris fuit. Nam in filiis Aaron reperitur pater Samuelis, sed sacerdos non fuit, nec ita in filiis, ut eum ipse genuerit Aaron, sed sicut omnes illius populi dicuntur filii Israel. Hoc opus sic incipit: Gloriosissimam ciuitatem Dei etc.

13 c. 8 18 c. 5

1 uarie *p* 2 refellentur *C* 13 uocantur C^1 duodecimo *p* 15 cucurisse *C* 16 in .XVII. *C;* in septimo uero decimo *p* 17 samuhel *C* 20 erat, *in marg.* al. fuit, *p* samuhelis *C* 22 israhel *C* hoc capitulum ideo de LIBRIS RETRACTATIONŪ in hoc codicem posui ut lector cognoscat quid de hoc opus auctor exponens siue retractans dixit *C*

S. AURELII AUGUSTINI
EPISCOPI
DE CIVITATE DEI CONTRA PAGANOS
LIBRI XXII.

LIBER I.

PRAEFATIO.

De suscepti operis consilio et argumento.

Gloriosissimam ciuitatem Dei siue in hoc temporum cursu, cum inter inpios peregrinatur ex fide uiuens, siue in illa stabilitate sedis aeternae, quam nunc expectat per patientiam, quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, deinceps adeptura per excellentiam uictoria ultima et pace perfecta, hoc opere ad te instituto et mea [ad te] promissione debito defendere aduersus eos, qui conditori eius deos suos praeferunt, fili carissime Marcelline, suscepi, magnum opus et arduum, sed Deus adiutor noster est. Nam scio quibus uiribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit uirtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano usurpata fastu, sed diuina gratia donata celsitudo

11 Abac. 2, 4 13 Rom. 8, 25 Ps. 93, 15

10 hoc *m. rec. ex* coc *corr. C;* oc *l* 14 uictoriam ultimam et pacem perfectam *b* a^2 *k f* 15 ad te instituto *e* p^1 *q;* a te inst *a b d* p^2 *k f v;* instituto, ac *radendo ex* ate *effectum,* C^2; instituto C^1 *l* α *Domb.* mea ad te prom. C^1 *l p* α; ad te *om. b e q k f v* 16 eius] nro *erasa priore lectione* eius, *e* 17 karissime *l*

transcendat. Rex enim et conditor ciuitatis huius, de qua loqui instituimus, in scriptura populi sui sententiam diuinae legis aperuit, qua dictum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Hoc uero, quod Dei est, superbae quoque animae spiritus inflatus adfectat amatque sibi in laudibus dici:

Parcere subiectis et debellare superbos.

Unde etiam de terrena ciuitate, quae cum dominari adpetit, etsi populi seruiant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non est praetereundum silentio quidquid dicere suscepti huius operis ratio postulat et facultas datur.

CAPUT I.

De aduersariis nominis Christi, quibus in uastatione Urbis propter Christum barbari pepercerunt.

Ex hac namque existunt inimici, aduersus quos defendenda est Dei ciuitas, quorum tamen multi correcto inpietatis errore ciues in ea fiunt satis idonei; multi uero in eam tantis exardescunt ignibus odiorum tamque manifestis beneficiis redemtoris eius ingrati sunt, ut hodie contra eam linguas non mouerent, nisi ferrum hostile fugientes in sacratis eius locis uitam, de qua superbiunt, inuenirent. An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca et basilicae apostolorum, quae in illa uastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Huc usque cruentus saeuiebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo duce-

3 Iac. 4, 6; Petr. I. 5, 5 7 Verg. Aen. 6, 853

2 populis suis *b v* 3 superbis deus *a* 5 spiritus non est inflatus, in *m. 2 l* 6 dicere, re parce *l m. 2 corr.* 8 de ciuitate terrena *l* 10 quicquid C^2 *a e* 16 ciu. dei *a* 18 manifeste *l* 19 eum *a* linguas////, *eraso ut uidetur* suas, *l.* 21 superuiunt l^1 non *sup. lin. C* 23 haec *C l b d* 25 hoc usq. *C* 26 ubi *e*

bantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipsi alibi truces adque hostili more saeuientes posteaquam ad loca illa ueniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi belli iure licuisset, tota feriendi refrenabatur inmanitas et captiuandi cupiditas frangebatur. Sic euaserunt multi, qui nunc Christianis temporibus detrahunt et mala, quae illa ciuitas pertulit, Christo inputant; bona uero, quae in eos ut uiuerent propter Christi honorem facta sunt, non inputant Christo nostro sed fato suo, cum potius deberent, si quid recti saperent, illa, quae ab hostibus aspera et dura perpessi sunt, illi prouidentiae diuinae tribuere, quae solet corruptos hominum mores bellis emendare adque conterere itemque uitam mortalium iustam adque laudabilem talibus adflictionibus exercere probatamque uel in meliora transferre uel in his adhuc terris propter usus alios detinere; illud uero, quod eis uel ubicumque propter Christi nomen uel in locis Christi nomini dicatissimis et amplissimis ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis praeter bellorum morem truculenti barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Christianis, hinc Deo agere gratias, hinc ad eius nomen ueraciter currere, ut effugiant poenas ignis aeterni, quod nomen multi eorum mendaciter usurparunt, ut effugerent poenas praesentis exitii. Nam quos uides petulanter et procaciter insultare seruis Christi, sunt in eis plurimi, qui illum interitum clademque non euasissent, nisi seruos Christi se esse finxissent. Et nunc ingrata superbia adque inpiissima insania eius nomini resistunt corde peruerso, ut sempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore uel subdolo confugerunt, ut temporali luce fruerentur.

4 illa] ipsa *a* 5 belli iure *C b l e p;* iure belli *q v Domb.* refrenauatur l^1 7 crist. *l* 10 deberent potius *l p α* 11 recte *a q k f* 12 illi] alii *e* prou. diuinae *C l p α*; diu. prou. *a d e q v Domb.* 18 dicatissimis *C a b e l* p^2 *q α k f;* indicat. p^1; dedicat. *v* 19 ad] atque *α* 21 agere gratias *mss.;* grat. ag. *v* 22 nomen *om. a* 23 multo l^1 24 petulantes *C* 26 se seruos christi esse *k f* 27 esse *om. α* 29 subdulo *C*

CAPUT II.

Quod nulla umquam bella ita gesta sint, ut uictores propter deos eorum, quos uicerunt, parcerent uictis.

Tot bella gesta conscripta sunt uel ante conditam Romam uel ab eius exortu et imperio: legant et proferant sic ab alienigenis aliquam captam esse ciuitatem, ut hostes, qui ceperant, parcerent eis, quos ad deorum suorum templa confugisse compererant, aut aliquem ducem barbarorum praecepisse, ut inrupto oppido nullus feriretur, qui in illo uel illo templo fuisset inuentus. Nonne uidit Aeneas Priamum per aras

> Sanguine foedantem quos ipse sacrauerat ignes?

Nonne Diomedes et Ulixes

> caesis summae custodibus arcis
> Corripuere sacram effigiem manibusque cruentis
> Virgineas ausi diuae contingere uittas?

Nec tamen quod sequitur uerum est:

> Ex illo fluere ac retro sublabsa referri
> Spes Danaum.

Postea quippe uicerunt, postea Troiam ferro ignibusque deleuerunt, postea confugientem ad aram Priamum obtruncauerunt. Nec ideo Troia periit, quia Mineruam perdidit. Quid enim prius ipsa Minerua perdiderat, ut periret? an forte custodes suos? Hoc sane uerum est; illis quippe interemtis potuit auferri. Neque enim homines a simulacro, sed simulacrum ab hominibus seruabatur. Quo modo ergo colebatur, ut patriam custodiret et ciues, quae suos non ualuit custodire custodes?

12 Verg. Aen. 2, 501 sq. 18 Aen. 2, 167 sqq.

2 sint *C q;* sunt *p v* 3 uicerunt *C;* uicerant *p q v* 7 aligenis *e;* alienis *α* 8 coeperant *l* 9 barbarum *a* 10 uel illo *C a b l² q v;* uel in illo *l¹ p α f; om. e* 11 Nonne uidit] non ita *d* 12 sanguine/, m *eras., C* 13 ulexis *C¹;* ulexes *C² l;* u/lixes, i *eraso, e* 14 arces *C¹* 18 sublabsa *C¹* 20 deleuerunt *C b² p v;* //// | erunt, *fine superioris uersus truncato l;* delerunt *a b¹ e q Domb.* 21 aram *C l d;* aras *a b e p q v Domb.* 23 ipsam mineruam *C* 25 simulachro ... simulachrum *a*

CAPUT III.

Quam inprudenter Romani deos penates, qui Troiam custodire non potuerant, sibi crediderint profuturos.

Ecce qualibus dis Urbem Romani seruandam se commisisse gaudebant! O nimium miserabilem errorem! Et nobis suscensent, cum de dis eorum talia dicimus; nec suscensent auctoribus suis, quos ut ediscerent mercedem dederunt doctoresque ipsos insuper et salario publico et honoribus dignissimos habuerunt. Nempe aput Vergilium, quem propterea paruuli legunt, ut uidelicet poeta magnus omniumque praeclarissimus adque optimus teneris ebibitus animis non facile obliuione possit aboleri, secundum illud Horatii:

> Quo semel est inbuta recens seruabit odorem
> Testa diu —

aput hunc ergo Vergilium nempe Iuno inducitur infesta Troianis Aeolo uentorum regi aduersus eos inritando dicere:

> Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat aequor
> Ilium in Italiam portans uictosque penates.

Itane istis penatibus uictis Romam, ne uinceretur, prudentes commendare debuerunt? Sed haec Iuno dicebat uelut irata mulier, quid loqueretur ignorans. Quid Aeneas ipse, pius totiens appellatus, nonne ita narrat:

> Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
> Sacra manu uictosque deos paruumque nepotem
> Ipse trahit cursuque amens ad limina tendit?

Nonne deos ipsos, quos uictos non dubitat dicere, sibi potius quam se illis perhibet commendatos, cum ei dicitur:

14 Epp. 1, 2, 69 18 Aen. 1, 67 sq. 24 2, 319 sqq.

3 troiam qui *q* poterant *p* crediderint *C;* crediderunt *p q v* 5 commisisse *C l p α;* commendasse *a b d e q k f v* 6 O | omnium, O *m. 2 extra uersum, C* 7 dicimus cum nec *e* 12 annis *p v* 13 oratii *C a e;* horatij, ȷ *m. 2 l* 18 terrenum C^1*;* tyrrenum C^2 *a e;* tyrraenum *l* 20 prudenter *l p α* 22 quid loq., quid *ex* quod *corr., C* 24 otrhyades *C* arci C^1 phaebique *C*

Sacra suosque tibi commendat Troia penates?

Si igitur Vergilius tales deos et uictos dicit et, ut uel uicti quoquo modo euaderent, homini commendatos: quae dementia est existimare his tutoribus Romam sapienter fuisse commissam et nisi eos amisisset non potuisse uastari? Immo uero uictos deos tamquam praesides ac defensores colere, quid est aliud quam tenere non numina bona, sed nomina mala? Quanto enim sapientius creditur, non Romam ad istam cladem non fuisse uenturam, nisi prius illi periissent, sed illos potius olim fuisse perituros, nisi eos quantum potuisset Roma seruasset! Nam quis non, cum aduerterit, uideat quanta sit uanitate praesumtum non posse uinci sub defensoribus uictis et ideo periisse, quia custodes perdidit deos, cum uel sola esse potuerit causa pereundi custodes habere uoluisse perituros? Non itaque, cum de dis uictis illa conscriberentur adque canerentur, poetas libebat mentiri, sed cordatos homines cogebat ueritas confiteri. Verum ista opportunius alio loco diligenter copioseque tractanda sunt: nunc, quod instituera m de ingratis hominibus dicere, parumper expediam ut possum, qui ea mala, quae pro suorum morum peruersitate merito patiuntur, blasphemantes Christo inputant; quod autem illis etiam talibus propter Christum parcitur, nec dignantur adtendere et eas linguas aduersus eius nomen dementia sacrilegae peruersitatis exercent, quibus linguis

1 ib. 293

2 et ut uicti, *omisso* uel, *p;* et uelut *omisso* uicti, *C;* et ut *omisso* uel uicti, l^1 7 nomina $C\alpha^1$; numina *superscripto* ł omina, *a;* omina, *in margine* demonia, *p;* demonia *q* (*de lectione* nomina *monet Dübnerus:* '*quod quidem ita intelligere possis:* sed debitores malos, *qui pro cultus honoribus non reddunt salutem iis, qui cum tantis impensis eos uenerantur. Et facetior est paronomasia* numina *et* nomina, *quam* numina *et* omina.') 8 non creditur romam *a;* non *om. e* 9 periissent *C;* perissent *rell. v* 10 eos] et'//is C^1 11 cum *sup. lin. e* 12 uicti sed l^1 13 periisse *C;* perisse *rell. v* cum] cuius *q* esse potuerit *C a b e p q;* pot. esse *v* 17 oportunius *C a e l* 18 nunc *superscripto* uero *a* 19 expediam *C l p a;* expediam explicem *e;* explicem *a b d. in marg. l, q k v* quia ea *e* 23 peruersitatis *C b d l p q α* k^1; proteruitatis *a e* k^2 *f v*

usurpauerunt mendaciter ipsum nomen, ut uiuerent, uel quas linguas in locis ei sacratis metuendo presserunt, ut illic tuti adque muniti, ubi propter eum inlaesi ab hostibus fuerunt, inde in eum maledictis hostilibus prosilirent.

CAPUT IIII.

De asylo Iunonis in Troia, quod neminem liberauit a Graecis, et basilicis apostolorum, quae omnes ad se confugientes a barbaris defenderunt.

Ipsa, ut dixi, Troia, mater populi Romani, sacratis locis deorum suorum munire non potuit ciues suos ab ignibus ferroque Graecorum, eosdem ipsos deos colentium; quin etiam

> Iunonis asylo
> Custodes lecti, Phoenix et dirus Ulixes,
> Praedam adseruabant; huc undique Troia gaza
> Incensis erepta adytis, mensaeque deorum
> Crateresque auro solidi captiuaque uestis
> Congeritur. Pueri et pauidae longo ordine matres
> Stant circum.

Electus est uidelicet locus tantae deae sacratus, non unde captiuos non liceret educere, sed ubi captiuos liberet includere. Conpara nunc asylum illud non cuiuslibet dei gregalis uel de turba plebis, sed Iouis ipsius sororis et coniugis et reginae omnium deorum cum memoriis nostrorum apostolorum. Illuc incensis templis et dis erepta spolia portabantur, non donanda uictis, sed diuidenda uictoribus; huc autem et quod alibi ad ea loca pertinere conpertum est cum honore et obsequio religiosissimo reportatum est. Ibi amissa, hic seruata libertas; ibi

12 Aen. 2, 761 sqq.

2 ei] eius *l* 3 fuerunt *C a b e l f v*; fuerant *p α k Domb.* 4 hostibus C^1 prosili/rent, e *ut uidetur eraso*, *C* 9 pop. Rom. *mss. excepto q*, Rom. pop. *q v* sacris *α* in locis *a q v* 13 foenix *l*; fenix *e* olixes *C* 20 non licere ducere sed ubi capt. *in marg. e* educere C^2 *p q*; ducere C^1 *l a b d f*; reducere *α* liberet] liceret *C* 22 sed Iouis *mss.*; sed de Iouis *v* 23 memoris C^1 24 donanda *mss.*; reddenda *v* 27 liuertas *l*; liber/tas, *erasa littera*, *e* ibi ... captiuitas *om. e*

clausa, hic interdicta captiuitas; ibi possidendi a dominantibus hostibus premebantur, huc liberandi a miserantibus ducebantur: postremo illud Iunonis templum sibi elegerat auaritia et superbia leuium Graeculorum, istas Christi basilicas misericordia et humilitas etiam inmanium barbarorum. Nisi forte Graeci quidem in illa sua uictoria templis deorum communium pepercerunt adque illo confugientes miseros uictosque Troianos ferire uel captiuare non ausi sunt, sed Vergilius poetarum more illa mentitus est. Immo uero morem hostium ciuitates euertentium ille descripsit.

CAPUT V.

De generali consuetudine hostium uictas ciuitates euertentium quid Cato senserit.

Quem morem etiam Cato, sicut scribit Sallustius, nobilitatae ueritatis historicus, sententia sua, quam de coniuratis in senatu habuit, conmemorare non praetermittit: 'rapi uirgines pueros, diuelli liberos a parentum conplexu, matres familiarum pati quae uictoribus conlibuisset, fana adque domos spoliari, caedem incendia fieri: postremo armis cadaueribus cruore adque luctu omnia conpleri'. Hic si fana tacuisset, deorum sedibus solere hostes parcere putaremus. Et haec non ab alienigenis hostibus, sed a Catilina et sociis eius, nobilissimis senatoribus et Romanis ciuibus, Romana templa metuebant. Sed hi uidelicet perditi et patriae parricidae.

14 Cat. 51

2 praemebantur C^1 *l* huc . . . duceb. *om. e* miserant. hostibus *l q α v* 4 graecorum *e v* 8 uir gelius *C* 13 Cato *C p q;* Caesar *v* 14 Cato *codd.;* Caesar *v* scripsit b^1 15 in senatum *l* 16 rapi/, t *eraso, C;* rapuit b^2 18 conlibuisset *mss.;* conlibuissent *Sallust.* 20 compleri *l p q α Sall.*, repleri *C a b e k f v* 22 catalina C^1*e;* catelina C^2*d* et *ante* sociis *sup. lin. C*

CAPUT VI.

Quod ne Romani quidem ita ullas ceperint ciuitates, ut in templis earum parcerent uictis.

Quid ergo per multas gentes, quae inter se bella gesserunt et nusquam uictis in deorum suorum sedibus pepercerunt, noster sermo discurrat? Romanos ipsos uideamus, ipsos, inquam, recolamus respiciamusque Romanos, de quorum praecipua laude dictum est:

Parcere subiectis et debellare superbos,

et quod accepta iniuria ignoscere quam persequi malebant: quando tot tantasque urbes, ut late dominarentur, expugnatas captasque euerterunt, legatur nobis quae templa excipere solebant, ut ad ea quisquis confugisset liberaretur. An illi faciebant et scriptores earundem rerum gestarum ista reticebant? Ita uero, qui ea quae laudarent maxime requirebant, ista praeclarissima secundum ipsos pietatis indicia praeterirent? Egregius Romani nominis Marcus Marcellus, qui Syracusas urbem ornatissimam cepit, refertur eam prius fleuisse ruituram et ante eius sanguinem suas illi lacrimas effudisse. Gessit et curam pudicitiae etiam in hoste seruandae. Nam priusquam oppidum uictor iussisset inuadi, constituit edicto, ne quis corpus liberum uiolaret. Euersa est tamen ciuitas more bellorum, nec uspiam legitur ab imperatore tam casto adque clementi fuisse praeceptum, ut quisquis ad illud uel illud templum fugisset haberetur inlaesus. Quod utique nullo modo praeteriretur, quando nec eius fletus nec quod edixerat pro pudicitia minime uiolanda potuit taceri. Fabius, Tarentinae

10 Cat. 9

5 suorum *om. l* 7 de quibus *l α* 10 iniuria *m. 2 ex* iniustâ *corr. C* mallebant *l* 15 ita uero *C a b d l p q α k f;* itane uero *e v* 17 Marcus *sup. lin. C* 18 seruituram *superscripto m. 2 k* ruiturã, *a* 19 fudisse a^1 20 curam, a *ex* u *corr., C* 21 edicto *superscripto m. 2 k* edictione *a* 23 usipiã *e* custo *e* 25 haberetur *codd.;* abiret *v* 27 f/abius, 1 *eraso, C*

urbis euersor, a simulacrorum depraedatione se abstinuisse laudatur. Nam cum ei scriba suggessisset quid de signis deorum, quae multa capta fuerant, fieri iuberet, continentiam suam etiam iocando condiuit. Quaesiuit enim cuius modi essent, et cum ei non solum multa grandia, uerum etiam renuntiarentur armata, 'relinquamus', inquit 'Tarentinis deos iratos'. Cum igitur nec illius fletum nec huius risum, nec illius castam misericordiam nec huius facetam continentiam Romanarum rerum gestarum scriptores tacere potuerint: quando praetermitteretur, si aliquibus hominibus in honorem cuiuspiam deorum suorum sic pepercissent, ut in quoquam templo caedem uel captiuitatem fieri prohiberent?

CAPUT VII.

Quod in euersione Urbis, quae aspere gesta sunt, de consuetudine acciderint belli; quae uero clementer, de potentia prouenerint nominis Christi.

Quidquid ergo uastationis trucidationis depraedationis concremationis adflictionis in ista recentissima Romana clade commissum est, fecit hoc consuetudo bellorum; quod autem nouo more factum est, quod inusitata rerum facie inmanitas barbara tam mitis apparuit, ut amplissimae basilicae inplendae populo cui parceretur eligerentur et decernerentur, ubi nemo feriretur, unde nemo raperetur, quo liberandi multi a miserantibus hostibus ducerentur, unde captiuandi ulli nec a crudelibus hostibus abducerentur: hoc Christi nomini, hoc Christiano tempori tribuendum quisquis non uidet, caecus, quisquis uidet nec laudat, ingratus, quisquis laudanti reluctatur, insanus est. Absit, ut prudens quisquam hoc feritati inputet barbarorum. Truculentissimas et saeuissimas mentes ille terruit, ille frenauit,

2 quod *C* 15 acciderunt *p* 16 prouenerunt *p*; peruenerint *q* 17 trucidationis *m. 2 sup. lin. C* 18 afflictationis *a* 20 nouo modo, *superscripto* ł more, *d*; more nouo *v* 23 quo/. *eraso* d, *C* 24 unde .... abducerentur *m. rec. in marg. C* nulli *a e*^{2}; illi *l*^{2} *α* 28 quisquam prudens, *transpositione notata, l* 29 et saeuiss. *om. d*^{1}

ille mirabiliter temperauit, qui per prophetam tanto ante dixit: Visitabo in uirga iniquitates eorum et in flagellis peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eis.

CAPUT VIII.

De commodis adque incommodis, quae bonis ac malis plerumque communia sunt.

Dicet aliquis: 'Quur ergo ista diuina misericordia etiam ad inpios ingratosque peruenit?' Quur putamus, nisi quia eam ille praebuit, qui cottidie facit oriri solem suum super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos? Quamuis enim quidam eorum ista cogitantes paenitendo ab inpietate se corrigant, quidam uero, sicut apostolus dicit, diuitias bonitatis et longanimitatis Dei contemnentes secundum duritiam cordis sui et cor inpaenitens thesaurizent sibi iram in die irae et reuelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera eius: tamen patientia Dei ad paenitentiam inuitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos; itemque misericordia Dei fouendos amplectitur bonos, sicut seueritas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippe diuinae prouidentiae praeparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, et mala inpiis, quibus non excruciabuntur boni; ista uero temporalia bona et mala utrisque uoluit esse communia, ut nec bona cupidius adpetantur, quae mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter euitentur, quibus et boni plerumque adficiuntur.

2 Ps. 88, 33 sq. 10 Mt. 5, 45 14 Rom. 2, 4 sqq.

1 tantū *a* dixit *C b l p;* praedixit *e q v* 3 misericordia *C* autem *sup. lin.*, meam *om. a* 6 adque] et *p* 8 dicet C^1 *e.l p q;* dicit C^2 *a d* qur d^1 10 quotidie *a* 12 poenitudo e^1 13 corrigunt *α* 16 the/saurizent, n *eraso, l;* thesaurizant b^2 *α f* 19 pa/t/i/entiam, t i *in ras., C* 20 conplectitur *e* 22 properare *l* fruerentur *a*

Interest autem plurimum, qualis sit usus uel earum rerum, quae prosperae, uel earum, quae dicuntur aduersae. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur nec malis frangitur; malus autem ideo huiusce modi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus saepe etiam in his distribuendis euidentius operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifesta plecteret poena, nihil ultimo iudicio seruari putaretur; rursus si nullum nunc peccatum puniret aperta diuinitas, nulla esse diuina prouidentia crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus; itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia praemia seruiendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis seruitus, sed potius cupidos et auaros. Haec cum ita sint, quicumque boni et mali pariter adflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est quod utrique perpessi sunt. Manet enim dissimilitudo passorum etiam in similitudine passionum, et licet sub eodem tormento non est idem uirtus et uitium. Nam sicut sub uno igne aurum rutilat palea fumat, et sub eadem tribula stipulae comminuuntur frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem praeli pondere exprimitur: ita una eademque uis inruens bonos probat purificat eliquat, malos damnat uastat exterminat. Unde in eadem adflictione mali Deum detestantur adque blasphemant, boni autem precantur et laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis quisque

3 bonus his α^1; his bonus nec temp. bonis extoll. *p* 7 manifeste α 8 sin/llum, i *eraso*, *C* nunc peccatum *C* l^2*p*; pecc. nunc *rell. v* 9 aperta *C e l p*; operta *d*; aperte *a b v Domb.* prouid. diu. *v* 10 quibusquam *a* 11 scientissima *p*; sapientissima α pertinere ista *C* 16 ut non ideo *C*; non ideo ut *e* 17 utraque C^1; utique *a* 18 et *om. a* 20 tribula, a *m. 2 in ras.*, *C* 22 praeli *C e*; proeli *l* 23 bonos purgat, *in marg. corr. m.* al. probat, *l* 24 afflictionem ali, *l* 25 praecantur *C* 26 quisque *om.* α

patiatur. Nam pari motu exagitatum et exhalat horribiliter caenum et suauiter fragrat unguentum.

CAPUT VIIII.

De causis correptionum, propter quas et boni et mali pariter flagellantur.

Quid igitur in illa rerum uastitate Christiani passi sunt, quod non eis magis fideliter ista considerantibus ad prouectum ualeret? Primum quod ipsa peccata, quibus Deus indignatus inpleuit tantis calamitatibus mundum, humiliter cogitantes, quamuis longe absint a facinerosis flagitiosis adque inpiis, tamen non usque adeo se a delictis deputant alienos, ut nec temporalia pro eis mala perpeti se iudicent dignos. Excepto enim quod unusquisque quamlibet laudabiliter uiuens cedit in quibusdam carnali concupiscentiae, etsi non ad facinorum inmanitatem et gurgitem flagitiorum adque inpietatis abominationem, ad aliqua tamen peccata uel rara uel tanto crebriora, quanto minora — hoc ergo excepto quis tandem facile reperitur, qui eosdem ipsos, propter quorum horrendam superbiam luxuriamque et auaritiam adque execrabiles iniquitates et inpietates Deus, sicut minando praedixit, conterit terras, sic habeat, ut habendi sunt? sic cum eis uiuat, ut cum talibus est uiuendum? Plerumque enim ab eis docendis ac monendis, aliquando etiam obiurgandis et corripiendis male dissimulatur, uel cum laboris piget, uel cum os eorum uerecundamur offendere, uel cum inimicitias deuitamus, ne inpediant et noceant in istis temporalibus rebus, siue quas adipisci adhuc adpetit nostra cupiditas, siue quas amittere formidat infirmitas, ita ut, quamuis bonis malorum uita displiceat et ideo cum eis non incidant

1 et *ante* exhalat *om.* *a e* 2 flagrat *C a b d e* l^1 *p;* fraglat l^2 4 correctionum *p* 7 prouectum *C b e p q α k;* profectum *a l f v* 8 ualet *α* primum *C α;* primo *rell. v* 11 nunc usque *C* delictis, ic *ex* a *corr.*, *C* 17 repperitur C^1 *e l* 18 et luxur. *q;* que *om. v* 22 ac monendis *l;* admonendis *rell. v* 24 os eorum *C a b d e l p q α k;* hos quorum *f;* eorum os coram *v* 26 temporibus C^1 petit *α* 28 uita malorum *v*

in illam damnationem, quae post hanc uitam talibus praeparatur, tamen, quia propterea peccatis eorum damnabilibus parcunt, dum eos in suis licet leuibus et ueniabilibus metuunt, iure cum eis temporaliter flagellantur, quamuis in aeternum minime puniantur, iure istam uitam, quando diuinitus adfliguntur cum eis, amaram sentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus eis amari esse noluerunt.

Nam si propterea quisque obiurgandis et corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit uel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, uel ad bonam uitam et piam erudiendos inpediant alios infirmos et premant adque auertant a fide: non uidetur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis. Illud est culpabile, quod hi, qui dissimiliter uiuunt et a malorum factis abhorrent, parcunt tamen peccatis alienis, quae dedocere aut obiurgare deberent, dum eorum offensiones cauent, ne sibi noceant in his rebus, quibus licite boni adque innocenter utuntur, sed cupidius, quam oportebat eos, qui in hoc mundo peregrinantur et spem supernae patriae prae se gerunt. Non solum quippe infirmiores, uitam ducentes coniugalem, filios habentes uel habere quaerentes, domos ac familias possidentes, (quos apostolus in ecclesiis adloquitur docens et monens quem ad modum uiuere debeant et uxores cum maritis et mariti cum uxoribus, et filii cum parentibus et parentes cum filiis, et serui cum dominis et domini cum seruis) multa temporalia, multa terrena libenter adipiscuntur et moleste amittunt, propter quae non audent offendere homines, quorum sibi uita contaminatissima et consceleratissima displicet; uerum etiam hi, qui superiorem uitae gradum tenent nec coniugalibus uinculis inretiti sunt et

21 Coloss. 3, 18 sqq.

3 ueniabilibus *C;* uenialibus *rell. v Domb.* 4 temporabiliter *C* flagellantur *mss.;* flagellentur *v* 14 a *sup. lin. l* 15 dedocere, o *ex* u *corr., l*; docere *e* aut] et *l* 17 innocenter C^1 *a e p q a* k^1 *Domb.;* innocentes C^2 *b d l* k^2 *f v* 19 praesagunt, agunt *m. 2 in ras., e* infirmiorem *l* 25 domi cum l^1 28 uero C^1

uictu paruo ac tegimento utuntur, plerumque, suae famae ac saluti dum insidias adque impetus malorum timent, ab eorum reprehensione sese abstinent, et quamuis non in tantum eos metuant, ut ad similia perpetranda quibuslibet eorum terroribus adque inprobitatibus cedant, ea ipsa tamen, quae cum eis non perpetrant, nolunt plerumque corripere, cum fortasse possint aliquos corripiendo corrigere, ne, si non potuerint, sua salus ac fama in periculum exitiumque perueniat, nec ea consideratione, qua suam famam ac salutem uident esse necessariam utilitati erudiendorum hominum, sed ea potius infirmitate, qua delectat lingua blandiens et humanus dies et reformidatur uulgi iudicium et carnis excruciatio uel peremtio, hoc est propter quaedam cupiditatis uincula, non propter officia caritatis.

Non mihi itaque uidetur haec parua esse causa, quare cum malis flagellentur et boni, quando Deo placet perditos mores etiam temporalium poenarum adflictione punire. Flagellantur enim simul, non quia simul agunt malam uitam, sed quia simul amant temporalem uitam, non quidem aequaliter, sed tamen simul, quam boni contemnere deberent, ut illi correpti adque correcti consequerentur aeternam, ad quam consequendam si nollent esse socii, ferrentur et diligerentur inimici, quia donec uiuunt semper incertum est utrum uoluntatem sint in melius mutaturi. Qua in re non utique parem, sed longe grauiorem habent causam, quibus per prophetam dicitur: Ille quidem in suo peccato morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est populorum praepositi, constituti sunt in ecclesiis, ut non parcant obiurgando peccata. Nec ideo tamen

11 Cor. I, 4, 3 24 Ezech. 33, 6

1 tegimento *C e l p q;* tegum. *a b d Domb.* 2 saluti dum *mss.*, saluti consulentes dum $b^2 v$ 4 metuent b^1; metuunt *f* 7 poterint C^1 8 nec *C a b d e l p q v;* neque *Domb.* 10 qua, a *ex* o *corr.*, *C* 14 uideatur *l* 15 flagellantur *a* 16 flagellatur C^1 21 nolint *l;* nolunt α^1 22 *ut editur a b d e l p q;* uoluntatem sint in melius mutari C^1; uoluntate ^{dr} posint ^{r} in mel. mutari, po *erasa littera* m, C^2 23 in *ante* re *om. C*

ab huius modi culpa penitus alienus est, qui, licet praepositus non sit, in eis tamen, quibus uitae huius necessitate coniungitur, multa monenda uel arguenda nouit et neglegit, deuitans eorum offensiones propter illa quibus in hac uita non indebitis utitur, sed plus quam debuit delectatur. Deinde habent aliam causam boni, quare temporalibus adfligantur malis, qualem habuit Iob: ut sibi ipse humanus animus sit probatus et cognitus, quanta uirtute pietatis gratis Deum diligat.

CAPUT X.

Quod sanctis in amissione rerum temporalium nihil pereat.

Quibus recte consideratis adque perspectis adtende utrum aliquid mali acciderit fidelibus et piis, quod eis non in bonum uerteretur, nisi forte putandum est apostolicam illam uacare sententiam, ubi ait: Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum. Amiserunt omnia quae habebant. Numquid fidem? numquid pietatem? numquid interioris hominis bona, qui est ante Deum dives? Hae sunt opes Christianorum, quibus opulentus dicebat apostolus: Est autem quaestus magnus pietas cum sufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum, sed nec auferre aliquid possumus. Habentes autem uictum et tegumentum his contenti sumus. Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem et laqueum et desideria multa stulta et noxia, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim

15 Rom. 8, 28 18 Petr. I. 3, 4 19 Tim. I, 6. 6 sqq.

1 huiuscemodi *v* 6 adfligantur *C a b d e l p q v;* affliguntur *Domb.* 8 deum gratis *a e* 15 quoniam *p q α* 16 cooperatur *C k*^{1} *f Domb.;* cooperantur *a b*^{2} *d e l p q α k*^{2} *v;* comperantur *b*^{1} 17 nǫn quid fidē. nunquid — nunquid *a* 18 dominum *e* heae *a;* haec *e* 23 sumus *C b*^{2} *l α k*^{1} *frgm. Frising. ed. Ziegler;* simus *a b*^{1} *d e p q v* 25 stulta *om. C* 26 enim est *C a b d p q;* est enim *e v Domb.*

est omnium malorum auaritia, quam quidam adpetentes a fide pererrauerunt et inseruerunt se doloribus multis.

Quibus ergo terrenae diuitiae in illa uastatione perierunt, si eas sic habebant, quem ad modum ab isto foris paupere, intus diuite audierant, id est, si mundo utebantur tamquam non utentes, potuerunt dicere, quod ille grauiter tentatus et minime superatus: Nudus exiui de utero matris meae, nudus reuertar in terram. Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum; ut bonus seruus magnas facultates haberet ipsam sui Domini uoluntatem, cui pedisequus mente ditesceret, nec contristaretur eis rebus uiuens relictus, quas cito fuerat moriens relicturus. Illi autem infirmiores, qui terrenis his bonis, quamuis ea non praeponerent Christo, aliquantula tamen cupiditate cohaerebant, quantum haec amando peccauerint, perdendo senserunt. Tantum quippe doluerunt, quantum se doloribus inseruerant, sicut apostolum dixisse supra commemoraui. Oportebat enim ut eis adderetur etiam experimentorum disciplina, a quibus tam diu fuerat neglecta uerborum. Nam cum dixit apostolus: Qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem et cetera, profecto in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem, quoniam praecepit alibi dicens: Praecipe diuitibus huius mundi non superbe sapere neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo uiuo, qui praestat

6 Cor. I, 7, 31 8 Iob. 1, 21 24 Tim. I, 6, 17 sqq.

1 omn. malorum est *l* 2 errauerunt *α* 4 in *om. b e l k f* 8 superatus diĩ, diĩ *m. 2 in fine uersus, e* exiui *C v;* exii *rell. Domb.* de uentre *e* 11 sicut *l* 13 pedesequus *C;* pedissecus *a* ditescere C^1 14 relictus *C b d* e^1 *l p α* k^1 *v;* relictis *a* e^2 *q* k^2 mortuus *p* 18 inseruerunt *e α* k^2 *f* 19 apostulum supra dixisse memoraui *l* 20 diu *om.* a^1 21 fuerat tam diu *v* dicit *a;* dixisset *b l p* 24 quoniam *cj. Halm;* quam *C b d l p q α k;* de qua *a;* qui *v* praecipit *a l* pre/cipe, *ex* principē *corr., C* diuitibus *om.* C^1 25 in *ante* incerto *sup. lin. l*

nobis omnia abundanter ad fruendum; bene faciant, diuites sint in operibus bonis, facile tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, ut adprehendant ueram uitam. Haec qui de suis diuitiis faciebant, magnis sunt lucris leuia damna solati plusque laetati ex his, quae facile tribuendo tutius seruauerunt, quam contristati ex his, quae timide retinendo facilius amiserunt. Hoc enim potuit in terra perire, quod piguit inde transferre. Nam qui receperunt consilium Domini sui dicentis: Nolite uobis condere thesauros in terra, ubi tinea et rubigo exterminant et ubi fures effodiunt et furantur; sed thesaurizate uobis thesaurum in caelo, quo fur non accedit neque tinea corrumpit; ubi enim est thesaurus tuus, illic erit et cor tuum, tribulationis tempore probauerunt quam recte sapuerint non contemnendo ueracissimum praeceptorem et thesauri sui fidelissimum inuictissimumque custodem. Nam si multi gauisi sunt ibi se habuisse diuitias suas, quo contigit ut hostis non accederet: quanto certius et securius gaudere potuerunt, qui monitu Dei sui illuc migrauerunt, quo accedere omnino non posset! Unde Paulinus noster, Nolensis episcopus, ex opulentissimo diuite uoluntate pauperrimus et copiosissime sanctus, quando et ipsam Nolam barbari uastauerunt, cum ab eis teneretur, sic in corde suo, ut ab eo postea cognouimus, precabatur: 'Domine, non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim sint omnia mea, tu scis.' Ibi enim habebat

10 Mt. 6, 19 sqq.

1 abund.] afluenter *l* 3 thes̩aurizent *l* 5 facieb. diuit. *v* 7 totius C^1 8 ĩn terra potuit *l* 10 condere uobis *v* 11 robigo *C*; erugo *e l* 13 thesaurum *C a b d α*; thesauros *e l p q v Domb.* 14 illic *C b d e l*; ibi *rell. v Domb.* erit *om. d* 18 sunt gauisi *v* contingit *e* 19 ut *sup. lin. C* 20 migrauerunt *C l p*; migraueṝ *a e*; migrauerant *b d q v Domb.* 21 omnino *sup. lin. a* possit *l* 25 praecabatur *C l* 26 sint, i *in ras. l* sis e^1

omnia sua, ubi eum condere et thesaurizare ille monstrauerat, qui haec mala mundo uentura praedixerat. Ac per hoc qui Domino suo monenti oboedierant, ubi et quo modo thesaurizare deberent, nec ipsas terrenas diuitias barbaris incursantibus amiserunt. Quos autem non oboedisse paenituit, quid de talibus rebus faciendum esset, si non praecedente sapientia, certe consequente experientia didicerunt.

At enim quidam boni etiam Christiani tormentis excruciati sunt, ut bona sua hostibus proderent. Illi uero nec prodere nec perdere potuerunt bonum, quo ipsi boni erant. Si autem torqueri quam mammona iniquitatis prodere maluerunt, boni non erant. Admonendi autem fuerant, qui tanta patiebantur pro auro, quanta essent sustinenda pro Christo, ut eum potius diligere discerent, qui pro se passos aeterna felicitate ditaret, non aurum et argentum, pro quo pati miserrimum fuit, seu mentiendo occultaretur, seu uerum dicendo proderetur. Namque inter tormenta nemo Christum confitendo amisit, nemo aurum nisi negando seruauit. Quocirca utiliora erant fortasse tormenta, quae bonum incorruptibile amandum docebant, quam illa bona, quae sine ullo utili fructu dominos sui amore torquebant.

Sed quidam etiam non habentes quod proderent, dum non creduntur, torti sunt. Et hi forte habere cupiebant nec sancta uoluntate pauperes erant; quibus demonstrandum fuit non facultates, sed ipsas cupiditates talibus dignas esse cruciatibus. Si uero uitae melioris proposito reconditum aurum argentumque non habebant, nescio quidem utrum cuiquam talium acciderit, ut dum habere creditur torqueretur: uerum tamen etiamsi accidit, profecto, qui inter illa tormenta paupertatem

1 monstrauerat *Cp α v Domb.*; monuerat *a b d e l q k f* 2 qui et haec *b v* 2 Ac] hac *d l* 5 miserunt l^1 6 praecedenti,a sap. *C* 8 cristiani *l* 10 quo et ipsi a^1 *v* Si *usque ad* non erant *m. 2 in marg. a* 11 mammonam *l* 16 uero C^1 20 utili *sup. lin. a* 23 credentur e^1 et hij enim *l* 25 dignos C^1 esse dignas *v* 26 melioris uitae *v* 27 utrum quidem *e* talī̃ *a* 28 accideret *e* 29 acciderit α^1

sanctam confitebatur, Christum confitebatur. Quapropter etsi non meruit ab hostibus credi, non potuit tamen sanctae paupertatis confessor sine caelesti mercede torqueri.

Multos, inquiunt, etiam Christianos fames diuturna uastauit. Hoc quoque in usus suos boni fideles pie tolerando uerterunt. Quos enim fames necauit, malis uitae huius, sicut corporis morbus, eripuit: quos autem non necauit, docuit parcius uiuere, docuit productius ieiunare.

CAPUT XI.

De fine temporalis uitae siue longioris siue breuioris.

Sed enim multi etiam Christiani interfecti sunt, multi multarum mortium foeda uarietate consumti. Hoc si aegre ferendum est, omnibus, qui in hanc uitam procreati sunt, utique commune est. Hoc scio, neminem fuisse mortuum, qui non fuerat aliquando moriturus. Finis autem uitae tam longam quam breuem uitam hoc idem facit. Neque enim aliud melius et aliud deterius, aut aliud maius et aliud breuius est, quod iam pariter non est. Quid autem interest, quo mortis genere uita ista finiatur, quando ille, cui finitur, iterum mori non cogitur? Cum autem unicuique mortalium sub cottidianis uitae huius casibus innumerabiles mortes quodam modo comminentur, quamdiu incertum est quaenam earum uentura sit, quaero utrum satius sit unam perpeti moriendo an omnes timere uiuendo. Nec ignoro quam citius eligatur diu uiuere sub

1 scām (sacram) l^1; suam l^2 et *superscripto* si *l* 3 mercede torqueri *m. 2 in marg. l* 4 *uerbis* multos inqui | *desinere codicis l folii VI paginam uersam, sequens uero folium a uerbis* [intrinse]cus. sed ad *p. 25, 20 incipere, ita ut unum folium excidisse appareat, iam in descriptione codicis l* Λ *monitum est* 6 necauit malis fames *e* 8 productis e^1 11 brebiores *C* 14 in hac uita *a* 15 est hoc. scio *C* 16 et tam *e* 18 et est aliud *e;* et *om. q* aut *usque ad* breuius *om. q* 19 quod *C* 20 ista uita *e* 21 cottidianis *C e;* quotid. *a* 25 citius *mss.;* inertius

timore tot mortium quam semel moriendo nullam deinceps formidare. Sed aliud est quod carnis sensus infirmiter pauidus refugit, aliud quod mentis ratio diligenter enucleata conuincit. Mala mors putanda non est, quam bona uita praecesserit. Neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur mortem. Non itaque multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur. Cum igitur Christiani nouerint longe meliorem fuisse religiosi pauperis mortem inter lingentium canum linguas quam inpii diuitis in purpura et bysso, horrenda illa genera mortium quid mortuis obfuerunt, qui bene uixerunt?

CAPUT XII.

De sepultura humanorum corporum, quae Christianis etiamsi fuerit negata nil adimit.

At enim in tanta strage cadauerum nec sepeliri potuerunt. Neque istud pia fides nimium reformidat, tenens praedictum nec absumentes bestias resurrecturis corporibus obfuturas, quorum capillus capitis non peribit. Nullo modo diceret ueritas: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, si quicquam obesset futurae uitae, quidquid inimici de corporibus occisorum facere uoluissent. Nisi forte quispiam sic absurdus est, ut contendat eos, qui corpus occidunt, non debere timeri ante mortem, ne corpus occidant, et timeri debere post mortem, ne corpus occisum sepeliri non sinant. Falsum est ergo quod ait [Christus]: Qui corpus occidunt, et postea non habent quid faciant, si habent tanta, quae de cadaueribus faciant.

10 Lc. 16, 19 sqq. 18 Lc. 21, 18 19 Mt. 10, 28 26 Lc. 12, 4

5 sequitur *ex* requiritur *corr. C* 6 ita, *omisso* que, *e* 9 ling/entium, *eraso* u. *e* 11 mor|tu is, tu *in fine uersus m. 2 additum, C* 16 istuc $C d^2$ 17 absumentes, b *ex* d *corr. C* besteas C^1 21 quicquid $C^2 a e$ 24 occidant..... corpus *om. e* 25 Christus *om.* $C^1 b d e p q \alpha^1 k^1$ 27 quid $C a b d e p q v$; quod $\alpha^1 k f$ *Domb.* de caueribus *C*; dacaueribus *e*

Absit, ut falsum sit quod ueritas dixit. Dictum est enim aliquid eos facere cum occidunt, quia in corpore sensus est occidendo; postea uero nihil habere quod faciant, quia nullus sensus est in corpore occiso. Multa itaque corpora Christianorum terra non texit, sed nullum eorum quisquam a caelo et terra separauit, quam totam inplet praesentia sui, qui nouit unde resuscitet quod creauit. Dicitur quidem in psalmo: Posuerunt mortalia seruorum tuorum escas uolatilibus caeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae; effuderunt sanguinem eorum sicut aquam in circuitu Hierusalem, et non erat qui sepeliret, sed magis ad exaggerandam crudelitatem eorum, qui ista fecerunt, non ad eorum infelicitatem, qui ista perpessi sunt. Quamuis enim haec in conspectu hominum dura et dira uideantur, sed pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Proinde ista omnia, [id est] curatio funeris, conditio sepulturae, pompa exsequiarum, magis sunt uiuorum solacia quam subsidia mortuorum. Si aliquid prodest inpio sepultura pretiosa, oberit pio uilis aut nulla. Praeclaras exequias in conspectu hominum exhibuit purpurato illi diuiti turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium praebuit angelorum, qui eum non extulerunt in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium sustulerunt.

Rident haec illi, contra quos defendendam suscepimus ciuitatem Dei. Verum tamen sepulturae curam etiam eorum philosophi contemserunt. Et saepe uniuersi exercitus, dum

7 Ps. 78, 2 sq. 15 Ps. 115, 15 23 Lc. 16, 22

3 occidendi *C* habent^{re} *C* quid *a* 6 seperauit *C* 7 quod totum^{r} *a* 8 esca *C;* escas *b p v;* escam *a b* a^1 k^1 *Domb.;* escas .... tuorum *om. q* 9 bisteis C^1 11 jerusalē *e;* ierłm *a* 16 omnia ista *q v* id est *om. C p* a^1 20 purp. exhib. *e* exhibuit *om.* b^1 a^1 k^1 diuiti, *superscripto corr. m.* exhibuit, *b* 21 ulcerosi *C* 27 contemserunt^{p}, p *m. 2, C*

pro terrena patria morerentur, ubi postea iacerent uel quibus bestiis esca fierent, non curarunt, licuitque de hac re poetis plausibiliter dicere:

Caelo tegitur, qui non habet urnam.

Quanto minus debent de corporibus insepultis insultare Christianis, quibus et ipsius carnis membrorumque omnium reformatio non solum ex terra, uerum etiam ex aliorum elementorum secretissimo sinu, quo dilapsa cadauera recesserunt, in temporis puncto reddenda et redintegranda promittitur.

CAPUT XIII.

Quae sit ratio sanctorum corpora sepeliendi.

Nec ideo tamen contemnenda et abicienda sunt corpora defunctorum maximeque iustorum adque fidelium, quibus tamquam organis et uasis ad omnia bona opera sancte usus est Spiritus. Si enim paterna uestis et anulus, ac si quid huius modi, tanto carius est posteris, quanto erga parentes maior adfectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quae utique multo familiarius adque coniunctius quam quaelibet indumenta gestamus. Haec enim non ad ornamentum uel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent. Unde et antiquorum iustorum funera officiosa pietate curata sunt et exsequiae celebratae et sepultura prouisa, ipsique cum uiuerent de sepeliendis uel etiam transferendis suis corporibus filiis mandauerunt, et Tobias sepeliendo mortuos

4 Lucan. Phars. 7, 819 9 Cor. 1 15, 52 24 Tob. 2, 9; 12, 12

2 bisteis C^1 aesca *a* poetis de hoc re *a* poeta, *litterae excepta* p *m. 2 in ras., e* 4 ur/nam, i *eraso*, *C* 5 de corporibus insultare χp̃ianis insepultis, *transpositione m. 2 notata*, *a* 6 et membrorum *v* omnium *om.* a^1 8 recesserant *C* 9 puncto *C* reintegr. C^1 14 sancte *C b* a^1 *k f*; sanctus *a d e p q v* 20 [extrin]secus sed *hinc incipit* A 22 et *ante* exseq. *om.* C^1 ipsi quoque *p* 23 cum A *C p* α; dum *a e q v Domb.* biberent A^1 sepil. *C* 24 ettobis *C*; ettobi A; et obis *e*

Deum promeruisse teste angelo commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus religiosae mulieris bonum opus praedicat praedicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra eius effuderit adque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in euangelio qui corpus eius de cruce acceptum diligenter adque honorifice tegendum sepeliendumque curarunt. Verum istae auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant propter fidem resurrectionis adstruendam. Ubi et illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro elemosynis, quas uiuentibus et sentientibus exhibemus, si neque hoc aput Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiaeque persoluitur. Sunt quidem et alia, quae sancti patriarchae de corporibus suis uel condendis uel transferendis prophetico spiritu dicta intellegi uoluerunt; non autem hic locus est, ut ea pertractemus, cum sufficiant ista, quae diximus. Sed si ea, quae sustentandis uiuentibus sunt necessaria, sicut uictus et amictus, quamuis cum graui adflictione desint, non frangunt in bonis perferendi tolerandique uirtutem nec eradicant ex animo pietatem, sed exercitatam faciunt fecundiorem: quanto magis, cum desunt ea, quae curandis funeribus condendisque corporibus defunctorum adhiberi solent, non efficiunt miseros in occultis piorum sedibus iam quietos! Ac per hoc quando ista cadaueribus Christianorum in illa magnae urbis uel etiam aliorum oppidorum uastatione defuerunt, nec uiuorum culpa est, qui non potuerunt ista praebere, nec poena mortuorum, qui non possunt ista sentire.

2 Mt. 26, 10 sqq. 6 Io. 19, 38 sqq.

1 test angelo *C* 2 tercia *a* mulieres C^1 4 supra *e* 9 adi *C* 11 a/struendam, d *eraso*, A 13 bibentibus A 14 officio diligentiaque *e* 17 autem *sup. lin. a* 19 uibentibus A^1 21 bonis, *superscripto* hominibus, *e* 23 desint A 27 uiborum A

CAPUT XIIII.

De captiuitate sanctorum, quibus numquam diuina solacia defuerunt.

Sed multi, inquiunt, Christiani etiam captiui ducti sunt. Hoc sane miserrimum est, si aliquo duci potuerunt, ubi Deum suum non inuenerunt. Sunt in scripturis sanctis huius etiam cladis magna solacia. Fuerunt in captiuitate tres pueri, fuit Daniel, fuerunt alii prophetae; nec Deus defuit consolator. Sic ergo non deseruit fideles suos sub dominatione gentis, licet barbarae, tamen humanae, qui prophetam non deseruit nec in uisceribus beluae. Haec quoque illi, cum quibus agimus, malunt inridere quam credere, qui tamen [in] suis litteris credunt Arionem Methymnaeum, nobilissimum citharistam, cum esset deiectus e naui, exceptum delphini dorso et ad terras esse peruectum. Verum illud nostrum de Iona propheta incredibilius est. Plane incredibilius quia mirabilius, et mirabilius quia potentius.

CAPUT XV.

De Regulo, in quo captiuitatis ob religionem etiam sponte tolerandae extat exemplum, quod tamen illi deos colenti prodesse non potuit.

Habent tamen isti de captiuitate religionis causa etiam sponte toleranda et in suis praeclaris uiris nobilissimum exemplum. M. Regulus, imperator populi Romani, captiuus

8 Dan. 1, 6 11 Ion. 2, 1

4 etiam *sup. lin. a* 7 [fuit daniel *hinc incipit L* 8 danihel *L* Λ *C a b e* consol. defuit *a* 9 ergo *om. q* deserit L^1Λ dāpnatione, *superscripto* r dominatione, *b* gentes C^1; *om. q* 11 in quibus, *in marg.* cū, *q* 12 in *om.* *L*Λ 13 chitaristam *L*Λ 15 terraesse *L* prophe// incredibilius quia, *omissa* ta incredibilius est plane *uet. correctoris m. in inferiore margine, L* 16 plane incredib. *om.* Λ 20 spontᵉ *C* tolerandū *q* 24 M. *LC* Marcus Λ *a b d e p q α k f*; M. Atilius Reg. *v*

aput Carthaginienses fuit. Qui cum sibi mallent a Romanis suos reddi quam eorum tenere captiuos, ad hoc inpetrandum etiam istum praecipue Regulum cum legatis suis Romam miserunt, prius iuratione constrictum, si quod uolebant minime peregisset, rediturum esse Carthaginem. Perrexit ille adque in senatu contraria persuasit, quoniam non arbitrabatur utile esse Romanae rei publicae mutare captiuos. Nec post hanc persuasionem a suis ad hostes redire conpulsus est, sed quia iurauerat, id sponte conpleuit. At illi eum excogitatis adque horrendis cruciatibus necauerunt. Inclusum quippe angusto ligno, ubi stare cogeretur, clauisque acutissimis undique confixo, ut se in nullam eius partem sine poenis atrocissimis inclinaret, etiam uigilando peremerunt. Merito certe laudant uirtutem tam magna infelicitate maiorem. Et per deos ille iurauerat, quorum cultu prohibito has generi humano clades isti opinantur infligi. Qui ergo propterea colebantur, ut istam uitam prosperam redderent, si uerum iuranti has inrogari poenas seu uoluerunt seu permiserunt, quid periuro grauius irati facere potuerunt? Sed quur non ratiocinationem meam potius ad utrumque concludam? Deos certe ille sic coluit, ut propter iuris iurandi fidem nec maneret in patria, nec inde quolibet ire, sed ad suos acerrimos inimicos redire minime dubitaret. Hoc si huic uitae utile existimabat, cuius tam horrendum exitum meruit, procul dubio fallebatur. Suo quippe docuit exemplo nihil deos ad istam temporalem felicitatem suis prodesse cultoribus, quando quidem ille eorum deditus cultui et uictus et captiuus abductus et, quia noluit aliter quam per

1 carthaginenses Λ *a* 5 redit. fuisse *L* Λ adquae Λ 6 arbitrauatur *L* 7 *post* captiuos. *inserta est glossa:* In subsequentibus dicit[ñ. p] suasus est ut staret, Λ 8 quia] quod *v* 16 coleuantur *L* 17 uerum] uiro, i *et* o *m. 2. in ras., e* 18 sed quid *C, miro errore librarius* sed *in uersu sequente ante* quur *omissum hic posuit* de periuro $f^{1}k^{2}$ 20 sic ille *v* 21 maneret (manere *a*) *codd.;* remaneret *v* quoliberet *e* 22 ñ, *superscripto* vo minime, *a* 23 utile *C* existimauat $L\Lambda^{1}$ 24 falleuatur $L\Lambda^{1}$ sçio *e* 27 captibus $L\Lambda^{1}$ qui *a*

eos iurauerat facere, nouo ac prius inaudito nimiumque horribili supplicii genere cruciatus extinctus est. Si autem deorum cultus post hanc uitam uelut mercedem reddit felicitatem, quur calumniantur temporibus Christianis, ideo dicentes Urbi accidisse illam calamitatem, quia deos suos colere destitit, cum potuerit etiam illos diligentissime colens tam infelix fieri, quam ille Regulus fuit? Nisi forte contra clarissimam ueritatem tanta quisquam dementia mirae caecitatis obnititur, ut contendere audeat uniuersam ciuitatem deos colentem infelicem esse non posse, unum uero hominem posse, quod uidelicet potentia deorum suorum multos potius sit idonea conseruare quam singulos, cum multitudo constet ex singulis.

Si autem dicunt M. Regulum etiam in illa captiuitate illisque cruciatibus corporis animi uirtute beatum esse potuisse, uirtus potius uera quaeratur, qua beata esse possit et ciuitas. Neque enim aliunde beata ciuitas, aliunde homo, cum aliud ciuitas non sit quam concors hominum multitudo. Quam ob rem nondum interim disputo, qualis in Regulo uirtus fuerit; sufficit nunc, quod isto nobilissimo exemplo coguntur fateri non propter corporis bona uel earum rerum, quae extrinsecus homini accidunt, colendos deos, quando quidem ille carere his omnibus maluit quam deos per quos iurauit offendere. Sed quid faciamus hominibus, qui gloriantur se talem habuisse ciuem, qualem timent habere ciuitatem? Quod si non timent, tale ergo aliquid, quale accidit Regulo, etiam ciuitati tam diligenter quam ille deos colenti accidere potuisse fateantur et Christianis temporibus non calumnientur. Verum quia de illis Christianis orta quaestio est, qui etiam captiuati sunt,

3 reddit L^2 Λ *C a b d e p q v;* reddidit L^1 *f;* reddet *α k Domb.* 4 calūpniantur *a* crhist. *L* 8 quisque//, e *erasis litt.* uam, *L;* quisque Λ obnititur, nit *in ras., C* 12 et ex Λ 13 M. *L*Λ *p q; om. C;* Marcum *a d e* reculum e^1 15 possit esse *v* 20 propter *om.* $Λ^1$ 21 accidit e^1 23 talem se *v* habil | ///ibem, *corroso margine, L* cibem $Λ^1$ 27 qua,e Λ 28 captiuati *L* $Λ^2$ *C a b d e p α* k^2 *f;* captiuitati $Λ^1$ k^1; captiui ducti *q v*

hoc intueantur et taceant, qui saluberrimae religioni hinc inpudenter adque inprudenter inludunt, quia, si dis eorum probro non fuit, quod adtentissimus cultor illorum, dum eis iuris iurandi fidem seruaret, patria caruit, cum aliam non haberet, captiuusque aput hostes per longam mortem supplicio nouae crudelitatis occisus est, multo minus nomen criminandum est Christianum in captiuitate sacratorum suorum, qui supernam patriam ueraci fide expectantes etiam in suis sedibus peregrinos se esse nouerunt.

CAPUT XVI.

An stupris, quae etiam sacrarum forte uirginum est passa captiuitas, contaminari potuerit uirtus animi sine uoluntatis adsensu.

Magnum sane crimen se putant obicere Christianis, cum eorum exaggerantes captiuitatem addunt etiam stupra commissa, non solum in aliena matrimonia uirginesque nupturas, sed etiam in quasdam sanctimoniales. Hic uero non fides, non pietas, non ipsa uirtus, quae castitas dicitur, sed nostra potius disputatio inter pudorem adque rationem quibusdam coartatur angustiis. Nec tantum hic curamus alienis responsionem reddere, quantum ipsis nostris consolationem. Sit igitur in primis positum adque firmatum uirtutem, qua recte uiuitur, ab animi sede membris corporis imperare sanctumque corpus usu fieri sanctae uoluntatis, qua inconcussa ac stabili permanente, quidquid alius de corpore uel in corpore fecerit, quod sine peccato proprio non ualeat euitari, praeter culpam esse patientis. Sed quia non solum quod ad dolorem, uerum etiam quod ad libi-

8 Petr. I, 2, 11

1 saluuerrimae *L* A¹ 2 adque inprud. *om. e* quia si] quasi *e* fiatif fiḋęs *C* 3 quot *C*¹ 7 sacramentorum, *superscripto* ł χp̄ianorū, A 11 sacrarum *C p q;* sanctarum *v* 15 ſ,upra *C* 16 nubturas *L* A *C*¹ 19 coartata *C* 20 curamus hic *v* 21 consulat. *C* 22 uibitur *L;* bibitur A 23 usu *om. C*¹ 24 incussa A stauili *L* A 27 libiȩnem A

dinem pertinet, in corpore alieno perpetrari potest: quidquid tale factum fuerit, etsi retentam constantissimo animo pudicitiam non excutit, tamen pudorem incutit, ne credatur factum cum mentis etiam uoluntate, quod fieri fortasse sine carnis aliqua uoluptate non potuit.

CAPUT XVII.

De morte uoluntaria ob metum poenae siue dedecoris.

Ac per hoc et quae se occiderunt, ne quidquam huius modi paterentur, quis humanus adfectus eis nolit ignosci? et quae se occidere noluerunt, ne suo facinore alienum flagitium deuitarent, quisquis [eis] hoc crimini dederit, ipse crimen insipientiae non cauebit. Nam utique si non licet priuata potestate hominem occidere uel nocentem, cuius occidendi licentiam lex nulla concedit, profecto etiam qui se ipsum occidit homicida est, et tanto fit nocentior cum se occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudae factum merito detestamur eumque ueritas iudicat, cum se laqueo suspendit, sceleratae illius traditionis auxisse potius quam expiasse commissum, quoniam Dei misericordiam desperando exitiabiliter paenitens nullum sibi salubris paenitentiae locum reliquit: quanto magis a sua nece se abstinere debet, qui tali supplicio quod in se puniat non habet. Iudas enim cum se occidit, sceleratum hominem occidit, et tamen non solum Christi, uerum etiam suae mortis reus finiuit hanc uitam, quia licet

17 Mt. 27, 5

1 *post* pertinet *in cod.* d *sine ullo lacunae signo sequuntur uerba inde ab* probamus neminem cett *p. 47, 5* 3 pudorem tamen *v* 9 hac Λ 11 debitarent *L* Λ[1] 12 eis *om. L* Λ crimen . . cauebit *L* Λ *C b*[1] *p α Domb.;* crimen . . carebit *b*[2] *k*[1] *f;* crimine . . . carebit *a e q k*[2] *v* 15 concidit Λ[1] 16 cum . . . innocentior *om. e*[1] 17 quia *e* si *om.* Λ 21 exitiabiliter *m. 2 in* inexpiabiliter *corr.*, b 22 relinquit *L;* relinquid Λ a *m. 1 sup. lin. L* se *om. α* 23 suplicio *L* Λ quid *e*

propter suum scelus alio suo scelere occisus est. Quur autem homo, qui mali nihil fecit, sibi malefaciat et se ipsum interficiendo hominem interficiat innocentem, ne alium patiatur nocentem, adque in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur alienum?

CAPUT XVIII.

De aliena uiolentaque libidine, quam in oppresso corpore mens inuita perpetitur.

At enim, ne uel aliena polluat libido, metuitur. Non polluet, si aliena erit; si autem polluet, aliena non erit. Sed cum pudicitia uirtus sit animi comitemque habeat fortitudinem, qua potius quaelibet mala tolerare quam malo consentire decernit, nullus autem magnanimus et pudicus in potestate habeat, quid de sua carne fiat, sed tantum quid adnuat mente uel renuat: quis eadem sana mente putauerit perdere se pudicitiam, si forte in adprehensa et oppressa carne sua exerceatur et expleatur libido non sua? Si enim hoc modo pudicitia perit, profecto pudicitia uirtus animi non erit, nec pertinebit ad ea bona, quibus bene uiuitur, sed in bonis corporis numerabitur, qualia sunt uires pulchritudo saneualetudo, ac si quid huius modi est; quae bona, etiamsi minuantur, bonam iustamque uitam omnino non minuunt. Quod si tale aliquid est pudicitia,

1 alio ^{tñ}suo *e* 2 nihil mali Λ maleficiat e^1 7 uiolentaque *corr. Dübner;* uiolentiaque *C;* uiolentiarum *p q v Domb. Heerwagenum secutus edidit:* de alienae uiolentia libidinis 9 At] ait *e* eum polluat *e* liuido *L*Λ 9 *sq.* polluit—polluit C^1 12 quam mala *e* 14 faciat *C* 15 rennuat *L* Λ^1 C^1 *e* ^{ut}parauerit *C* 16 oppraessa *L* Λ; oppersa *e* 17 liuido *L* Λ 18 ad illa *p* 19 numerauitur *L* 20 saneualetudo, *sic scribendum esse monui in Woelfflini Archiv. I (1884) p. 203* ^{itas}fan^{i}eualẹtudo *C m. 2 corr.;* sane ualetudo *e;* sana ualetudo*L* Λ *α k f;* sanaq· ualitudo *b;* sana integraque ualetudo *a q v;* sanitas ualetudo *Domb.* huius | ce | modi, ce *corr. m. extra lin., C*

ut quid pro illa, ne amittatur, etiam periculo corporis laboratur? Si autem animi bonum est, etiam obpresso corpore non amittitur. Quin etiam sanctae continentiae bonum cum inmunditiae carnalium concupiscentiarum non cedit, et ipsum corpus sanctificatur, et ideo, cum eis non cedere inconcussa intentione persistit, nec de ipso corpore perit sanctitas, quia eo sancte utendi perseuerat uoluntas et, quantum est in ipso, etiam facultas.

Neque enim eo corpus sanctum est, quod eius membra sunt integra, aut eo, quod nullo contrectantur adtactu, cum possint diuersis casibus etiam uulnerata uim perpeti, et medici aliquando saluti opitulantes haec ibi faciant, quae horret aspectus. Obstetrix uirginis cuiusdam integritatem manu uelut explorans siue maleuolentia siue inscitia siue casu, dum inspicit, perdidit. Non opinor quemquam tam stulte sapere, ut huic perisse aliquid existimet etiam de ipsius corporis sanctitate, quamuis membri illius integritate iam perdita. Quocirca proposito animi permanente, per quod etiam corpus sanctificari meruit, nec ipsi corpori aufert sanctitatem uiolentia libidinis alienae, quam seruat perseuerantia continentiae suae. An uero si aliqua femina mente corrupta uiolatoque proposito, quod Deo uouerat, pergat uitianda ad deceptorem suum, ad hoc eam pergentem sanctam uel corpore dicimus, ea sanctitate animi, per quam corpus sanctificabatur, amissa adque destructa? Absit hic error et hinc potius admoneamur ita non amitti corporis sanctitatem manente animi sanctitate etiam corpore obpresso, sicut amittitur et corporis sanctitas uiolata animi sanctitate etiam cor-

1 periculo $L^1 C^1$; cum periculo $L^2 C^2$ *rell. v Domb.* lauoratur $L \Lambda$ 4 immunditia L^1 edit *C* 5 deo *C* cum *om. a* cederet *C* 7 est in ipso $L \Lambda$; in ipso est *rell. v* 8 etiam ..... sanctum est *in marg. e* 11 etiam casibus *v* 12 opitulantis C^1 orret C^1; horrent *a* 14 maliuolentia $L \Lambda C a e$ inscitia $L \Lambda C a e p q^2$; inscia $b^1 q^1$; inscientia $b^2 \alpha k^2 f$ casu quodam *a* per//dit, di *eras.*, *C*; perdit *a* 16 de ipsius *om. e* 19 liuidinis $L \Lambda$ 21 uoberat *L* 22 uitanda $L^1 \Lambda^1$ ad hoc $L \Lambda^1 C$; adhuc *rell. v Domb.* 23 dicemus *e* 24 sanctificauatur $L \Lambda$ 25 a/mitti, d *eraso*, *L* et *om. v*

pore intacto. Quam ob rem non habet quod in se morte spontanea puniat femina sine ulla sua consensione uiolenter obpressa et alieno conpressa peccato; quanto minus antequam hoc fiat! ne admittatur homicidium certum, cum ipsum flagitium, quamuis alienum, adhuc pendet incertum.

CAPUT XVIIII.

De Lucretia, quae se ob inlatum sibi stuprum peremit.

An forte huic perspicuae rationi, qua dicimus corpore obpresso nequaquam proposito castitatis ulla in malum consensione mutato illius tantum esse flagitium, qui obprimens concubuerit, non illius, quae obpressa concumbenti nulla uoluntate consenserit, contradicere audebunt hi, contra quos feminarum Christianarum in captiuitate obpressarum non tantum mentes, uerum etiam corpora sancta defendimus? Lucretiam certe, matronam nobilem ueteremque Romanam, pudicitiae magnis efferunt laudibus. Huius corpore cum uiolenter obpresso Tarquinii regis filius libidinose potitus esset, illa scelus inprobissimi iuuenis marito Collatino et propinquo Bruto, uiris clarissimis et fortissimis, indicauit eosque ad uindictam constrinxit. Deinde foedi in se commissi aegra adque inpatiens se peremit. Quid dicemus? Adultera haec an casta iudicanda est? Quis in hac controuersia laborandum putauerit? Egregie quidam ex hoc ueraciterque declamans ait: 'Mirabile dictu, duo fuerunt et adulterium unus admisit.' Splendide adque

1 si non *a* 2 consessione C^1 uiolenterque *a* 3 aliena C^1 4 faciat $L\,\Lambda^1\,C^1$ cum, cu *m. 2 in ras.*, *C* 5 pendit C^1 9 prespicuae C^1 10 confessione *e* 12 conconbenti C^1; con|cumuenti *L* (n *radendo ex* m *corr.*). Λ 15 mentis C^1 17 c/um, *ex* quum *corr.*, *C* 18 tarquini L^1 liuidinose *L* Λ potius e^1 19 inprouiss. *L* Λ marito, o *ex* u *corr.*, *C* conlatino *b e* 20 et fort. *L* Λ *e p v*; ac fort. *C a b* 22 premit C^1 quod C^1 dicimus *C* iudic.] dicenda L^1 23 lauor. *L* Λ potauerit C^1 egregiae *C* 24 mirauile *L* Λ; mirabile, e *m. 2 in* j *corr.*, *C*

uerissime. Intuens enim in duorum corporum commixtione unius inquinatissimam cupiditatem, alterius castissimam uoluntatem, et non quid coniunctione membrorum, sed quid animorum diuersitate ageretur adtendens: 'Duo, inquit, fuerunt, et adulterium unus admisit.'

Sed quid est hoc, quod in eam grauius uindicatur, quae adulterium non admisit? Nam ille patria cum patre pulsus est, haec summo est mactata supplicio. Si non est illa inpudicitia qua inuita obprimitur, non est haec iustitia qua casta punitur. Vos appello, leges iudicesque Romani. Nempe post perpetrata facinora nec quemquam scelestum indemnatum inpune uoluistis occidi. Si ergo ad uestrum iudicium quisquam deferret hoc crimen uobisque probaretur non solum indemnatam, uerum etiam castam et innocentem interfectam esse mulierem, nonne eum, qui id fecisset, seueritate congrua plecteretis? Hoc fecit illa Lucretia; illa, illa sic praedicata Lucretia innocentem, castam, uim perpessam Lucretiam insuper interemit. Proferte sententiam. Quod si propterea non potestis, quia non adstat quam punire possitis, quur interfectricem innocentis et castae tanta praedicatione laudatis? Quam certe aput infernos iudices etiam tales, quales poetarum uestrorum carminibus cantitantur, nulla ratione defenditis, constitutam inter illos scilicet,

> qui sibi letum
> Insontes peperere manu lucemque perosi
> Proiecere animas;

cui ad superna redire cupienti

24 Verg. Aen. 6, 434 sqq.

4 inquid $L\,\Lambda\,C^1$ 7 Nam *om. e* 8 suplicio $L\,\Lambda\,C^1$ 9 comprimitur *b q* iniustitia *a* 11 quamquam C^1 12 uoluistis imp. occidi *a* 13 prouaretur $L\,\Lambda$ 15 qui id] quid C^1 16 illa illa $L\,\Lambda\,C^1\,a\,p\,k\,v$; illa $C^2\,b\,e\,q\,\alpha\,f$ 17 lucretiam lucretia *a* insuper *sup. lin. a* 18 interimit C^1 19 adstat $L\,\Lambda\,C\,e\,p$; astat $a\,q\,v$ *Domb.* postanta, *omissis* sitis quur ... castae, *e* 20 castae *sup. lin. m. 1 L* 23 inter illos scilicet $L\,\Lambda$; scil int. illos *C rell. v* 24 loetum *a e* 26 proicere $L^1\,\Lambda^1$ 27 redire *ex* federe *corr. C*

Fas obstat, tristisque palus inamabilis undae
Adligat.

An forte ideo ibi non est, quia non insontem, sed male sibi consciam se peremit? Quid si enim (quod ipsa tantummodo nosse poterat) quamuis iuueni uiolenter inruenti etiam sua libidine inlecta consensit idque in se puniens ita doluit, ut morte putaret expiandum? Quamquam ne sic quidem se occidere debuit, si fructuosam posset aput deos falsos agere paenitentiam. Verum tamen si forte ita est falsumque est illud, quod duo fuerunt et adulterium unus admisit, sed potius ambo adulterium commiserunt, unus manifesta inuasione, altera latente consensione, non se occidit insontem, et ideo potest a litteratis eius defensoribus dici non esse aput inferos inter illos, 'qui sibi letum insontes peperere manu.' Sed ita haec causa ex utroque latere coartatur, ut, si extenuatur homicidium, adulterium confirmetur; si purgatur adulterium, homicidium cumuletur; nec omnino inuenitur exitus, ubi dicitur: 'Si adulterata, quur laudata; si pudica, quur occisa?'

Nobis tamen hoc tam nobili feminae huius exemplo ad istos refutandos, qui Christianis feminis in captiuitate compressis alieni ab omni cogitatione sanctitatis insultant, sufficit quod in praeclaris eius laudibus dictum est: 'Duo fuerunt et adulterium unus admisit.' Talis enim ab eis Lucretia magis credita est, quae se nullo adulterino potuerit maculare consensu. Quod ergo se ipsam, quoniam adulterum pertulit, etiam non adultera occidit, non est pudicitiae caritas, sed pudoris infir-

1] ib. u. 438

1 fata obstant $q^2 v$ tristisque $L \Lambda C a e p \alpha k f$; tristique $b q^2 v$ innabilis $a q v$ undae $L \Lambda C e p \alpha^1 k^1$; unda $a b \alpha^2 k^2 f v$; un alligat, *in marg.* da, q 3 ibi ideo a 5 sua, *m. 2* suj, C 6 libine C^1; liuidine $L \Lambda$ 7 ne $L \Lambda C^1 a b p q \alpha k^1$; nec $C^2 e k^2 f v$ occidere se v 8 posset *post* falsos *habet* a 9 falsum quidem est e 10 ad adulter. p 12 non] et non q; nec α 13 inter illos *m. 1 sup. lin.* L; inter eos C 17 adultera e 19 hoc $L \Lambda C^1 p$; in hoc $C^2 a b q v$ *Domb.* 20 conpressis, sis *m. 2 in ras.*, C 21 ab ... insultant *om.* e cogitat.] contagione a 25 adulterium $\Lambda^2 a$ 26 adultera $L \Lambda C^2 b e p q \alpha k f$; adulterata $C^1 v$

mitas. Puduit enim eam turpitudinis alienae in se commissae etiamsi non secum, et Romana mulier, laudis auida nimium, uerita est ne putaretur, quod uiolenter est passa cum uiueret, libenter passa si uiueret. Unde ad oculos hominum testem mentis suae illam poenam adhibendam putauit, quibus conscientiam demonstrare non potuit. Sociam quippe facti se credi erubuit, si, quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Non hoc fecerunt feminae Christianae, quae passae similia uiuunt tamen nec in se ultae sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua, si, quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illae in se ipsis homicidia erubescendo committerent. Habent quippe intus gloriam castitatis, testimonium conscientiae; habent autem coram oculis Dei sui nec requirunt amplius, ubi quid recte faciant non habent amplius, ne deuient ab auctoritate legis diuinae, cum male deuitant offensionem suspicionis humanae.

CAPUT XX.

Nullam esse auctoritatem, quae Christianis in qualibet causa ius uoluntariae necis tribuat.

Neque enim frustra in sanctis canonicis libris nusquam nobis diuinitus praeceptum permissumue reperiri potest, ut uel ipsius adipiscendae inmortalitatis uel ullius cauendi carendiue mali causa nobismet ipsis necem inferamus. Nam et prohibitos nos esse intellegendum est, ubi lex ait: Non occides, praesertim quia non addidit: 'proximum tuum', sicut falsum testimonium cum uetaret: Falsum, inquit,

26 Exod. 20, 13. 16

1 commissae, o *ex* u *corr.*, *C* 2 abida *L* Λ 3 biberet *L* Λ 4 uiberet *L* testem ment. suae *L* Λ *p;* ment. s. t. *C rell. v* 5 athib. *L* Λ 6 demonstrari Λ[1] 9 uibunt *L* Λ uiuunt tamen *Domb.;* uiuunt. Tamen *v* 10 quoniam] quando *e* 12 eruuescendo *L;* erubiscendo *C* 14 ubi.... habent *om. a* 15 amplius habent *v* debient. *L*[1] autoritate *C*[1] 16 debitant *L* Λ 19 attribuat *p q* 21 repperiri *L* Λ *C*[1] *e* 22 carendi cauendiue *v* 23 nobismed *C* 24 prohibitus *C*[1] 25 occidis *C*[1] qui[a], a *m. 1 superscr.*, *L* addit *C*[1] 26 sicut *usque ad* tuum *p. 38, 1 om. e*[1] sicuti *L* inquid *C*[1]

testimonium non dices aduersus proximum tuum. Nec ideo tamen si aduersus se ipsum quisquam falsum testimonium dixerit, ab hoc crimine se putauerit alienum, quoniam regulam diligendi proximum a semet ipso dilector accepit, quando quidem scriptum est: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Porro si falsi testimonii non minus reus est qui de se ipso falsum fatetur, quam si aduersus proximum hoc faceret, cum in eo praecepto, quo falsum testimonium prohibetur, aduersus proximum prohibeatur possitque non recte intellegentibus uideri non esse prohibitum, ut aduersus se ipsum quisque falsus testis adsistat: quanto magis intellegendum est non licere homini se ipsum occidere, cum in eo, quod scriptum est: Non occides, nihilo deinde addito, nullus, nec ipse utique cui praecipitur, intellegatur exceptus! Unde quidam hoc praeceptum etiam in bestias ac pecora conantur extendere, ut ex hoc nullum etiam illorum liceat occidere. Quur ergo non et herbas et quicquid humo radicitus alitur ac figitur? Nam et hoc genus rerum, quamuis non sentiat, dicitur uiuere ac per hoc potest et mori, proinde etiam, cum uis adhibetur, occidi. Unde et apostolus, cum de huius modi seminibus loqueretur: Tu, inquit, quod seminas non uiuificatur, nisi moriatur; et in psalmo scriptum est: Occidit uites eorum in grandine. Num igitur ob hoc, cum audimus: Non occides, uirgultum uellere nefas ducimus et Manichaeorum errori insanissime adquiescimus? His igitur deliramentis remotis cum legimus: Non occides,

5 Mt. 22, 39 21 Cor. 15, 36 23 Ps. 78, 47

2 se *om.* $L\,\Lambda$ 5 diligis C^1 8 faceret *ex* fecerit *corr.* C quod C 9 perhibetur C^1 12 cum *om.* $L^1\,C^1$ 13 occidis C^1 *post* occides *in* C *uocula quaedam* (ut *?* et *?*) *erasa est* 16 ut///ex, *eraso ut uidetur* nec, C etiam nullum eorum *q* etiam i l orum L 17 ergo non C; ergo nou L; non ergo *rell. v* 18 alitur *sup. lin.* C 19 bibere $L\,\Lambda$ 20 athib. $L\,\Lambda$ 21 huius modi C huiusseminibus modi L; huiusmodiminibus se Λ; huiuscemodi sem. *rell. v* inquid $L\,\Lambda\,C^1$ 23 ab Λ 24 audiuimus *e* occidis C^1 25 et ... adquiescimus *in marg. e* erroribus α 26 deleram. C^1

si propterea non accipimus hoc dictum de frutectis esse, quia nullus eis sensus est, nec de inrationabilibus animantibus, uolatilibus natatilibus, ambulatilibus reptilibus, quia nulla nobis ratione sociantur, quam non eis datum est nobiscum habere communem (unde iustissima ordinatione creatoris et uita et mors eorum nostris usibus subditur): restat ut de homine intellegamus, quod dictum est: Non occides, nec alterum ergo nec te. Neque enim qui se occidit aliud quam hominem occidit.

CAPUT XXI.

De interfectionibus hominum, quae ab homicidii crimine excipiuntur.

Quasdam uero exceptiones eadem ipsa diuina fecit auctoritas, ut non liceat hominem occidi. Sed his exceptis, quos Deus occidi iubet siue data lege siue ad personam pro tempore expressa iussione, (non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius utenti; et ideo nequaquam contra hoc praeceptum fecerunt, quo dictum est: Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt aut personam gerentes publicae potestatis secundum eius leges, hoc est iustissimae rationis imperium, sceleratos morte punierunt; et Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, uerum etiam laudatus est nomine pietatis, quod uoluit filium nequaquam scelerate, sed oboedienter occidere; et merito quaeritur utrum pro iussu Dei sit habendum, quod Iephte

22 Gen. 22

1 si *om.* L^1 Λ C^1 accepimus Λ de frutectis esse L Λ; esse de fr. *rell. v* fructetis e^1 2 est eis sensus *v* inrationabilibus L^1 b k^2 f; in rationabilibus C; inrationalibus L^2 Λ a e p α k^1 *v Domb.* anim. irrat. *v* 3 natatilibus *om.* b^1; nabilibus q ambulantibus Λ p q α f^1 4 quam C^1, qūąm (quoniam *?*) C^2 8 //alterum *ex* adulterum *corr.* C 13 Quasdam . . eadem *m. 1 in mary.* e 14 non *om.* a iubet deus occidi C 15 a persona e 16 minest. C^1 17 amminiculum L Λ 18 quod C Λ 19 qui dō//, *ex* quidem *corr.*, C^1 25 Iepthe L C; iepthae Λ; iepte a e

filiam, quae patri occurrit, occidit, cum id se uouisset immolaturum Deo, quod ei redeunti de proelio uictori primitus occurrisset; nec Samson aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus obpressit, nisi quia spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat) — his igitur exceptis, quos uel lex iusta generaliter uel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidi iubet, quisquis hominem uel se ipsum uel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

CAPUT XXII.

An umquam possit mors uoluntaria ad magnitudinem animi pertinere.

Et quicumque hoc in se ipsis perpetrauerunt, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientiae sanitate laudandi sunt. Quamquam si rationem diligentius consulas, ne ipsa quidem animi magnitudo recte nominabitur, ubi quisque non ualendo tolerare uel quaeque aspera uel aliena peccata se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quae ferre non potest uel duram sui corporis seruitutem uel stultam uulgi opinionem, maiorque animus merito dicendus est, qui uitam aerumnosam magis potest ferre quam fugere et humanum iudicium maximeque uulgare, quod plerumque caligine erroris inuoluitur, prae conscientiae luce ac puritate contemnere. Quam ob rem si magno animo fieri putandum est, cum sibi homo ingerit mortem, ille potius Theobrotus in hac animi

1 Iudic. 11, 30 sqq. 3 Iudic. 16, 30

1 cum, c *m. 2 in ras.*, *C;* quum *L* Λ se immol. deo id uouisset *v* 2 de *om.* C^1 3 samso*n* *L;* sampson *C* 10 Anumquam *C;* Quod nunq. *p q v* 15 nominabitur *L* Λ *C;* nominatur *rell. v Domb.* 16 ipsum *e* interimit C^1 17 mens *om. a* 20 magis erumnosam *L* Λ 22 inuolbitur *C* 24 theobrotus *C b e p q;* theobrutus *L* Λ; clemobrotus *a*; Cleombrotus (*Cic. Tusc. I, 34, 84*) *v Domb.* (*fidem habere malui libris mss. quam corrigere errorem auctoris memoria ut uidetur falsi. similis error supra p. 9, 30 in* Catonis *nomine apparuit.*)

magnitudine reperitur, quem ferunt lecto Platonis libro, ubi de inmortalitate animae disputauit, se praecipitem dedisse de muro adque ita ex hac uita emigrasse ad eam, quam credidit esse meliorem. Nihil enim urguebat aut calamitatis aut criminis seu uerum seu falsum, quod non ualendo ferre se auferret; sed ad capessendam mortem adque huius uitae suauia uincla rumpenda sola adfuit animi magnitudo. Quod tamen magne potius factum esse quam bene testis ei esse potuit Plato ipse quem legerat, qui profecto id praecipue potissimumque fecisset uel etiam praecepisset, nisi ea mente, qua inmortalitatem animae uidit, nequaquam faciendum, quin etiam prohibendum esse iudicasset.

At enim multi se interemerunt, ne in manus hostium peruenirent. Non modo quaerimus utrum sit factum, sed utrum fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda est, cui quidem et exempla concordant, sed illa, quae tanto digniora sunt imitatione, quanto excellentiora pietate. Non fecerunt patriarchae, non prophetae, non apostoli, quia et ipse Dominus Christus, quando eos, si persecutionem paterentur, fugere admonuit de ciuitate in ciuitatem, potuit admonere ut sibi manus inferrent, ne in manus persequentium peruenirent. Porro si hoc ille non iussit aut monuit, ut eo modo sui ex hac uita emigrarent, quibus migrantibus mansiones aeternas praeparaturum esse se promisit, quaelibet exempla proponant

20 Mt. 10, 23 24 Io. 14, 2

1 plat/onis, i *eras.*, *C* 3 ita *sup. lin. L* migrasse Λ *b v* 4 urguebat *L* Λ¹ *C* 6 capiss. *C*¹ huius *L* Λ *b*¹ *p*; ad huius *C rell. v Domb.* suabia *L* Λ uincla *mss.*; uincula *v* 7 sola *sup. lin. e* 8 potuit esse *v* 10 praecepisset, *superscripto m. 2* fieri, *L*; praecip. *C*¹ quammortalitatem *C* 18 quia, ia *m. 2 in ras.*, *C*; qui *e* 19 persequutionem *L* 20 ammonere *L* Λ 22 si hoc ille *L* Λ *Ċ a b e q k f v*; ille si hoc *p α Domb.* 23 emigrarent *L* Λ *C a e p q α k*² *f*¹; migrarent *b k*¹ *f*²*v* mansiones aeternas *L* Λ *α k f Domb.*; se mansiones (fe *ex* re *corr. C*) aeternas *C a*² *b e p q*; mans. aet. se *v* 24 promisit *L*; se promisit Λ *α Domb.*; se *om. rell.* proponant *L* Λ; opponant *rell. v Domb.*

gentes, quae ignorant Deum, manifestum est hoc non licere colentibus unum uerum Deum.

CAPUT XXIII.

Quale exemplum sit Catonis, qui se uictoriam Caesaris non ferens interemit.

Sed tamen etiam illi praeter Lucretiam, de qua supra [satis] quod uidebatur diximus, non facile reperiunt de cuius auctoritate praescribant, nisi illum Catonem, qui se Uticae occidit; non quia solus id fecit, sed quia uir doctus et probus habebatur, ut merito putetur etiam recte fieri potuisse uel posse quod fecit. De cuius facto quid potissimum dicam, nisi quod amici eius etiam docti quidam uiri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant, inbecillioris quam fortioris animi facinus esse censuerunt, quo demonstraretur non honestas turpia praecauens, sed infirmitas aduersa non sustinens? Hoc et ipse Cato in suo carissimo filio iudicauit. Nam si turpe erat sub uictoria Caesaris uiuere, quur auctor huius turpitudinis filio fuit, quem de Caesaris benignitate omnia sperare praecepit? Quur non et illum secum coegit ad mortem? Nam si eum filium, qui contra imperium in hostem pugnauerat, etiam uictorem laudabiliter Torquatus occidit, quur uictus uicto filio pepercit Cato, qui non pepercit sibi? An turpius erat contra imperium esse uictorem, quam contra decus ferre uictorem? Nullo modo igitur Cato turpe esse iudicauit sub uictore Caesare uiuere; alioquin ab hac turpitudine paterno ferro filium liberaret. Quid [est] ergo, nisi quod filium quantum amauit, cui parci a Caesare et sperauit et uoluit, tantum gloriae ipsius Caesaris,

6 satis *om.* L^1 C 8 praescribunt C^1 utice Λ^1; utiqe Λ^2 10 recte etiam *v* 11 factum C^1 13 dissuadeb/ant, e *eraso*, C inuechillioris $L\Lambda^1$ 14 praecabens $L\Lambda$ 15 sustenens C^1 16 iudicauit *mss.;* indicauit *v* 17 uibere L filio *mss.;* pater filio *v* 18 superare *b* 20 laudauiliter $L\Lambda$ 22 turpis L 23 ferre, *superscripto m. rec.* fuisse, Λ 24 uibere L 25 liueraret L Quid ergo $L\Lambda p\alpha$; quid ergo est *C a b e q k f;* quid est ergo *v Domb.* 27 et *ante* sperauit *om.* Lb^2

ne ab illo etiam sibi parceretur, ut ipse Caesar dixisse fertur, inuidit — [aut] ut aliquid nos mitius dicamus, erubuit?

CAPUT XXIIII.

Quod in ea uirtute, qua Regulus Catone praestantior fuit, multo magis emineant Christiani.

Nolunt autem isti, contra quos agimus, ut sanctum uirum Iob, qui tam horrenda mala in sua carne perpeti maluit quam inlata sibi morte omnibus carere cruciatibus, uel alios sanctos ex litteris nostris summa auctoritate celsissimis fideque dignissimis, qui captiuitatem dominationemque hostium ferre quam sibi necem inferre maluerunt, Catoni praeferamus; sed ex litteris eorum eundem illum M. Catoni Regulum praeferam. Cato enim numquam Caesarem uicerat, cui uictus dedignatus est subici et, ne subiceretur, a se ipso elegit occidi: Regulus autem Poenos iam uicerat imperioque Romano Romanus imperator non ex ciuibus dolendam, sed ex hostibus laudandam uictoriam reportauerat; ab eis tamen postea uictus maluit eos ferre seruiendo quam eis se auferre moriendo. Proinde seruauit et sub Carthaginiensium dominatione patientiam et in Romanorum dilectione constantiam, nec uictum auferens corpus ab hostibus nec inuictum animum a ciuibus. Nec quod se occidere noluit, uitae huius amore fecit. Hoc probauit, cum causa promissi iurisque iurandi ad eosdem hostes, quos grauius in senatu uerbis quam bello armis offenderat, sine ulla dubitatione

2 aut *om.* $L\Lambda Cbp$; et a 8 inlatā sibi mortem C^1 9 ex nostris litt. v 12 eorum eundem illum $Cbpqk f$; eorundem illum $L\Lambda e\alpha$; eorundem illi a; eorum eidem illi v M. catoni regulum $L\Lambda$; catoni regulum, m̃. m̃. *m. 2*, C; Catoni M. regulum p; Marco Catoni Marcum Regulum $abev$ *Domb.* praeferam $L^1\Lambda Cpq$; praeferam' (' = us) L^2; praeferamus $abev$ 14 eligit C^1; delegit $\Lambda\alpha$ 16 *et* 21 cibibus $L\Lambda$ 19 carthagenensium C; carthaginensium Λ^1 20 auferens .... inuictum *corr. m. in marg.* C 22 prouabit L cūausa C^1, causa *omisso* cum, C^2 24 quam bello $L\Lambda Cbp\alpha f$; quam in bello $aeqv$ *Domb.* sine, si *m. 2 in ras.*, C

remeauit. Tantus itaque uitae huius contemtor, cum saeuientibus hostibus per quaslibet poenas eam finire quam se ipse perimere maluit, magnum scelus esse, si se homo interimat, procul dubio iudicauit. Inter omnes suos laudabiles et uirtutis insignibus inlustres uiros non proferunt Romani meliorem, quem neque felicitas corruperit, nam in tanta uictoria mansit pauperrimus, nec infelicitas fregerit, nam ad tanta exitia reuertit intrepidus. Porro si fortissimi et praeclarissimi uiri terrenae patriae defensores deorumque licet falsorum, non tamen fallaces cultores, sed ueracissimi etiam iuratores, qui hostes uictos more ac iure belli ferire potuerunt, hi ab hostibus uicti se ipsos ferire noluerunt et, cum mortem minime formidarent, uictores tamen dominos ferre quam eam sibi inferre maluerunt: quanto magis Christiani, uerum Deum colentes et supernae patriae suspirantes, ab hoc facinore temperabunt, si eos diuina dispositio uel probandos uel emendandos ad tempus hostibus subiugauerit, quos in illa humilitate non deserit, qui propter eos tam humiliter altissimus uenit, praesertim quos nullius militaris potestatis uel talis militiae iura constringunt ipsum hostem ferire superatum. Quis ergo tam malus error obrepit, ut homo se occidat, uel quia in eum peccauit, uel ne in eum peccet inimicus, cum uel peccatorem uel peccaturum ipsum occidere non audeat inimicum?

CAPUT XXV.

Quod peccatum non per peccatum debeat declinari.

At enim timendum est et cauendum, ne libidini subditum corpus inlecebrosissima uoluptate animum adliciat consentire

3 homoterimat (in) *L m. 1 corr.* 4 indicauit *f* uirtutis *L Λ C² a b e p k;* uirtutes *C¹ α f¹;* uirtutibus *q f²;* uirtutum *v* 5 proferent *C* 6 que/felicitas (m neque) *C m. 2 corr.* 7 paurimus *C¹* reuertit *L Λ C a b e¹ q k v;* reuertitur *e² p α f* 8 fortissimum *C* terrae *C¹* 15 dispositione *C* 16 prouandos *L Λ* 17 humilite (ta) *C;* umilitate *L Λ* 18 umiliter *L Λ* uenit altis. *v* nullus *C¹* 20 ferire, *superscripto* r ferre, *a* obrepet *e²* 21 in *om. e¹* ne *m. 2 in fine uersus C* 26 At enim] *inter columnas m. uet. adscriptum est* obiectio, *L* est *m. 2 expunct.* Λ libidine (liuid. *L Λ*) *L Λ C p;* libid. hostili *a b q v Domb.*

peccato. Proinde, inquiunt, non iam propter alienum, sed propter suum peccatum, antequam hoc quisque committat, se debet occidere. Nullo modo quidem hoc faciet animus, ut consentiat libidini carnis suae aliena libidine concitatae, qui Deo potius eiusque sapientiae quam corpori eiusque concupiscentiae subiectus est. Verum tamen si detestabile facinus et damnabile scelus est etiam se ipsum hominem occidere, sicut ueritas manifesta proclamat, quis ita desipiat ut dicat: 'Iam nunc perpetremus homicidium, ne postea forte incidamus in adulterium'? Nonne si tantum dominatur iniquitas, ut non innocentia, sed peccata potius eligantur, satius est incertum de futuro adulterium quam certum de praesenti homicidium? Nonne satius est flagitium committere, quod paenitendo sanetur, quam tale facinus, ubi locus salubris paenitentiae non relinquitur? Haec dixi propter eos uel eas, quae non alieni, sed proprii peccati deuitandi causa, ne sub alterius libidine etiam excitatae suae forte consentiant, uim sibi, qua moriantur, inferendam putant. Ceterum absit a mente Christiana, quae Deo suo fidit in eoque spe posita eius adiutorio nititur, absit, inquam, ut mens talis quibuslibet carnis uoluptatibus ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa concupiscentialis inoboedientia, quae adhuc in membris moribundis habitat, praeter nostrae uoluntatis legem quasi lege sua mouetur, quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis!

2 hoc *m. 1 sup. lin. L* quisque///conmittat, *erasis duabus uel tribus litteris, L* 4 liuid. *L Λ* concitatae *L Λ C*^{1} *a q;* concitante *C*^{2} *b e p α k*^{2} *f* 5 corpori eiusque concupiscentiae (concentiae *m. 1 corr. L*) *L Λ e p α;* corpori concupiscentiaeque *a b q k f;* corporis concupiscentiae *v;* corpori uoluptatique *C Domb.* 6 detestauile *L* 7 damnauile *L Λ* 8 manifestat *C* 9 forte postea *v* 11 pot. pecc. *v* 16 euitandi *L*^{1} 18 in deo *a e* 20 quibuslibet *L Λ C p α;* cuiuslibet *a b e q k f v* 22 ad hoc *C*^{1} 23 quasi, a *m. 2. in ras., C;* quasi | si, si *in initio proximi uersus repetitum, L* absque, abs *om.* Λ^{4} 24 in corpore . . . . culpa est *om. b*^{1} *e*^{1}

CAPUT XXVI.

De his, quae fieri non licent, cum a sanctis facta noscuntur, qua ratione facta credenda sint.

Sed quaedam, inquiunt, sanctae feminae tempore persecutionis, ut insectatores suae pudicitiae deuitarent, in rapturum adque necaturum se fluuium proiecerunt eoque modo defunctae sunt earumque martyria in catholica ecclesia ueneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temere audeo iudicare. Utrum enim ecclesiae aliquibus fide dignis testificationibus, ut earum memoriam sic honoret, diuina persuaserit auctoritas, nescio; et fieri potest ut ita sit. Quid si enim hoc fecerunt, non humanitus deceptae, sed diuinitus iussae, nec errantes, sed oboedientes? sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere. Cum autem Deus iubet seque iubere sine ullis ambagibus intimat, quis oboedientiam in crimen uocet? quis obsequium pietatis accuset? Sed non ideo sine scelere facit, quisquis Deo filium immolare decreuerit, quia hoc Abraham etiam laudabiliter fecit. Nam et miles cum oboediens potestati, sub qualibet legitime constitutus est, hominem occidit, nulla ciuitatis suae lege reus est homicidii, immo, nisi fecerit, reus est imperii deserti adque contemti; quod si sua sponte adque auctoritate fecisset, crimen effusi humani sanguinis incidisset. Itaque unde punitur si fecit iniussus, inde punietur nisi fecerit iussus. Quod si ita est iubente imperatore, quanto magis iubente creatore! Qui ergo audit non licere se occidere, faciat, si iussit cuius non licet iussa contemnere; tantummodo uideat

4 persequut. $L\,\Lambda$ 5 sua[e pudici]tiae, *inclusae litterae m. 2 in ras.*, C debitarent $L\,\Lambda$ 6 flubium $L\,\Lambda$ 8 timere C^1 audeo temere a 9 digni C^1 10 diuinae C^1 13 samson $L\,\Lambda\,C^2$; samso C^1; sanson a 15 crimin C^1 qui C^1 17 quis C^1 immolare filium v decreberit $L\,\Lambda$ 19 qualibet $L\,\Lambda\,p$; qua *rell. v Domb.* ligitime C^1 nulla . . . . . homicidii *om.* e^1 22 crimen *mss.*; in crimen v sang. hum. e 23 fecit *mss.*; fecerit v 24 iuuente $L\,\Lambda$ 25 licet C *m. 1 corr.* se *om.* a 26 contempnere $C^1\,a\,e$ uideaturum L

utrum diuina iussio nullo nutet incerto. Nos per aurem conscientiam conuenimus, occultorum nobis iudicium non usurpamus. Nemo scit quid agatur in homine nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Hoc dicimus, hoc adserimus, hoc modis omnibus adprobamus, neminem spontaneam mortem sibi inferre debere uelut fugiendo molestias temporales, ne incidat in perpetuas; neminem propter aliena peccata, ne hoc ipse incipiat habere grauissimum proprium, quem non polluebat alienum; neminem propter sua peccata praeterita, propter quae magis hac uita opus est, ut possint paenitendo sanari; neminem uelut desiderio uitae melioris, quae post mortem speratur, quia reos suae mortis melior post mortem uita non suscipit.

CAPUT XXVII.

An propter declinationem peccati mors spontanea adpetenda sit.

Restat una causa, de qua dicere coeperam, qua utile putatur ut se quisque interficiat, scilicet ne in peccatum inruat uel blandiente uoluptate uel dolore saeuiente. Quam causam si uoluerimus admittere, eo usque progressa perueniet, ut hortandi sint homines tunc se potius interimere, cum lauacro sanctae regenerationis abluti uniuersorum remissionem acceperint peccatorum. Tunc enim tempus est cauendi omnia futura peccata, cum sunt omnia deleta praeterita. Quod si morte spontanea recte fit, quur non tunc potissimum fit? Quur baptizatus sibi quisque parcit? Quur liberatum caput

4 1. Cor. 2, 11

5 ad] probamus *hinc redit d* 7 incedat C^1 8 ipse $C^2 v$; ipso $L\,\Lambda\,C^1\,a\,b\,d\,e\,p\,q\,\alpha\,k^1$ 10 haec $\Lambda^2\,C^2\,\alpha\,k^1$ 11 speratur . . . . . mortem *in marg. e* 12 reus C^1; reum $^{d}_{\alpha}$ suscepit C^1 16 Restat una, *superscripto m. rec.* ergo, Λ 19 amittere L 20 thunc $L\,\Lambda^1$ *et sic semper* potius *om.* $L^1\Lambda^1$ interime^{re} C quum labacro $L\,\Lambda$ 21 aluti^{b} C uniuersorum tempus rem. *e* acceperunt C^1 23 futura . . . omnia *in marg. a* omnia sunt *v* 25 liueratum $L\,\Lambda$

tot rursus uitae huius periculis inserit, cum sit facillimae potestatis inlata sibi nece omnia deuitare scriptumque sit: Qui amat periculum, incidet in illud? Quur ergo amantur tot et tanta pericula uel certe, etiamsi non amantur, suscipiuntur, cum manet in hac uita, cui abscedere licitum est? An uero tam insulsa peruersitas cor euertit et a consideratione ueritatis auertit, ut, si se quisque interimere debet, ne unius captiuantis dominatu conruat in peccatum, uiuendum sibi existimet, ut ipsum perferat mundum per omnes horas tentationibus plenum, et talibus, qualis sub uno domino formidatur, et innumerabilibus ceteris, sine quibus haec uita non ducitur? Quid igitur causae est, quur in eis exhortationibus tempora consumamus, quibus baptizatos adloquendo studemus accendere siue ad uirginalem integritatem siue ad continentiam uidualem siue ad ipsam tori coniugalis fidem, cum habeamus meliora et ab omnibus peccandi periculis remota conpendia, ut, quibuscumque post remissionem recentissimam peccatorum adripiendam mortem sibique ingerendam persuadere potuerimus, eos ad Dominum saniores purioresque mittamus? Porro si, quisquis hoc adgrediendum et suadendum putat, non dico desipit, sed insanit: qua tandem fronte homini dicit: 'Interfice te, ne paruis tuis peccatis adicias grauius, dum uiuis sub domino barbaris moribus inpudico', qui non potest nisi sceleratissime dicere: 'Interfice te peccatis tuis omnibus absolutis, ne rursus talia uel etiam peiora committas, dum

3 Eccli. 3, 27

1 inserit, *m. 2 superscripto* se, *e* 3 incidet $L\Lambda a b p \alpha k^2$; incidit $C q k^1 f v$ 4 amatur C^1 5 cum *C*; cur *e* 7 debet, a *m. 1, L*; debeat $\Lambda e \alpha$ 8 captiuantis, uan, *m. 2 in ras., C* et uiuendum *e* uibend. $L\Lambda$ 9 oras $L\Lambda$ 10 talibus, bu *m. 1 sup. lin., L* qualis . . . formidatur $L\Lambda C a b d p q \alpha k f$; quales . . . formidantur *e v* sub uno domino] sub uno χ̄po *p* 12 exortat. *L*; exorat. Λ 13 consummamus *C* uaptiziatos *L* 14 contenentiam C^1 19 poterimus *e* deum *α* puriorisque C^1 20 quis L^1 huc C^1 21 fronte/, m *eraso, C* 22 interficite C^1 23 uibis $L\Lambda$. 24 interficere *C*

uiuis in mundo tot inpuris uoluptatibus inlecebroso, tot nefandis crudelitatibus furioso, tot erroribus et terroribus inimico'? Hoc quia nefas est dicere, nefas est profecto se occidere. Nam si hoc sponte faciendi ulla causa iusta esse posset, procul dubio iustior quam ista non esset. Quia uero nec ista est, ergo nulla est.

CAPUT XXVIII.

Quo iudicio Dei in corpora continentium libido hostilis peccare permissa sit.

Non itaque uobis, o fideles Christi, sit taedio uita uestra, si ludibrio fuit hostibus castitas uestra. Habetis magnam ueramque consolationem, si fidam conscientiam retinetis non uos consensisse peccatis eorum, qui in uos peccare permissi sunt. Quod si forte, quur permissi sint, quaeritis, alta quidem est prouidentia creatoris mundi adque rectoris, et inscrutabilia sunt iudicia eius et inuestigabiles uiae eius; uerum tamen interrogate fideliter animas uestras, ne forte de isto integritatis et continentiae uel pudicitiae bono uos inflatius extulistis et humanis laudibus delectatae in hoc etiam aliquibus inuidistis. Non accuso quod nescio, nec audio quod uobis interrogata uestra corda respondent. Tamen si ita esse responderint, nolite admirari hoc uos amisisse, unde hominibus placere gestistis, illud uobis remansisse, quod ostendi hominibus non potest. Si peccantibus non consensistis, diuinae gratiae, ne amitteretur, diuinum accessit auxilium; humanae gloriae, ne amaretur, humanum successit obprobrium. In utroque consolamini, pusillanimes, illinc probatae hinc castigatae, illinc iustificatae hinc emendatae. Quarum uero

15 Rom. 11, 33

13 quin *C* 14 sunt .... permissi *om.* e^1 15 inscrutauilia *L* Λ 16 inuestigauiles *L* Λ 21 corda uestra *v* 22 admirari Λ *C;* ammirari *L;* mirari *a b d e p q v* amisse *C* 24 consistis *L* m. *1 corr.* 27 pusillian. *C* prouatae *L*

corda interrogata respondent numquam se de bono uirginitatis uel uiduitatis uel coniugalis pudicitiae superbisse, sed humilibus consentiendo de dono Dei cum tremore exultasse, nec inuidisse cuiquam paris excellentiam sanctitatis et castitatis, sed humana laude postposita, quae tanto maior deferri solet, quanto est bonum rarius quod exigit laudem, optasse potius ut amplior earum numerus esset, quam ut ipsae in paucitate amplius eminerent: nec istae, quae tales sunt, si earum quoque aliquas barbarica libido conpressit, permissum hoc esse causentur, nec ideo Deum credant ista neglegere, quia permittit quod nemo inpune committit. Quaedam enim ueluti pondera malarum cupiditatum et per occultum praesens diuinum iudicium relaxantur et manifesto ultimo reseruantur. Fortassis autem istae, quae bene sibi sunt consciae non se ex isto castitatis bono cor inflatum extulisse, et tamen uim hostilem in carne perpessae sunt, habebant aliquid latentis infirmitatis, quae posset in superbiae fastum, si hanc humilitatem in uastatione illa euasissent, extolli. Sicut ergo quidam morte rapti sunt, ne malitia mutaret intellectum eorum, ita quiddam ab istis ui raptum est, ne prosperitas mutaret modestiam earum. Utrisque igitur, quae de carne sua, quod turpem nullius esset perpessa contactum, uel iam superbiebant uel superbire, si nec hostium uiolentia contrectata esset, forsitan poterant, non ablata est castitas, sed humilitas persuasa; illarum tumori succursum est inmanenti, istarum occursum est inminenti.

2 Rom. 12, 16 18 Sap. 4, 11

1 uirgitatis C^1 2 superbisse (superuisse $L\,\Lambda$) *mss.;* superbiisse *v* 3 cum, um *m. 2 in ras.*, *C* 4 caritatis *C* 5 de/|ferri, f *in fine uersus eras.*, *C* 7 amplius *C* earum amplior *v* pauci/tate *C* 8 emenerent C^1 quae *sup. lin.* Λ 9 conpraessit *C* 10 deum credant $L\,\Lambda\,p$ *Domb.;* credant deum *C e q v* negligere C^2 11 uelut L^1 14 consciae sunt *e* conscie/////, ntiae *eras.*, Λ 15 extullisse *e* 17 superuiae L^1 18 euasisset C^1 21 nullus C^1 esset perpessa $L\,\Lambda\,C\,b\,d\,p;$ essent perpessae $a\,e\,q\,\alpha^2\,k^2\,f$ 22 superuiebant $L\,\Lambda$ 23 contrectata esset C^2 24 tumorifcursum L *m. 1 corr.;* tumori succursum $\Lambda\,e\,p\,q;$ timoris occursum $C^1;$ tumoris occursum $C^2;$ tumoris occursum *d;* tumori occursum *a* 25 in manentistarum *C*

Quamquam et illud non sit tacendum, quod quibusdam, quae ista perpessae sunt, potuit uideri continentiae bonum in bonis corporalibus deputandum et tunc manere, si nullius libidine corpus adtrectaretur; non esse autem positum in solo adiuto diuinitus robore uoluntatis, ut sit sanctum et corpus et spiritus; nec tale bonum esse, quod inuito animo non possit auferri; qui error eis fortasse sublatus est. Cum enim cogitant, qua conscientia Deo seruierint, et fide inconcussa non de illo sentiunt, quod ita sibi seruientes eumque inuocantes deserere ullo modo potuerit, quantumque illi castitas placeat dubitare non possunt, uident esse consequens nequaquam illum fuisse permissurum, ut haec acciderent sanctis suis, si eo modo perire posset sanctitas, quam contulit eis et diligit in eis.

CAPUT XXVIIII.

Quid familia Christi respondere debeat infidelibus, cum exprobrant, quod eam a furore hostium non liberauerit Christus.

Habet itaque omnis familia summi et ueri Dei consolationem suam, non fallacem nec in spe rerum nutantium uel labentium constitutam, uitamque etiam ipsam temporalem minime paenitendam, in qua eruditur ad aeternam, bonisque terrenis tamquam peregrina utitur nec capitur, malis autem aut probatur aut emendatur. Illi uero, qui probitati eius insultant eique dicunt, cum forte in aliqua temporalia mala deuenerit: Ubi est Deus tuus? ipsi dicant, ubi sint di eorum, cum talia

24 Ps. 41, 4

2 istae Λ 3 corporilibus C^1 nullis C^1 liuidine L Λ 4 esse autem L Λ; autem *om.* p^1; autem esse C *rell.* v adiutorio a e 5 diuino, *superscripto* ł diuinitus, a rouore L Λ sit *sup. lin.* C 6 inbitq L Λ 8 quae C^1 9 inuocantes L Λ C^1; ita inuoc. C^2 *rell.* v *Domb.* 10 nullo C 13 possit C^1; posse/t, n *eraso*, L 15 infedilibus C 17 liberauit p 18 omnes C^1 19 lauent. L Λ 21 eroditur C^1 22 prouatur L Λ 23 illi] c. XXVIIII C probitati (prouit. L Λ) *codd.*; probationi v 24 deuenerint C^2 e 25 sunt e

patiuntur, pro quibus euitandis eos uel colunt uel colendos esse contendunt. Nam ista respondet: Deus meus ubique praesens, ubique totus, nusquam inclusus, qui possit adesse secretus, abesse non motus; ille cum me aduersis rebus exagitat, aut merita examinat aut peccata castigat mercedemque mihi aeternam pro toleratis pie malis temporalibus seruat; uos autem qui estis, cum quibus loqui dignum sit saltem de dis uestris, quanto minus de Deo meo, qui terribilis est super omnes deos, quoniam di gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit.

CAPUT XXX.

Quam pudendis prosperitatibus afluere uelint, qui de Christianis temporibus conqueruntur.

Si Nasica ille Scipio uester quondam pontifex uiueret, quem sub terrore belli Punici in suscipiendis Phrygiis sacris, cum uir optimus quaereretur, uniuersus senatus elegit, cuius os fortasse non auderetis aspicere, ipse uos ab hac inpudentia cohiberet. Quur enim adflicti rebus aduersis de temporibus querimini Christianis, nisi quia uestram luxuriam cupitis habere securam et perditissimis moribus remota omni molestiarum asperitate diffluere? Neque enim propterea cupitis habere pacem et omni genere copiarum abundare, ut his bonis honeste utamini, hoc est modeste sobrie, temperanter pie, sed ut infinita uarietas uoluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quae saeuien-

8 Ps. 95, 4 sq.

1 euitandis, s *sup. lin.*, *C* 2 ubique praesens *om.* b^1 3 praesens *L* Λ C^1 *a* b^2 *p*; praesens est C^2 *e q v Domb.* 5 exami^{nat}/aut, *m. 1 ex* exa^{minat} *corr.*, *L*; exagi^{tat} *m. 2 corr. C* 7 saltim *C a d* 9 quon. omnes dii Λ 12 afluere *C* (*cf. Domb. in Fleckeiseni Ann. phil. 1877, t. 115. p. 341 sq.*); affluere prosperit. *p* 14 uiberet *L* Λ 16 eligit C^1 19 quaeremini C^1 luxoriam *C* 22 cupiarum C^1 23 utamini, a *m. 2 in ras.*, *C* subrie C^1 25 sebientibus *L* Λ

tibus peiora sunt hostibus. At ille Scipio pontifex maximus uester, ille iudicio totius senatus uir optimus, istam uobis metuens calamitatem nolebat aemulam tunc imperii Romani Carthaginem dirui et decernenti ut dirueretur contradicebat Catoni, timens infirmis animis hostem securitatem, et tamquam pupillis ciuibus idoneum tutorem necessarium uidens esse terrorem. Nec eum sententia fefellit: re ipsa probatum est quam uerum diceret. Deleta quippe Carthagine magno scilicet terrore Romanae rei publicae depulso et extincto tanta de rebus prosperis orta mala continuo subsecuta sunt, ut corrupta diruptaque concordia prius saeuis cruentisque seditionibus, deinde mox malarum conexione causarum bellis etiam ciuilibus tantae strages ederentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum ac rapinarum ferueret inmanitas, ut Romani illi, qui uita integriore mala metuebant ab hostibus, perdita integritate uitae crudeliora paterentur a ciuibus; eaque ipsa libido dominandi, quae inter alia uitia generis humani meracior inerat uniuerso populo Romano, postea quam in paucis potentioribus uicit, obtritos fatigatosque ceteros etiam iugo seruitutis obpressit.

CAPUT XXXI.

Quibus uitiorum gradibus aucta sit in Romanis cupido regnandi.

Nam quando illa quiesceret in superbissimis mentibus, donec continuatis honoribus ad potestatem regiam perueniret? Honorum porro continuandorum facultas non esset, nisi ambitio praeualeret. Minime autem praeualeret ambitio, nisi in populo auaritia luxuriaque corrupto. Auarus uero luxuriosusque popu-

1 sunt *L* Λ; sint *C rell. v Domb.* 4 derueretur *C* 6 *et* 16 cibibus *L* Λ 7 prouatum *L* Λ 8 quam, *m. 2 ex* cum *corr., C* 11 diruptaque *L* Λ; disrupt. *C rell. v* 12 cibilibus *L* Λ 14 immanitus C^1 15 uita/, m *eraso, C* 17 liuido *L* Λ 18 meratior C^1 19 obritos $L\Lambda^1$; obrutos $p^{os}\alpha$ 24 quiesciret C^1 superuiss. *L* Λ 28 luxoriaque *C* luxoriusque *C*

lus secundis rebus effectus est, quas Nasica ille prouidentissime cauendas esse censebat, quando ciuitatem hostium maximam fortissimam opulentissimam nolebat auferri, ut timore libido premeretur, libido pressa non luxuriaretur luxuriaque cohibita nec auaritia grassaretur; quibus uitiis obseratis ciuitati utilis uirtus floreret et cresceret eique uirtuti libertas congrua permaneret. Hinc etiam erat et ex hac prouidentissima patriae caritate ueniebat, quod idem ipse uester pontifex maximus, a senatu illius temporis (quod saepe dicendum est) electus sine ulla sententiarum discrepantia uir optimus, caueam theatri senatum construere molientem ab hac dispositione et cupiditate conpescuit persuasitque oratione grauissima, ne Graecam luxuriam uirilibus patriae moribus paterentur obrepere et ad uirtutem labefactandam eneruandamque Romanam peregrinae consentire nequitiae, tantumque auctoritate ualuit, ut uerbis eius commota senatoria prouidentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti ciuitas coeperat, deinceps prohiberet adponi. Quanto studio iste ab urbe Roma ludos ipsos scaenicos abstulisset, si auctoritati eorum, quos deos putabat, resistere auderet, quos esse noxios daemones non intellegebat aut, si intellegebat, placandos etiam ipse potius quam contemnendos existimabat. Nondum enim fuerat declarata gentibus superna doctrina, quae fide cor mundans ad caelestia uel supercaelestia capessenda humili pietate humanum mutaret adfectum et a dominatu superborum daemonum liberaret.

3 noleua/t, n *eras.*, *L* 4 liuido *L* Λ praemeretur L^1C libido (liuido *L* Λ) *L* Λ *a b d e q k f v;* libidine *C p α Domb.* praessa L^1 luxuriaque . . . crassaretur *m. 1 sup. lin. e* 5 coibita *L* Λ 6 liuertas *L* Λ 8 ueniebat, u *et* ie *in ras.*, *C* idem *sup. lin. L* 9 a] e e^1 temp. illius *v* 10 electus *sup. lin. L* 11 et . . . oratione *in marg. e* 13 luxoriam *C* 14 lauefact. *L* Λ enerband. *L* Λ 15 consentirent *e* tantumque, um *m. 2 in ras.*, *C* 16 eius uerbis *v* subselia L^1 20 putauat *L* Λ quos *ante* esse, *om.* C^1 21 esset C^1 aut si intellegebat *om.* Λ^1 22 placandos . . . . . estimabat, *m. 2 in marg. infer.*, *C* existimauat L^1 26 liueraret *L* Λ

CAPUT XXXII.

De scaenicorum institutione ludorum.

Verum tamen scitote, qui ista nescitis et qui uos scire dissimulatis, aduertite, qui aduersus liberatorem a talibus dominis murmuratis: ludi scaenici, spectacula turpitudinum et licentia uanitatum, non hominum uitiis, sed deorum uestrorum iussis Romae instituti sunt. Tolerabilius diuinos honores deferretis illi Scipioni quam deos huius modi coleretis. Neque enim erant illi di suo pontifice meliores. Ecce adtendite, si mens tam diu potatis erroribus ebria uos aliquid sanum cogitare permittit! Di propter sedandam corporum pestilentiam ludos sibi scaenicos exhiberi iubebant; pontifex autem propter animorum cauendam pestilentiam ipsam scaenam constitui prohibebat. Si aliqua luce mentis animum corpori praeponitis, eligite quem colatis! Neque enim et illa corporum pestilentia ideo conquieuit, quia populo bellicoso et solis antea ludis circensibus adsueto ludorum scaenicorum delicata subintrauit insania; sed astutia spirituum nefandorum praeuidens illam pestilentiam iam fine debito cessaturam aliam longe grauiorem, qua plurimum gaudet, ex hac occasione non corporibus, sed moribus curauit inmittere, quae animos miserorum tantis obcaecauit tenebris, tanta foedauit deformitate, ut etiam modo (quod incredibile forsitan erit, si a nostris posteris audietur) Romana urbe uastata, quos pestilentia ista possedit adque inde fugientes Carthaginem peruenire potuerunt, in theatris cottidie certatim pro histrionibus insanirent.

4 liueratorem *L* 5 turpitudinum, u *in extrema syllaba m. 2 in ras., C* 6 licentiã C^1 7 tolerauilius *L* Λ; tolerabili/us, b *eras., C* deferretis, is *m. 1 sup. lin., L* 8 huius modi *L* Λ α b^2p; huius mundi *C*; eius modi b^1 *e q v Domb.* 10 cogitare *L* Λ *p* α; considerare *C a b d e q v Domb.* 12 iuuebant *L* Λ propter labem animorum α 13 constitui *L* Λ; construi *C rell. v Domb.* 16 conquiebit *L* Λ ludis *sup. lin. C* 17 delecta C^1 18 nefandǫ *e* 20 hac *om. L* Λ *p* α 21 immitteret *C* 22 fedauit deform. *L* Λ. *in L transpositio m. 2 notata est;* deform. foed. *C rell. v* 23 incrediuile *L* Λ 24 possidet C^1 26 istrionibus *L* Λ

CAPUT XXXIII.

De uitiis Romanorum, quos patriae non correxit euersio.

O mentes amentes! quis est hic tantus non error, sed furor, ut exitium uestrum, sicut audiuimus, plangentibus orientalibus populis et maximis ciuitatibus in remotissimis terris publicum luctum maeroremque ducentibus uos theatra quaereretis intraretis inpleretis, et multo insaniora quam fuerant antea faceretis? Hanc animorum labem ac pestem, hanc probitatis et honestatis euersionem uobis Scipio ille metuebat, quando construi theatra prohibebat, quando rebus prosperis uos facile corrumpi adque euerti posse cernebat, quando uos securos esse ab hostili terrore nolebat. Neque enim censebat ille felicem esse rem publicam stantibus moenibus, ruentibus moribus. Sed in uobis plus ualuit quod daemones inpii seduxerunt, quam quod homines prouidi praecauerunt. Hinc est quod mala, quae facitis, uobis inputari non uultis, mala uero, quae patimini, Christianis temporibus inputatis. Neque enim in uestra securitate pacatam rem publicam, sed luxuriam quaeritis inpunitam, qui deprauati rebus prosperis nec corrigi potuistis aduersis. Volebat uos ille Scipio terreri ab hoste, ne in luxuriam flueretis: nec contriti ab hoste luxuriam repressistis, perdidistis utilitatem calamitatis, et miserrimi facti estis et pessimi permansistis.

CAPUT XXXIIII.

De clementia Dei, quae Urbis excidium temperauit.

Et tamen quod uiuitis Dei est, qui uobis parcendo admonet, ut corrigamini paenitendo; qui uobis etiam ingratis praestitit,

7 quaeretis C^1 intraretis *bis positum* C 9 lauem $L\Lambda$ ac] hanc *e* hanc probitatis .. euersionem *om. e* prouit. $L\Lambda$ 12 cerneuat $L\Lambda$ securos esse ab hostili terrore $L\Lambda Cp$; ab host. terr. sec. esse *a b d e v Domb.* 13 noleuat $L\Lambda$ Neque enim cens. *om.* Λ censeuat L esse/, m *eras.*, C 15 quodaemones $L^1\Lambda$ 19 peccatam C^1 luxoriam C^1 21 uoleuat $L\Lambda$ 22 flueritis C^1 nec $L\Lambda Ca b d p$; uos nec *q v Domb.* nec . . . luxuriam *om.* e^1 27 uibitis $L\Lambda$ ammonet $L\Lambda$

ut uel sub nomine seruorum eius uel in locis martyrum eius hostiles manus euaderetis. Romulus et Remus asylum constituisse perhibentur, quo quisquis confugeret ab omni noxa liber esset, augere quaerentes creandae multitudinem ciuitatis. Mirandum in honorem Christi processit exemplum. Hoc constituerunt euersores Urbis, quod constituerant antea conditores. Quid autem magnum, si hoc fecerunt illi, ut ciuium suorum numerus subpleretur, quod fecerunt isti, ut suorum hostium numerositas seruaretur?

CAPUT XXXV.

De latentibus inter inpios ecclesiae filiis et de falsis intra ecclesiam Christianis.

Haec et talia, si qua uberius et commodius potuerit, respondeat inimicis suis redemta familia domini Christi et peregrina ciuitas regis Christi. Meminerit sane in ipsis inimicis latere ciues futuros, ne infructuosum uel aput ipsos putet, quod, donec perueniat ad confessos, portat infensos; sicut ex illorum numero etiam Dei ciuitas habet secum, quamdiu peregrinatur in mundo, conexos communione sacramentorum, nec secum futuros in aeterna sorte sanctorum, qui partim in occulto, partim in aperto sunt, qui etiam cum ipsis inimicis aduersus Deum, cuius sacramentum gerunt, murmurare non dubitant, modo cum illis theatra, modo ecclesias nobiscum replentes. De correctione autem quorundam etiam talium multo minus est desperandum, si aput apertissimos aduersarios praedestinati amici latitant, adhuc ignoti etiam sibi. Perplexae quippe sunt istae duae ciuitates in hoc saeculo inuicemque permixtae, donec ultimo iudicio dirimantur; de quarum exortu et procursu et debitis finibus quod dicendum arbitror, quantum diuinitus adiuuabor, expediam propter gloriam ciuitatis Dei, quae alienis a contrario comparatis clarius eminebit.

4 liuer *L* Λ 5 processit *L* Λ *C a b d p q α k f*; praecessit *e v* 6 urbes C^1 8 subpleretur *C*; supleretur *L* Λ 13 et *om.* C^1 et alia Λ *a p*; etaliqua *q* 16 cibes *L* 18 quandiu C^1 24 quorumdam *C* 31 emineuit *L* Λ

CAPUT XXXVI.

De quibus causis sequenti disputatione sit disserendum.

Sed adhuc mihi quaedam dicenda sunt aduersus eos, qui Romanae rei publicae clades in religionem nostram referunt, qua dis suis sacrificare prohibentur. Commemoranda sunt enim quae et quanta occurrere potuerint uel satis esse uidebuntur mala, quae illa ciuitas pertulit uel ad eius imperium prouinciae pertinentes, antequam eorum sacrificia prohibita fuissent; quae omnia procul dubio nobis tribuerent, si iam uel illis clareret nostra religio, uel ita eos a sacris sacrilegis prohiberet. Deinde monstrandum est, quos eorum mores et quam ob causam Deus uerus ad augendum imperium adiuuare dignatus est, in cuius potestate sunt regna omnia, quamque nihil eos adiuuerint hi, quos deos putant, et potius quantum decipiendo et fallendo nocuerint. Postremo aduersus eos dicetur, qui manifestissimis documentis confutati adque conuicti conantur adserere non propter uitae praesentis utilitatem, sed propter eam, quae post mortem futura est, colendos deos. Quae, nisi fallor, quaestio multo erit operosior et subtiliore disputatione dignior, ut et contra philosophos in ea disseratur, non quoslibet, sed qui aput illos excellentissima gloria clari sunt et nobiscum multa sentiunt, et de animae inmortalitate et quod Deus uerus mundum condiderit et de prouidentia eius, qua uniuersum quod condidit regit. Sed quoniam et ipsi in illis, quae contra nos sentiunt, refellendi sunt, deesse huic officio non debemus, ut refutatis inpiis contradictionibus pro uiribus, quas Deus impertiet, adseramus ciuitatem Dei

4 quaedam mihi *q v* aduersum *b* 5 relegionem C^1 6 enim sunt *q v* 7 potuerunt Λ^1 *q* α 9 pertin. prou. *v* 11 relegio C^1 a *m. 1 sup. lin. L* sacrilegiis *L* 12 quos, *m. 2 in* qui *mutat.*, Λ 13 uerus Deus *v* 15 et potius *mss.;* quin potius *v* 17 confutati sunt atque deuicti *q* 20 subtiliore *L* Λ *C a b d e* α k^1; subtiliori *p q* k^2 *f;* sublimiore *v* 23 et de *mss.;* scilicet de *v* 24 Deus uerus *v* condederit C^1 25 condidet C^1

ueramque pietatem et Dei cultum, in quo uno ueraciter sempiterna beatitudo promittitur. Hic itaque modus sit huius uoluminis, ut deinceps disposita ab alio sumamus exordio.

LIBER II.

CAPUT I.

De modo, qui necessitati disputationis adhibendus est.

Si rationi perspicuae ueritatis infirmus humanae consuetudinis sensus non auderet obsistere, sed doctrinae salubri languorem suum tamquam medicinae subderet, donec diuino adiutorio fide pietatis inpetrante sanaretur, non multo sermone opus esset ad conuincendum quemlibet uanae opinationis errorem his, qui recte sentiunt et sensa uerbis sufficientibus explicant. Nunc uero quoniam ille est maior et taetrior insipientium morbus animorum, quo inrationabiles motus suos, etiam post rationem plene redditam, quanta homini ab homine debetur, siue nimia caecitate, qua nec aperta cernuntur, siue obstinatissima peruicacia, qua et ea quae cernuntur non feruntur, tamquam ipsam rationem ueritatemque defendunt, fit necessitas copiosius dicendi plerumque res claras, uelut eas non spectantibus intuendas, sed quodam modo tangendas palpantibus et coniuentibus offeramus. Et tamen quis disceptandi finis erit et loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Nam qui uel non possunt intellegere quod dicitur,

2 h/ic, *radendo ex* haec *corr.*, *C* AVRELI AVGVSTINI EPĪC DE CIVITATE (CIBIT. *L*) DĪ. CONT̄ PAGANOS (PAGANVS *C*) EXP̄ LIBER. Ī. INC̄. II. *L A C* || AURELII AUGUSTINI DE CIVITATE DEI EXPLICIT LIBER PRIM' DE EXCIDIO VRBIS. INCIPIT SECVNDVS *a* 13 opinationis L^2 *b e p q α k v Domb.*; opinionis L^1 A *C ad.* 14 sensū *e* 16 inrationauiles *L A* 17 plane C^1 *e* 19 et ea quae *m. 1 sup. lin. L* eamque tamquam *e* 22 quod ad | modo C^1 conibentibus *L A C*; cohibentibus *e*, *m. rec. in marg. C* 23 et loquendi] eloquendi *C* 24 respontibus C^1

uel tam duri sunt aduersitate mentis, ut, etiamsi intellexerint, non oboediant, respondent, ut scriptum est, et loquuntur iniquitatem adque infatigabiliter uani sunt. Quorum dicta contraria si totiens uelimus refellere, quotiens obnixa fronte statuerint non cogitare quid dicant, dum quocumque modo nostris disputationibus contradicant, quam sit infinitum et aerumnosum et infructuosum uides. Quam ob rem nec te ipsum, [mi] fili Marcelline, nec alios, quibus hic labor noster in Christi caritate utiliter ac liberaliter seruit, tales meorum scriptorum uelim iudices, qui responsionem semper desiderent, cum his quae leguntur audierint aliquid contradici, ne fiant similes earum muliercularum, quas commemorat apostolus semper discentes et numquam ad ueritatis scientiam peruenientes.

CAPUT II.

De his, quae primo uolumine expedita sunt.

Superiore itaque libro, cum de ciuitate Dei dicere instituissem, unde hoc uniuersum opus illo adiuuante in manus sumtum est, occurrit mihi resistendum esse primitus eis, qui haec bella, quibus mundus iste conteritur, maximeque Romanae urbis recentem a barbaris uastationem Christianae religioni tribuunt, qua prohibentur nefandis sacrificiis seruire daemonibus, cum potius hoc tribuere deberent Christo, quod propter eius nomen contra institutum moremque bellorum eis, quo confugerent, religiosa et amplissima loca barbari libera

2 Ps. 93, 4 13 2. Tim. 3, 7

2 obaudiant *a* locuntur C^1 *d e* 3 infatigauiliter $L\,\Lambda$ 4 obnoxia *C* 5 statuerunt *q* cogitare *mss.;* curare *v* 8 mi *om.* $L\,\Lambda^1\,\alpha$; fili mi $q\,f^1\,k^2$ marchelline $L\,\Lambda$ 9 liueraliter $L\,\Lambda$ 10 desiderant *C* 12 muliercularum earum $L\,\Lambda$, *transpositione m. 2 in L notata* 13 discentis C^1 numquam ad uerit. scientiam $L\,\Lambda\,Cp\,\alpha$ *Domb.;* ad uerit. scient. numq. *a b d e q v* 17 superiori $q\,k^2\,f^*$ 19 resistendum *codd. excepto q;* respondendum *q v* 23 tribuere deberent $L\,\Lambda$, *transpositione in L m. 2 notata;* deb. trib. *C rell. v*

praebuerunt, adque in multis famulatum deditum Christo non solum uerum, sed etiam timore confictum sic honorauerunt, ut, quod in eos belli iure fieri licuisset, inlicitum sibi esse iudicarent. Inde incidit quaestio, quur haec diuina beneficia et ad inpios ingratosque peruenerint, et quur itidem illa dura, quae hostiliter facta sunt, pios cum inpiis pariter adflixerint? Quam quaestionem per multa diffusam (in omnibus enim cottidianis uel Dei muneribus uel hominum cladibus, quorum utraque bene ac male uiuentibus permixte adque indiscrete saepe accidunt, solet multos mouere) ut pro suscepti operis necessitate dissoluerem, aliquantum inmoratus sum maxime ad consolandas sanctas feminas et pie castas, in quibus ab hoste aliquid perpetratum est, quod intulit uerecundiae dolorem, etsi non abstulit pudicitiae firmitatem, ne paeniteat eas uitae, quas non est unde possit paenitere nequitiae. Deinde pauca dixi in eos, qui Christianos aduersis illis rebus adfectos et praecipue pudorem humiliatarum feminarum quamuis castarum adque sanctarum proteruitate inpudentissima exagitant, cum sint nequissimi et inreuerentissimi, longe ab eis ipsis Romanis degeneres, quorum praeclara multa laudantur et litterarum memoria celebrantur, immo illorum gloriae uehementer aduersi. Romam quippe partam ueterum auctamque laboribus foediorem stantem fecerant quam ruentem, quando quidem in ruina eius lapides et ligna, in istorum autem uita omnia non murorum, sed morum munimenta adque ornamenta ceciderunt, cum funestioribus eorum corda cupiditatibus quam ignibus tecta illius urbis arderent. Quibus dictis primum terminaui librum. Deinceps itaque dicere institui, quae mala

5 et ad *L Λ C a d e;* etiam ad *q v Domb.* itidem illa *L Λ, transpositione m. 2 in L notata;* illa itidem *rell. v* 9 male ac bene uibentibus *L Λ, transpositione m. 2 in L notata* 10 solet a^2 *e q v;* solent *L Λ C* a^1 *b d p α k f* 12 in quibus in quibus *L* 13 ad hos | te C^1 oste *e* pertratum C^1 14 nec *e* paeneteat C^1 17 pudore *L Λ* 18 scatarū *C* proterbitate *L Λ* 19 et *ante* longe *m. 2 sup. lin. Λ* 20 multa praeclara L^1 *Λ* 22 partum C^1 23 lauoribus *L Λ* 26 c/eciderunt, a *eraso, L* quam si *e* 27 primo b^1*; om.* *α* 28 terminabi *L Λ*

ciuitas illa perpessa sit ab origine sua siue aput se ipsam siue in prouinciis sibi iam subditis, quae omnia Christianae religioni tribuerent, si iam tunc euangelica doctrina aduersus falsos et fallaces eorum deos testificatione liberrima personaret.

CAPUT III.

De adsumenda historia, qua ostendatur, quae mala acciderint Romanis, cum deos colerent, antequam religio Christiana obcresceret.

Memento autem me ista commemorantem adhuc contra inperitos agere, ex quorum inperitia illud quoque ortum est uulgare prouerbium: Pluuia defit, causa Christiani sunt. Nam qui eorum studiis liberalibus instituti amant historiam, facillime ista nouerunt; sed ut nobis ineruditorum turbas infestissimas reddant, se nosse dissimulant adque hoc aput uulgus confirmare nituntur, clades, quibus per certa interualla locorum et temporum genus humanum oportet adfligi, causa accidere nominis Christiani, quod contra deos suos ingenti fama et praeclarissima celebritate per cuncta diffunditur. Recolant ergo nobiscum, antequam Christus uenisset in carne, antequam eius nomen ea, cui frustra inuident, gloria populis innotesceret, quibus calamitatibus res Romanae multipliciter uarieque contritae sint, et in his defendant, si possunt, deos suos, si propterea coluntur, ne ista mala patiantur cultores eorum; quorum si quid nunc passi fuerint, nobis inputanda esse con-

3 aduersos C^1 4 deos eorum $L\,\Lambda$ 6 ostenditur $p\,q^1$ 7 acciderunt p 11 def//it, ic *eras.*, L christianitatis e sunt *om.* a nam qui $L\,\Lambda\,C\,a\,b^1\,d\,e^1\,p\,f$; iam qui α; (*interpunctione mutata:* causa christiani. Sunt) namque qui $b^2\,e^2\,q\,k\,v$ 12 facillime $L\,\Lambda\,C\,a\,b^1\,d\,p\,\alpha\,k^1$; qui facill. $b^2\,e\,q\,k^2\,f$; qua facill. v 13 nouerint Λ^1 14 reddunt C^1 uulgus $L\,\Lambda\,b\,e\,p\,q$; uulgum $C\,d\,f$; uulgum, *in marg.* uulgus, a affirmare q 15 interballa L; inter bella Λ 16 oporte/t, a *eras*, L accedere $C^1\,a$ 20 ea cui e innotisceret C 21 uari/eque, a *eras.*, L 22 sunt b 24 nunc] nec b^1 imputanda $L\,\Lambda\,a\,b\,d\,e\,p\,q\,\alpha\,k\,f$; inputandum $C\,v$ *Domb.* contend///, *margine mutilato*, L; contendunt $\Lambda\,a\,b\,d\,e\,p\,q\,\alpha\,k\,v$; contendant $C\,f$ *Domb.*

tendunt. Quur enim ea, quae dicturus sum, permiserunt accidere cultoribus suis, antequam eos declaratum Christi nomen offenderet eorumque sacrificia prohiberet?

CAPUT IIII.

Quod cultores deorum nulla umquam a dis suis praecepta probitatis acceperint et in sacris eorum turpia quaeque celebrauerint.

Primo ipsos mores ne pessimos haberent, quare di eorum curare noluerunt? Deus enim uerus eos, a quibus non colebatur, merito neglexit; di autem illi, a quorum cultu se prohiberi homines ingratissimi conqueruntur, cultores suos ad bene uiuendum quare nullis legibus adiuuerunt? Utique dignum erat, ut, quo modo isti illorum sacra, ita illi istorum facta curarent. Sed respondetur, quod uoluntate propria quisque malus est. Quis hoc negauerit? Verum tamen pertinebat ad consultores deos uitae bonae praecepta non occultare populis cultoribus suis, sed clara praedicatione praebere, per uates etiam conuenire adque arguere peccantes, palam minari poenas male agentibus, praemia recte uiuentibus polliceri. Quid umquam tale in deorum illorum templis prompta et eminenti uoce concrepuit? Veniebamus etiam nos aliquando adulescentes ad spectacula ludibriaque sacrilegiorum, spectabamus arrepticios, audiebamus synphoniacos, ludis turpissimis, qui dis deabusque exhibebantur, oblectabamur, Caelesti uirgini et Berecynthiae matri omnium, ante cuius lecticam die sollemni lauationis eius talia per publicum cantitabantur a nequissimis scaenicis, qualia,

5 deorum *Cpqv; om. Domb.* 9 enim *om.* C^1 12 uibendum *L* adiuberunt *L* 13 sacrata *L* 14 maluses/t, e *eraso*, *L* 15 consul/tores, i *eraso*, *C* 17 sed] dę, *superscripto m. 2* sed, *e* praeclara *a* praeuere *L* Λ 18 urguere C^1 19 praemia *sup. lin. e* uibentibus *L* 20 illorum *om.* C^1 eminenta e^1 22 et spectabamus Λ; aspectabamus *a* 23 diis abusq; *e* 25 labationis *L* Λ

non dico matrem deorum, sed matrem qualiumcumque senatorum uel quorumlibet honestorum uirorum, immo uero qualia nec matrem ipsorum scaenicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana uerecundia, quod nec ipsa nequitia possit auferre. Illam proinde turpitudinem obscenorum dictorum adque factorum scaenicos ipsos domi suae proludendi causa coram matribus suis agere puderet, quam per publicum agebant coram deum matre spectante adque audiente utriusque sexus frequentissima multitudine. Quae si inlecta curiositate adesse potuit circumfusa, saltem offensa castitate debuit abire confusa. Quae sunt sacrilegia, si illa sunt sacra? aut quae inquinatio, si illa lauatio? Et haec fercula appellabantur, quasi celebraretur conuiuium, quo uelut suis epulis inmunda daemonia pascerentur. Quis enim non sentiat cuius modi spiritus talibus obscenitatibus delectentur, nisi uel nesciens, utrum omnino sint ulli inmundi spiritus deorum nomine decipientes, uel talem agens uitam, in qua istos potius quam Deum uerum et optet propitios et formidet iratos?

CAPUT V.

De obscenitatibus, quibus mater deum a cultoribus suis honorabatur.

Nequaquam istos, qui flagitiosissimae consuetudinis uitiis oblectari magis quam obluctari student, sed illum ipsum Nasicam Scipionem, qui uir optimus a senatu electus est, cuius manibus eiusdem daemonis simulacrum susceptum est in Urbemque peruectum, habere de hac re iudicem uellem. Diceret nobis, utrum matrem suam tam optime de re publica uellet mereri, ut ei diuini honores decernerentur; sicut et Graecos et Romanos aliasque gentes constat quibusdam decre-

3 diceret audere C^1 8 deum $L\,\Lambda\,C^2\,e\,p\,v$; dum C^1; deorum $a\,b\,q$ *Domb.* adque $L\,\Lambda\,p$; et C *rell.* v 10 saltim $\Lambda^2\,C$ 11 sunt] erant $b^1\,q\,k\,f$; erunt b^2 13 conbibium L; conuiū C^1 18 propitius C^1 27 orbemque C 29 et *om.* C 30 quibusdam *om.* a^1 decrebisse L

uisse mortalibus, quorum erga se beneficia magnipenderant, eosque inmortales factos adque in deorum numerum receptos esse crediderant. Profecto ille tantam felicitatem suae matri, si fieri posset, optaret. Porro si ab illo deinde quaereremus, utrum inter eius diuinos honores uellet illa turpia celebrari: nonne se malle clamaret, ut sua mater sine ullo sensu mortua iaceret, quam ad hoc dea uiueret, ut illa libenter audiret? Absit, ut senator populi Romani ea mente praeditus, qua theatrum aedificari in urbe fortium uirorum prohibuit, sic uellet coli matrem suam, ut talibus dea sacris propitiaretur, qualibus matrona uerbis offenderetur. Nec ullo modo crederet uerecundiam laudabilis feminae ita in contrarium diuinitate mutari, ut honoribus eam talibus aduocarent cultores sui, qualibus conuiciis in quempiam iaculatis, cum inter homines uiueret, nisi aures clauderet seseque subtraheret, erubescerent pro illa et propinqui et maritus et liberi. Proinde talis mater deum, qualem habere matrem puderet quemlibet etiam pessimum uirum, Romanas occupatura mentes quaesiuit optimum uirum, non quem monendo et adiuuando faceret, sed quem fallendo deciperet, ei similis de qua scriptum est: Mulier autem uirorum pretiosas animas captat, ut ille magnae indolis animus hoc uelut diuino testimonio sublimatus et uere se optimum existimans ueram pietatem religionemque non quaereret, sine qua omne quamuis laudabile ingenium superbia uanescit et decidit. Quo modo igitur nisi insidiose quaereret dea illa optimum uirum, cum talia quaerat

20 Prou. 6, 26

2 mortales *C* (im *m. 2*) numero α 3 credederant C^1 matris *C* 4 posse *C* (t *m. 2*) de *C* (inde *m. 2*) 5 uelle *C* (t *m. 2*) 6 male *C* (l *m. 2*) 7 *et* 15 uiberet *L* 11 qualis Λ^1 15 eruuesc. *L;* erubisc. *C* 16 liueri *L* 17 deum *L* Λ *C p q v;* deorum *a b e* a^2 *k f* 18 occupatura *m. 2 corr. ex* occupatorum *C* 20 qua *sup. lin. C* 21 autem, dax *m. rec. superscr.*, Λ (dax *m. 2*) 22 sublimatus *L* Λ *a b d e p q* α *k f v;* subleuatus *C Domb.* 24 laudauile *L* 25 superuia *L* euan., *e m. 2 in ras., C* decidit, *m. 2 ex* dedecit (?) *corr., C* 26 cum talia quaereret *q*

in suis sacris, qualia uiri optimi abhorrent suis adhibere conuiuiis?

CAPUT VI.

Deos paganorum numquam bene uiuendi sanxisse doctrinam.

Hinc est quod de uita et moribus ciuitatum adque populorum a quibus colebantur illa numina non curarunt, ut tam horrendis eos et detestabilibus malis non in agro et uitibus, non in domo adque pecunia, non denique in ipso corpore, quod menti subditur, sed in ipsa mente, in ipso rectore carnis animo, eos inpleri ac pessimos fieri sine ulla sua terribili prohibitione permitterent. Aut si prohibebant, hoc ostendatur potius, hoc probetur. Nec nobis nescio quos susurros paucissimorum auribus anhelatos et arcana uelut religione traditos iactent, quibus uitae probitas castitasque discatur; sed demonstrentur uel commemorentur loca talibus aliquando conuenticulis consecrata, non ubi ludi agerentur obscenis uocibus et motibus histrionum, nec ubi Fugalia celebrantur effusa omni licentia turpitudinum (et uere Fugalia, sed pudoris et honestatis); sed ubi populi audirent quid di praeciperent de cohibenda auaritia, ambitione frangenda, luxuria refrenanda, ubi discerent miseri, quod discendum Persius increpat dicens:

> Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum,
> Quid sumus et quidnam uicturi gignimur, ordo
> Quis datus aut metae qua mollis flexus et unde,

23 Sat. 3, 66 sqq.

1 adhibere *codd. excepto f*; adhiberi *f v* 2 conuibiis *L*; cum uiuiis C^1; conuiis Λ^1 7 nomina C^1 8 eos *mss.*; *om. v* in *om.* C^1 13 sururros C^1 14 hanelatos $L\Lambda$ 15 iacent *C* 17 ager. ludi *a* age//rentur, re *eras. C* 18 *et* 19 frigialia, *superscr.* ł fugalia, *a* frigalia *b* 20 praeciperent $L\Lambda$ *d e p α k f v*; praeceperint *C a b q k Domb.* 22 increpat $L\Lambda$ *a b d e p q*; increpauit *C v* .23 cognoscite $L\Lambda$ *a b d e p q α k f*; agnoscite *C v Domb.* 24 et *mss.*; aut *v* uicturi C^2 *a q α v*; uenturi $L\Lambda C^1$ *d e p k f* 25 qua mollis $L\Lambda C$ *d v*; quā ollis e^1 *f*; quam mollis *a* e^2 *p q α*

Quis modus argenti, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet, patriae carisque propinquis
Quantum largiri deceat, quem te Deus esse
Iussit et humana qua parte locatus es in re.

Dicatur in quibus locis haec docentium deorum solebant praecepta recitari et a cultoribus eorum populis frequenter audiri, sicut nos ostendimus ad hoc ecclesias institutas, quaqua uersum religio Christiana diffunditur.

CAPUT VII.

Inutilia esse inuenta philosophica sine auctoritate diuina, ubi quemque ad uitia pronum magis mouet quid di fecerint, quam quid homines disputarint.

An forte nobis philosophorum scholas disputationesque memorabunt? Primo haec non Romana, sed Graeca sunt; aut si propterea iam Romana, quia et Graecia facta est Romana prouincia, non deorum praecepta sunt, sed hominum inuenta, qui utcumque conati sunt ingeniis acutissimis praediti ratiocinando uestigare, quid in rerum natura latitaret, quid in moribus adpetendum esset adque fugiendum, quid in ipsis ratiocinandi regulis certa conexione traheretur, aut quid non esset consequens uel etiam repugnaret. Et quidam eorum quaedam magna, quantum diuinitus adiuti sunt, inuenerunt;

1 argenti, o *m. 2, C;* argento, o *ex* i *corr., a* 2 habet, a *m. 2, C* 3 largiri *L Λ C a*^{1} *b d e p q α k;* largire *f;* elargiri *a*^{2} *v* 4 locatus in re es *d* in fe de, de *m. 2, C;* in re, *eraso superscripto* de, *C*^{3} 5 praecepta recitari] preceptari da, da *m. 2, e* 6 coltoribus *C*^{1} 11 quemque *C p q, ex coniect. Domb.;* quemquam *v* 12 quid *C;* quod *p q v* dii fecerint *q;* deficerint *C;* dii fecerunt *p* quid *C;* quod *p q v* 13 disputauerint *p* 14 scola/s, s *m. 1 erasa littera* m, *L;* scolas Λ 15 ac si *e* 16 quia .... romana *in marg. e* 18 rationando *e*^{1} 21 conexine *C*

quantum autem humanitus inpediti sunt, errauerunt, maxime cum eorum superbiae iuste prouidentia diuina resisteret, ut uiam pietatis ab humilitate in superna surgentem etiam istorum conparatione monstraret; unde postea nobis erit in Dei ueri Domini uoluntate disquirendi ac disserendi locus. Verum tamen si philosophi aliquid inuenerunt, quod agendae bonae uitae beataeque adipiscendae satis esse possit: quanto iustius talibus diuini honores decernerentur! Quanto melius et honestius in Platonis templo libri eius legerentur, quam in templis daemonum Galli absciderentur, molles consecrarentur, insani secarentur, et quidquid aliud uel crudele uel turpe, uel turpiter crudele uel crudeliter turpe in sacris talium deorum celebrari solet! Quanto satius erat ad erudiendam iustitia iuuentutem publice recitari leges deorum quam laudari inaniter leges adque instituta maiorum! Omnes enim cultores talium deorum, mox ut eos libido perpulerit feruenti, ut ait Persius, tincta ueneno, magis intuentur quid Iuppiter fecerit, quam quid docuerit Plato uel censuerit Cato. Hinc aput Terentium flagitiosus adulescens spectat tabulam quandam pictam in pariete,

ubi inerat pictura haec, Iouem
Quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium
imbrem aureum,

17 Sat. 3, 37 21 Eun. III, 5, 36 sq.

1 sunterue//runt, ra *correctoris manu superscriptum erasis post* ue *litteris* ne, *L* 2 superuiae *L* iust/e, a *eraso*, *L* 5 ac *corroso margine excidit*, *L* 7 beatae *m. 2 in marg. C* 10 absciderentur *mss. v;* abscinderentur *Domb.* molles, les *m. 2 in ras., C* 11 uel turpe *om. C*^{1} 13 ad *m. 2 in marg. C* erudiendam *L* Λ *a b d e p q;* erudiendum *C v Domb.* 14 iustitia *L*^{1} Λ *e p k*^{1}*;* iustitiam *L*^{2} *C a*^{1} *b d v Domb.;* iustitie *k*^{2}*;* ad iustitiam *a*^{2}*;* in iustitia *q* 15 malorum Λ 16 liuido *L* Λ pertulerit *C*^{1} 17 fecerint *C*^{1} 19 expectabat *d* 22 danae, i *corr. m., L;* dianae Λ dana en emisisse *b* mississe Λ quondam in gremium *L* Λ *b p α;* in gremium quondam (cremium *e*^{1}*;* quodam *C*^{1}*;* quendam *q*) *C a*^{2} *d e k f v;* quondam *om. a*^{1} 23 hymbrē *a*

adque ab hac tanta auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suae, cum in ea se iactat imitari deum.

At quem deum!

inquit;

qui templa caeli summo sonitu concutit.

Ego homuncio id non facerem? Ego uero illud feci ac libens.

CAPUT VIII.

De ludis scaenicis, in quibus di non offenduntur editione suarum turpitudinum, sed placantur.

At enim non traduntur ista sacris deorum, sed fabulis poetarum. Nolo dicere illa mystica quam ista theatrica esse turpiora; hoc dico, quod negantes conuincit historia, eosdem illos ludos, in quibus regnant figmenta poetarum, non per inperitum obsequium sacris deorum suorum intulisse Romanos, sed ipsos deos, ut sibi sollemniter ederentur et honori suo consecrarentur, acerbe imperando et quodam modo extorquendo fecisse; quod in primo libro breui commemoratione perstrinxi. Nam ingrauescente pestilentia ludi scaenici auctoritate pontificum Romae primitus instituti sunt. Quis igitur in agenda uita non ea sibi potius sectanda arbitretur, quae actitantur ludis auctoritate diuina institutis, quam ea, quae scriptitantur legibus humano consilio promulgatis? Adulterum Iouem si poetae fallaciter prodiderunt, di utique casti, quia tantum

3 ib. 42 sq. 17 c. 32

1 abac Λ athibet *L* patronicium *C* turpitudini L^2 *C;* tnrpitudinis L^1 C^2 3 ad quem Λ^2 *C* 5 qui *usque ad* facerem *om. e* 6 homuntio *a d* id *L* Λ *a p q* α *k f;* hoc *C d v* ac] iam *f;* ac *superscripto* iam *C k* 8 di *C* 9 turpitudinem *C* 10 At enim *L* Λ *b e p q;* ad enī *d;* Ait enim *C m. 2 corr.;* Et enim *a* falis *L* 12 turpiora *C* conuinc/it, it *ex* unt *corr., L;* conuicit C^1 17 brebi *L* perstinxi C^1 20 ui/ta, ui *in ras., ut uidetur ex* aucta *corr., C* sectanda] secunda *C* 22 promulg., pr *m. 2 in ras., C*

nefas per humanos ludos confictum est, non quia neglectum, irasci ac uindicare debuerunt. Et haec sunt scaenicorum tolerabiliora ludorum, comoediae scilicet et tragoediae, hoc est fabulae poetarum agendae in spectaculis multa rerum turpitudine, sed nulla saltem, sicut alia multa, uerborum obscenitate conpositae; quas etiam inter studia, quae honesta ac liberalia uocantur, pueri legere et discere coguntur a senibus.

CAPUT VIIII.

Quid Romani ueteres de cohibenda poetica licentia senserint, quam Graeci deorum secuti iudicium liberam esse uoluerunt.

Quid hinc autem senserint Romani ueteres, Cicero testatur in libris, quos de re publica scripsit, ubi Scipio disputans ait: 'Numquam comoediae, nisi consuetudo uitae pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent'. Et Graeci quidem antiquiores uitiosae suae opinionis quandam conuenientiam seruarunt, aput quos fuit etiam lege concessum, ut quod uellet comoedia, de quo uellet, nominatim diceret. Itaque, sicut in eisdem libris loquitur Africanus, 'quem illa non adtigit, uel potius quem non uexauit? cui pepercit? Esto, populares homines inprobos, in re publica seditiosos, Cleonem, Cleophontem, Hyperbolum laesit. Patiamur, inquit, etsi eius modi ciues a censore melius est quam a poeta notari. Sed Periclen, cum iam suae ciuitati maxima auctoritate plurimos annos domi et belli praefuisset, uiolari uersibus et eos agi in scaena non plus decuit, quam si Plautus, inquit, noster

14 IIII, 10

2 tolerabilia $C\,a^1\,d$ 3 tragoaediae C 6 hosta C^1 10 iudicium secuti p 12 hinc autem $L\,\Lambda$; autem hinc C *rell.* v 17 seruaberunt L 18 nom. de quo uellet $b\,e\,q\,k\,f$ 20 quem non] quem *om.* $p\,\alpha$ 22 hyperuolum $L\,\Lambda$ patiar a^1 eius] huius $b^2\,q$ 23 modi *om.* q^1 24 periclen $L\,\Lambda\,e\,p\,q\,\alpha\,k^1$; ple|ri|cle, ri *extra uersum corr. m.*, C; Periclem v 25 bellis e 26 docuit, oc *m. 2 rescript., in marg.* decuit e si b

uoluisset aut Naeuius Publio et Gn. Scipioni aut Caecilius Marco Catoni maledicere.' Dein paulo post: 'Nostrae, inquit, contra duodecim tabulae cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt, si quis occentauisset siue carmen condidisset, quod infamiam faceret flagitiumue alteri. Praeclare. Iudiciis enim magistratuum, disceptationibus legitimis propositam uitam, non poetarum ingeniis habere debemus, nec probrum audire nisi ea lege, ut respondere liceat et iudicio defendere.' Haec ex Ciceronis quarto de re publica libro ad uerbum excerpenda arbitratus sum, nonnullis propter faciliorem intellectum uel praetermissis uel paululum commutatis. Multum enim ad rem pertinet, quam molior explicare, si potero. Dicit deinde alia et sic concludit hunc locum, ut ostendat ueteribus displicuisse Romanis uel laudari quemquam in scaena uiuum hominem uel uituperari. Sed, ut dixi, hoc Graeci quamquam inuerecundius, tamen conuenientius licere uoluerunt, cum uiderent dis suis accepta et grata esse obprobria non tantum hominum, uerum et ipsorum deorum in scaenicis fabulis, siue a poetis essent illa conficta, siue flagitia eorum uera commemorarentur et agerentur in theatris adque ab eorum cultoribus utinam solo risu, ac non etiam imitatione digna uiderentur. Nimis enim superbum fuit famae parcere principum ciuitatis et ciuium, ubi suae famae parci numina noluerunt.

1 nouius *q* GN. *L* Λ *Cp;* gneo *a b d e q;* Cneo *v* Marco] M. *m. 2 sup. lin. C* 2 dein *L* Λ *α;* denī (*sic*) *q* deinde *rell. v* 3 saxissent C^1 4 sanciendū *e* occent., o *m. 2 in* a *mutat.*, *C* occẹntauisset, *m. 2 corr.*, Λ; obcent. *d;* cantauisset k^1 6 praeclare *om.* C^1 magistratū Λ 8 ne L^1 prob/um, r *eraso,* Λ 10 libro quarto de rep. *a* 12 multą *C* ad rem] ad se C^1 pertinet *mss.;* pertinent *v* 13 et *sup. lin.* Λ si *C* 14 displicuiffermonis Λ 15 uibum *L;* uium *C* 18 uerum etiam *e* 19 confecta, e *m. 2 ex* i *corr.*, *C* 20 commemorentur *C* in *m. corr. sup. lin. L* 23 principụu/, m *corroso marg. excidit, L;* princip/um, i *eras.*, *C* 24 nomina Λ^1 C^1

CAPUT X.

Qua nocendi arte daemones uelint uel falsa de se crimina uel uera narrari.

Nam quod adfertur pro defensione, non illa uera in deos dici, sed falsa adque conficta, id ipsum est scelestius, si pietatem consulas religionis; si autem malitiam daemonum cogites, quid astutius ad decipiendum adque callidius? Cum enim probrum iacitur in principem patriae bonum adque utilem, nonne tanto est indignius, quanto a ueritate remotius et a uita illius alienius? Quae igitur supplicia sufficiunt, cum deo fit ista tam nefaria, tam insignis iniuria? Sed maligni spiritus, quos isti deos putant, etiam flagitia, quae non admiserunt, de se dici uolunt, dum tamen humanas mentes his opinionibus uelut retibus induant et ad praedestinatum supplicium secum trahant, siue homines ista commiserint, quos deos haberi gaudent, qui humanis erroribus gaudent, pro quibus se etiam colendos mille nocendi fallendique artibus interponunt; siue etiam non ullorum hominum illa crimina uera sint, quae tamen de numinibus fingi libenter accipiunt fallacissimi spiritus, ut ad scelesta ac turpia perpetranda uelut ab ipso caelo traduci in terras satis idonea uideatur auctoritas. Cum igitur Graeci talium numinum seruos se esse sentirent, inter tot et tanta eorum theatrica obprobria parcendum sibi a poetis nullo modo putauerunt, uel dis suis etiam sic consimilari adpetentes, uel metuentes, ne honestiorem famam ipsi requirendo et eis se hoc modo praeferendo illos ad iracundiam prouocarent.

4 in *m. 2 in ras.*, *C* 5 conficta *L*; confincta Λ 6 malitia *L* 7 astutias C^1 9 *prius* a *om.* C^1 10 alienus L^1 15 habere *e* 16 gaudent, *superscripto m. rec.* uolunt, *a* etiam se *e* 18 non nullorum *L* Λ *Cp* α^1; nullorum *a b d e* α^2 *k f*; ullorum *omisso* non *q* 20 ac *sup. lin. L* 21 uideatur *om.* C^1 24 si *L* consimulari *e* 25 ho|///nesti///orem *L*

CAPUT XI.

De scaenicis aput Graecos in rei publicae administrationem receptis, eo quod placatores deorum iniuste ab hominibus spernerentur.

Ad hanc conuenientiam pertinet, quod etiam scaenicos actores earundem fabularum non paruo ciuitatis honore dignos existimarunt, si quidem, quod in eo quoque de re publica libro commemoratur, Aeschines Atheniensis, uir eloquentissimus, cum adulescens tragoedias actitauisset, rem publicam capessiuit et Aristodemum, tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli legatum ad Philippum Athenienses saepe miserunt. Non enim consentaneum putabatur, cum easdem artes eosdemque scaenicos ludos etiam dis suis acceptos uiderent, illos, per quos agerentur, infamium loco ac numero deputare. Haec Graeci turpiter quidem, sed sane dis suis omnino congruenter, qui nec uitam ciuium lacerandam linguis poetarum et histrionum subtrahere ausi sunt, a quibus cernebant deorum uitam eisdem ipsis dis uolentibus et libentibus carpi, et ipsos homines, per quos ista in theatris agebantur, quae numinibus quibus subditi erant grata esse cognouerant, non solum minime spernendos in ciuitate, uerum etiam maxime honorandos putarunt. Quid enim causae reperire possent, quur sacerdotes honorarent, quia per eos uictimas dis acceptabiles offerebant, et scaenicos probrosos haberent, per quos illam uoluptatem siue honorem dis exhiberi petentibus et, nisi fieret, irascentibus eorum admonitione didicerant? cum praesertim Labeo, quem huiusce modi rerum peritissimum praedicant, numina bona a numinibus malis ista etiam cultus diuersitate

8 c. 11

2 amministr. *C* 5 pertinet quod etiam *m. rec. in marg. C* 8 aescines *L Λ C e* 9 actitabisset *L Λ* 10 auctorem Λ 11 philypp. *L* phylipp. Λ 17 subtraere C^1 20 nominibus Λ^1 C^1 22 repperire *L Λ e* quur] ut *a* 23 acceptauiles *L Λ* 24 probroso *L* 25 siue honorem dis *L Λ C a b d e p q k f v;* diis sibi honorem α^1 *Domb.;* diis sibi uel hon. α^2 26 admonitionibus didicer *e* 28 a *om.* L^1

distinguat, ut malos deos propitiari caedibus et tristibus supplicationibus adserat, bonos autem obsequiis laetis adque iucundis, qualia sunt, ut ipse ait, ludi conuiuia lectisternia. Quod totum quale sit, postea, si Deus iuuerit, diligentius disseremus. Nunc ad rem praesentem quod adtinet, siue omnibus omnia tamquam bonis permixte tribuantur (neque enim esse decet deos malos, cum potius isti, quia inmundi sunt spiritus, omnes sint mali), siue certa discretione, sicut Labeoni uisum est, illis illa, istis ista distribuantur obsequia, conpetentissime Graeci utrosque honori ducunt, et sacerdotes, per quos uictimae ministrantur, et scaenicos, per quos ludi exhibentur, ne uel omnibus dis suis, si et ludi omnibus grati sunt, uel, quod est indignius, his, quos bonos putant, si ludi ab eis solis amantur, facere conuincantur iniuriam.

CAPUT XII.

Quod Romani auferendo libertatem poetis in homines, quam dederunt in deos, melius de se quam de dis suis senserint.

At Romani, sicut in illa de re publica disputatione Scipio gloriatur, probris et iniuriis poetarum subiectam uitam famamque habere noluerunt, capite etiam sancientes, tale carmen condere si quis auderet. Quod erga se quidem satis honeste constituerunt, sed erga deos suos superbe et inreligiose; quos cum scirent non solum patienter, uerum etiam libenter poetarum probris maledictisque lacerari, se potius quam illos huiusce modi iniuriis indignos esse duxerunt seque ab eis etiam lege munierunt, illorum autem ista etiam sacris sollemnitatibus

3 conuibia *L* 6 permixtae *L* Λ; permixta α 7 quia *L* Λ *e p q k f v*; qui *C a d* α *Domb.* quia *usque ad* discretione *om. b*¹ 8 sunt mali *L* Λ 1/beoni *L* 10 honori ducunt *L* Λ *C a b d e p k f*; honori dicunt α; honore ducunt *q*; honore dignos ducunt *a*²*v* 11 et scenicos *om. e*¹ 14 confingantur *e* 16 in hominibus *p* 18 senserunt *p* 21 etiam sancientes *L* Λ *C*¹ *a b d e p q* α *k f*; etiam plectendum sancientes *C*²*v* 27 sollemptatibus *e*

miscuerunt. Itane tandem, Scipio, laudas hanc poetis Romanis negatam esse licentiam, ut cuiquam obprobrium infligerent Romanorum, cum uideas eos nulli deorum pepercisse uestrorum? Itane pluris tibi habenda est existimatio curiae uestrae quam Capitolii, immo Romae unius quam caeli totius, ut linguam maledicam in ciues tuos exercere poetae etiam lege prohiberentur, et in deos tuos securi tanta conuicia nullo senatore nullo censore, nullo principe nullo pontifice prohibente iacularentur? Indignum uidelicet fuit, ut Plautus aut Naeuius [Publio et] Gn. Scipioni aut Caecilius M. Catoni malediceret, et dignum fuit, ut Terentius uester flagitio Iouis optimi maximi adulescentium nequitiam concitaret?

CAPUT XIII.

Debuisse intellegere Romanos, quod di eorum, qui se turpibus ludis coli expetebant, indigni essent honore diuino.

Sed responderet mihi fortasse, si uiueret: Quo modo nos ista inpunita esse nollemus, quae ipsi di sacra esse uoluerunt, cum ludos scaenicos, ubi talia celebrantur dictitantur actitantur, et Romanis moribus inuexerunt et suis honoribus dicari exhiberique iusserunt? Quur non ergo hinc magis ipsi intellecti sunt non esse di ueri nec omnino digni, quibus diuinos honores deferret illa res publica? Quos enim coli minime deceret minimeque oporteret, si ludos expeterent agendos conuiciis

1 lauda/s, n *eras.*, *L* 4 plures C^1 5 capitolij, ij *m. 2 in ras.*, *C* immoromae *L*; immo non romae Λ 6 exercere *L* Λ C^1 a^2 *p q*; exerere C^2 a^1 *b* α *f*; exserere *e k* poeta C^1 7 saecuri *L* Λ 9 planctus *q* aut *m. 2 in* et *corr. b* 10 Publio et *om. LC* GN. *L* Λ *C* caelius *C* a^1 MC Λ; marco *b e immixtis glossis foede corrupta praebet* d: ut plautus aut ne [alauine (ataui?) huius puplius et gneo scipioni] uius [pontifici et clarissimo nobili] scipioni aut cecilius marco catoni 11 iobis *L* Λ obtimi Λ 12 adulescentibus α^1 17 uiberet *L* 18 nolimus *f* 21 non ergo *L* Λ *C a b d e p*; ergo non *v Domb.* magis non hinc *q*; magis hinc *C* 22 diueri *L*

Romanorum, quo modo quaeso colendi putati sunt, quo modo non detestandi spiritus intellecti, qui cupiditate fallendi inter suos honores sua celebrari crimina poposcerunt? Itemque Romani, quamuis iam superstitione noxia premerentur, ut illos deos colerent, quos uidebant sibi uoluisse scaenicas turpitudines consecrari, suae tamen dignitatis memores ac pudoris actores talium fabularum nequaquam honorauerunt more Graecorum, sed, sicut aput Ciceronem idem Scipio loquitur, 'cum artem ludicram scaenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri notatione censoria uoluerunt.' Praeclara sane et Romanis laudibus adnumeranda prudentia; sed uellem se ipsa sequeretur, se imitaretur. Ecce enim recte, quisquis ciuium Romanorum esse scaenicus elegisset, non solum ei nullus ad honorem dabatur locus, uerum etiam censoris nota tribum tenere propriam minime sinebatur. O animum ciuitatis laudis auidum germaneque Romanum! Sed respondeatur mihi: qua consentanea ratione homines scaenici ab omni honore pelluntur, et ludi scaenici deorum honoribus admiscentur? Illas theatricas artes diu uirtus Romana non nouerat, quae si ad oblectamentum uoluptatis humanae quaererentur, uitio morum inreperent humanorum. Di eas sibi exhiberi petierunt: quo modo ergo abicitur scaenicus, per quem colitur Deus? et theatricae illius turpitudinis qua fronte notatur actor, si adoratur exactor? In hac controuersia Graeci Romanique concertent. Graeci putant recte se honorare homines scaenicos, quia colunt ludorum scaenicorum flagitatores deos; Romani uero

8 Rep. 4, 10

4 iam *om.* Λ^1 praem. *L Λ C* 7 auctores *e* 9 in *om. v* 10 honorem C^1 11 tri|bu///e/////////moueri, *erasis nescio quibus litteris, L;* tribuę moueri Λ 14 cibium *L* 17 abidum *L Λ* sed *om.* C^1 19 pelluntur *L Λ a b d e p;* repelluntur *C v Domb.* 22 mo///|//rum *L* petierunt, b *m. 1, L* 24 nutatur C^1 actor *om.* C^1 25 concertent *L Λ C d e p a k f;* concertant *a b q v* 27 quia *L* Λ^1 *C p v;* cum Λ^2 *a b e q k f* colant *b e q k f*

hominibus scaenicis nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiam dehonestari sinunt. In hac disceptatione huiusce modi ratiocinatio summam quaestionis absoluit. Proponunt Graeci: Si di tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi. Adsumunt Romani: Sed nullo modo tales homines honorandi sunt. Concludunt Christiani: Nullo modo igitur di tales colendi sunt.

CAPUT XIIII.

Meliorem fuisse Platonem, qui poetis locum in bene morata urbe non dederit, quam hos deos, qui se ludis scaenicis uoluerint honorari.

Deinde quaerimus, ipsi poetae talium fabularum conpositores, qui duodecim tabularum lege prohibentur famam laedere ciuium, tam probrosa in deos conuicia iaculantes quur non ut scaenici habeantur inhonesti. Qua ratione rectum est, ut poeticorum figmentorum et ignominiosorum deorum infamentur actores, honorentur auctores? An forte Graeco Platoni potius palma danda est, qui cum ratione formaret, qualis esse ciuitas debeat, tamquam aduersarios ueritatis poetas censuit urbe pellendos? Iste uero et deorum iniurias indigne tulit et fucari corrumpique figmentis animos ciuium noluit. Confer nunc Platonis humanitatem a ciuibus decipiendis poetas urbe pellentem cum deorum diuinitate honori suo ludos scaenicos expetente. Ille, ne talia uel scriberentur, etsi non persuasit disputando, tamen suasit leuitati lasciuiaeque Graecorum; isti, ut talia etiam agerentur, iubendo extorserunt grauitati et modestiae Romanorum. Nec tantum haec agi uoluerunt, sed sibi dicari, sibi sacrari, sibi sollemniter exhiberi. Cui tandem honestius diuinos honores decerneret ciuitas? utrum Platoni haec turpia

2 huiusce modi $L^2\Lambda$ *a b d e p q v;* huius modi L^1 *C* 11 noluerunt *p* 12 conpositores .. tabularum *om.* e^1 14 cibium *L* Λ 15 ut] ei *e* 18 quales C^1 ciuitatis $e\,a^2\,k^1$ 22 cibibus *L* 23 expetente, t *m. 2*, Λ 26 etiam *m. 1 sup. lin. L* 27 dedicari *e*

et nefanda prohibenti, an daemonibus hac hominum deceptione gaudentibus, quibus ille uera persuadere non potuit?

Hunc Platonem Labeo inter semideos commemorandum putauit, sicut Herculem, sicut Romulum. Semideos autem heroibus anteponit; sed utrosque inter numina conlocat. Verum tamen istum, quem appellat semideum, non heroibus tantum, sed etiam dis ipsis praeferendum esse non dubito. Propinquant autem Romanorum leges disputationibus Platonis, quando ille cuncta poetica figmenta condemnat, isti autem poetis adimunt saltem in homines maledicendi licentiam; ille poetas ab urbis ipsius habitatione, isti saltem actores poeticarum fabularum remouent a societate ciuitatis; et si contra deos ludorum scaenicorum expeditores aliquid auderent, forte undique remouerent. Nequaquam igitur leges ad instituendos bonos aut corrigendos malos mores a dis suis possent accipere seu sperare Romani, quos legibus suis uincunt adque conuincunt. Illi enim honori suo deposcunt ludos scaenicos, isti ab honoribus omnibus repellunt homines scaenicos; illi celebrari sibi iubent figmentis poeticis obprobria deorum, isti ab obprobriis hominum deterrent inpudentiam poetarum. Semideus autem ille Plato et talium deorum libidini restitit, et ab indole Romanorum quid perficiendum esset ostendit, qui poetas ipsos uel pro arbitrio mentientes uel hominibus miseris quasi deorum facta pessima imitanda proponentes omnino in ciuitate bene instituta uiuere noluit. Nos quidem Platonem nec deum nec semideum perhibemus, nec ulli sancto angelo summi Dei nec ueridico prophetae nec apostolo alicui nec cuilibet Christi martyri nec cuiquam Christiano homini conparamus; cuius nostrae sententiae ratio Deo prosperante suo loco explicabitur. Sed eum tamen, quando quidem ipsi uolunt fuisse semideum, praeferendum esse censemus, si non Romulo et Herculi (quamuis istum nec fratrem occidisse, nec aliquod perpetrasse

1 prohibendi C^1 6 eroibus e^1 10 *et* 11 saltim Λ^2 *C* poet//as, ic *eras.*, *C* 13 undeque Λ^1 14 remouent Λ^1 22 qui] quid *C* 25 uibere *L* 29 explicauitur *L* Λ 30 fuissemideum Λ^1

flagitium quisquam historicorum uel poetarum dixit aut finxit), certe uel Priapo uel alicui Cynocephalo, postremo uel Febri, quae Romani numina partim peregrina receperunt, partim sua propria sacrauerunt. Quo modo igitur tanta animi et morum mala bonis praeceptis et legibus uel inminentia prohiberent, uel insita extirpanda curarent di tales, qui etiam seminanda et augenda flagitia curauerunt, talia uel sua uel quasi sua facta per theatricas celebritates populis innotescere cupientes, ut tamquam auctoritate diuina sua sponte nequissima libido accenderetur humana, frustra hoc exclamante Cicerone, qui cum de poetis ageret: 'Ad quos cum accessit, inquit, clamor et adprobatio populi quasi cuiusdam magni et sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras, quos inuehunt metus, quas inflammant cupiditates!'

CAPUT XV.

Quod Romani quosdam sibi deos non ratione, sed adulatione instituerint.

Quae autem illic eligendorum deorum, etiam ipsorum falsorum ratio ac non potius adulatio est? quando istum Platonem, quem semideum uolunt, tantis disputationibus laborantem, ne animi malis, quae praecipue cauenda sunt, mores corrumperentur humani, nulla sacra aedicula dignum putarunt, et Romulum suum dis multis praetulerunt, quamuis et ipsum semideum potius quam deum uelut secretior eorum doctrina commendet. Nam etiam flaminem illi instituerunt, quod sacerdotii genus adeo in Romanis sacris testante apice excelluit, ut tres solos flamines haberent tribus numinibus institutos,

10 Rep. IIII, 9

2 cynocefalo *L* Λ *C* 3 suam propriam *C* 5 eminentia *e* 10 fraustra Λ 12 cuiusdam magni *L* Λ *p; in L transpositionis notae m. 2 superscriptae sunt;* magni cuiusdam *C rell. v* 17 instituerunt *p* 18 illic *L* Λ C^2 *a b d e p q α k v;* illis C^1 *Domb.* 20 uoluntatis Λ 21 animalis *C* corrumpentur C^1

Dialem Ioui, Martialem Marti, Quirinalem Romulo. Nam beneuolentia ciuium uelut receptus in caelum Quirinus est postea nominatus. Ac per hoc et Neptuno et Plutoni, fratribus Iouis, et ipsi Saturno, patri eorum, isto Romulus honore praelatus est, ut pro magno sacerdotium, quod Ioui tribuerant, hoc etiam huic tribuerent, et Marti tamquam patri eius forsitan propter ipsum.

CAPUT XVI.

Quod, si dis ulla esset cura iustitiae, ab eis Romani accipere debuerint praecepta uiuendi potius quam leges ab aliis hominibus mutuari.

Si autem a dis suis Romani uiuendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis, quas tamen non ut acceperunt ⟨tenuerunt⟩, sed meliores et emendatiores facere conati sunt, quamuis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit, quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt. Numa Pompilius, qui Romulo successit in regnum, quasdam leges, quae quidem regendae ciuitati nequaquam sufficerent, condidisse fertur, qui eis multa etiam sacra constituit; non tamen perhibetur easdem leges a numinibus accepisse. Mala igitur animi, mala uitae, mala morum, quae ita magna sunt, ut his doctissimi eorum uiri etiam stantibus urbibus res publicas perire confirment, di eorum, ne suis cultoribus acciderent, minime curarunt [immo uero ut augerentur, sicut supra disputatum est, omni modo curarunt].

1 iobi $L\,\Lambda$ beniuol. $L\,\Lambda\,C\,d\,e$ 5 ut *m. 2 in* et *corr.* C tribuerant $L\,\Lambda\,p\,\alpha$; tribuerent f; tribuerunt $C\,a\,b\,e\,q\,k\,v$ 9 dies C 10 debuerunt p 11 mutuari $p\,q\,v$; mutari C 12 a *sup. lin.* Λ bibendi L 13 aliquod $L^1\,C^1$ 14 mutuarentur L; mutarentur C^1 15 tenuerunt *m. rec. sup. lin. a; om. rell.* 16 pollinis C^1 17 confixerit L^1 18 acciperunt C^1 23 malarum C 25 accederent C^1; acciderint e curarunt C [immo *usque ad* curarunt] *om.* $L^1\,\Lambda^1\,C$

CAPUT XVII.

De raptu Sabinarum aliisque iniquitatibus, quae in ciuitate Romana etiam laudatis uiguere temporibus.

An forte populo Romano propterea leges non sunt a numinibus constitutae, quia, sicut Sallustius ait, 'ius bonumque aput eos non legibus magis quam natura ualebat'? Ex hoc iure ac bono credo raptas Sabinas. Quid enim iustius et melius quam filias alienas fraude spectaculi inductas non a parentibus accipi, sed ui, ut quisque poterat, auferri? Nam si inique facerent Sabini negare postulatas, quanto fuit iniquius rapere non datas? Iustius autem bellum cum ea gente geri potuit, quae filias suas ad matrimonium conregionalibus et confinalibus suis negasset petitas, quam cum ea, quae repetebat ablatas. Illud ergo potius fieret; ibi Mars filium suum pugnantem iuuaret, ut coniugiorum negatorum armis ulcisceretur iniuriam, et eo modo ad feminas, quas uoluerat, perueniret. Aliquo enim fortasse iure belli iniuste negatas iuste uictor auferret; nullo autem iure pacis non datas rapuit et iniustum bellum cum earum parentibus iuste suscensentibus gessit. Hoc sane utilius feliciusque successit, quod, etsi ad memoriam fraudis illius circensium spectaculum mansit, facinoris tamen in illa ciuitate et imperio non placuit exemplum, faciliusque Romani in hoc errauerunt, ut post illam iniquitatem deum sibi Romulum consecrarent, quam ut in feminis rapiendis factum eius imitandum lege ulla uel more permitterent. Ex hoc iure ac bono post expulsum cum liberis suis regem

6 Cat. 9

5 populo Romano] pro *L* A; *om.* *α* 8 raptas *mss.*; raptas esse *v* 10 quis$^{q;}$ *C* 13 ad matrimonium *m. 2 in marg. C* 16 iubaret *L* A coniugū negatarū *e* ulcesceretur *C* 18 negata si iuste *C* 20 parentibus iuste suscensentibus] parcentibus, *in marg.* suscensentibus, e^1; parcentibus, *superscr.* suscensentibus *et omisso* iuste e^2 25 femis^{in} *C* 27 liueris *L*

Tarquinium, cuius filius Lucretiam stupro uiolenter obpresserat, Iunius Brutus consul L. Tarquinium Conlatinum, maritum eiusdem Lucretiae, collegam suum, bonum adque innocentem uirum, propter nomen et propinquitatem Tarquiniorum coegit magistratu se abdicare nec uiuere in ciuitate permisit. Quod scelus fauente uel patiente populo fecit, a quo populo consulatum idem Conlatinus sicut etiam ipse Brutus acceperat. Ex hoc iure ac bono M. Camillus, illius temporis uir egregius, qui Veientes, grauissimos hostes populi Romani, post decennale bellum, quo Romanus exercitus totiens male pugnando grauiter adflictus est, iam ipsa Roma de salute dubitante adque trepidante facillime superauit eorumque urbem opulentissimam cepit, obtrectatorum inuidia uirtutis suae et insolentia tribunorum plebis reus factus est tamque ingratam sensit quam liberauerat ciuitatem, ut de sua damnatione certissimus in exilium sponte discederet et decem milia aeris absens etiam damnaretur, mox iterum a Gallis uindex patriae futurus ingratae. Multa commemorare iam piget foeda et iniusta, quibus agitabatur illa ciuitas, cum potentes plebem sibi subdere conarentur plebsque illis subdi recusaret, et utriusque partis defensores magis studiis agerent amore uincendi, quam aequum et bonum quidquam cogitarent.

CAPUT XVIII.

Quae de moribus Romanorum aut metu conpressis aut securitate resolutis Sallustii prodat historia.

Itaque habebo modum et ipsum Sallustium testem potius adhibebo, qui cum in laude Romanorum dixisset, unde nobis

1 obpraesserat *L* Λ 2 L. *L*[1] Λ *C*[1]; Lucium *C*[2] *v* conlatinum *L* Λ *d e p q*; conlatino *b*; collatinum *C v* 5 magistratu/, s *eraso*, *C* uibere *L* 6 fabente *L* consolatum *C*[1] *d* 7 con|solatinus *d* 8 M. *L* Λ *p*; *om.* *C*[1]; marcus *rell. v* 9 uegentes *e* 11 grabiter *L* 12 superabit *L* Λ orbem *C*[1] 13 obtrect. inuidia *L* Λ; inuid. obtr. *C rell. v* 16 exsilium *C* decim *C* milia *L* Λ *C p*; milibus *a b d e q v Domb.* 18 agitauatur *L* Λ 19 cibitas *L*[1] 20 plebesque *d* subderec/usaret, *m. 2. corr.*, a (?) *post* c *eraso*, *C* utrisque *C*[1] 21 aecum *L* Λ[1] bonum//quicquam, in (?) *eras.*, *C* 25 salustii *p* 27 athibebo *L*

iste sermo ortus est: 'Ius bonumque aput eos non legibus magis quam natura ualebat', praedicans illud tempus, quo expulsis regibus incredibiliter ciuitas breui aetatis spatio plurimum creuit, idem tamen in primo historiae suae libro adque ipso eius exordio fatetur etiam tunc, cum ad consules a regibus esset translata res publica, post paruum interuallum iniurias ualidiorum et ob eas discessionem plebis a patribus aliasque in Urbe dissensiones fuisse. Nam cum optimis moribus et maxima concordia populum Romanum inter secundum et postremum bellum Carthaginiense commemorasset egisse causamque huius boni non amorem iustitiae, sed stante Carthagine metum pacis infidae fuisse dixisset (unde et Nasica ille ad reprimendam nequitiam seruandosque istos mores optimos, ut metu uitia cohiberentur, Carthaginem nolebat euerti): continuo subiecit idem Sallustius et ait: 'At discordia et auaritia adque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis excidium maxime aucta sunt', ut intellegeremus etiam ante oriri solere et augeri. Unde subnectens quur hoc dixerit: 'Nam iniuriae, inquit, ualidiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio, neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum graue cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum.' Vides quem ad modum etiam illo breui tempore, ut regibus exactis, id est eiectis, aliquantum aequo et modesto iure ageretur, metum dixit fuisse causam,

15 Hist. I, 9

1 bonum$^{q.}$ *L* 3 sq. brebi—crebit *L* 4 istoria ęsuę *d* 5 thunc *L* Λ^{1} 7 discissionem, *alterum* i *m. 2 in ras.*, *C* 10 carthaginiense *L* Λ *C e p k f*; carthaginense *b d q α v*; charginense^{ta} *a* 14 noleuat *L* Λ 17 ci^{ex}dium *L* intellegamus *d* 18 ante oriri *L* Λ^{1} *p*; antea oriri *C*^{1}; antea et oriri *C*^{2} Λ^{2} *a b d e q v Domb.* 19 inquid *L* Λ *C*^{1} *d* 22 cum et | t^{r}//uria *C* 23 agitatum *usque ad* iure *l. 25 om. d*^{1} illo etiam *v* 24 tempore brebi, *m. 2 transpositione notata*, *L*; tempore breui Λ 25 ageretur, n^{n} *m. 2*, Λ

quoniam metuebatur bellum, quod rex Tarquinius regno adque Urbe pulsus Etruscis sociatus contra Romanos gerebat. Adtende itaque quid deinde contexat: 'Dein, inquit, seruili imperio patres plebem exercere, de uita adque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in imperio agere. Quibus saeuitiis et maxime faenore obpressa plebes cum adsiduis bellis tributum et militiam simul toleraret, armata montem sacrum adque Auentinum insedit, tumque tribunos plebis et alia iura sibi parauit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum Punicum bellum.' Cernis ex quo tempore, id est paruo interuallo post reges exactos, quales Romani fuerint, de quibus ait: 'Ius bonumque aput eos non legibus magis quam natura ualebat.'

Porro si illa tempora talia reperiuntur, quibus pulcherrima adque optima fuisse praedicatur Romana res publica, quid iam de consequenti aetate dicendum aut cogitandum arbitramur, cum 'paulatim mutata, ut eiusdem historici uerbis utar, ex pulcherrima adque optima pessima ac flagitiosissima facta est,' post Carthaginis uidelicet, ut commemorauit, excidium? Quae tempora ipse Sallustius quem ad modum breuiter recolat et describat, in eius historia legi potest; quantis malis morum, quae secundis rebus exorta sunt, usque ad bella ciuilia demonstret esse peruentum. 'Ex quo tempore, ut ait, maiorum mores non paulatim ut antea, sed torrentis modo praecipitati, adeo iuuentus luxu adque auaritia corrupta, ut merito dicatur

19 Cat. 5, 9 23 Hist. I, 12

2 urbe *om.* C^1 gerebat] agebat C 3 dein $L\,\Lambda\,C\,a^2\,b\,d\,v$; deinde $p\,q\,a\,f$; dehinc $a^1\,e$ 5 expartibus Λ^1 6 plebes $L\,\Lambda$; plebs C *rell. v.* 7 simul et militiam v 8 abentinum $L\,\Lambda$ tribunus C^1 9 iura sibi $L\,\Lambda\,p\,\alpha$; sibi iura $C\,a\,b\,d\,e\,q\,k\,f\,v$ 10 punicum bellum $L\,\Lambda$, *m. 2 in utroque libro transpositione notata* 14 tempora lia C repper. $L\,\Lambda\,d$ 15 quidam L 17 mutat aut C^1 storici L; ystorici Λ 20 ipse *om.* C^1 brebiter $L\,C^1$ et *sup. lin.* C 22 ex secundis e cibilia $L\,\Lambda$ demonstraret C 23 peruentum *codd. excepto C, v*; prouentum C *Domb.* 24 torrentes C^1

genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares neque alios pati.' Dicit deinde plura Sallustius de Syllae uitiis ceteraque foeditate rei publicae, et alii scriptores in haec consentiunt, quamuis eloquio multum inpari.

Cernis tamen, ut opinor, et quisquis aduerterit, facillime perspicit, conluuie morum pessimorum quo illa ciuitas prolapsa fuerit ante nostri superni regis aduentum. Haec enim gesta sunt non solum antequam Christus in carne praesens docere coepisset, uerum etiam antequam de uirgine natus esset. Cum igitur tot et tanta mala temporum illorum uel tolerabiliora superius, uel post euersam Carthaginem intoleranda et horrenda dis suis inputare non audeant, opiniones humanis mentibus, unde talia uitia siluescerent, astutia maligna inserentibus: quur mala praesentia Christo inputant, qui doctrina saluberrima et falsos ac fallaces deos coli uetat et istas hominum noxias flagitiosasque cupiditates diuina auctoritate detestans adque condemnans his malis tabescenti ac labenti mundo ubique familiam suam sensim subtrahit, qua condat aeternam et non plausu uanitatis, sed iudicio ueritatis gloriosissimam ciuitatem?

CAPUT XVIIII.

De corruptione Romanae rei publicae, priusquam cultum deorum Christus auferret.

Ecce Romana res publica (quod non ego primus dico, sed auctores eorum, unde haec mercede didicimus, tanto ante dixerunt ante Christi aduentum) 'paulatim mutata ex pulcherrima adque optima pessima ac flagitiosissima facta est.' Ecce ante Christi aduentum, post deletam Carthaginem 'maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati, adeo iuuentus luxu adque auaritia corrupta est.' Legant nobis contra luxum et auaritiam praecepta deorum suorum populo

1 possint α 2 Syllae *mss. v*; Sullae *Domb.* 6 coluuie *C* 13 maligna astutia *v* 22 humanae reip. *p* . 24 primus *Ce*; prius *rell.* 27 ac flag. *L A C a b e p q*; hac flag. *d*; atque flag. *v Domb.*

Romano data; cui utinam tantum casta et modesta reticerent, ac non etiam ab illo probrosa et ignominiosa deposcerent, quibus per falsam diuinitatem perniciosam conciliarent auctoritatem. Legant nostra et per prophetas et per sanctum euangelium, et per apostolicos actus et per epistulas tam multa contra auaritiam adque luxuriam ubique populis ad hoc congregatis quam excellenter, quam diuine non tamquam ex philosophorum concertationibus strepere, sed tamquam ex oraculis et Dei nubibus intonare. Et tamen luxu adque auaritia saeuisque ac turpibus moribus ante aduentum Christi rem publicam pessimam ac flagitiosissimam factam non inputant dis suis; adflictionem uero eius, quamcumque isto tempore superbia deliciaeque eorum perpessae fuerint, religioni increpitant Christianae. Cuius praecepta de iustis probisque moribus si simul audirent adque curarent reges terrae et omnes populi, principes et omnes iudices terrae, iuuenes et uirgines, seniores cum iunioribus, aetas omnis capax et uterque sexus, et quos baptista Iohannes adloquitur, exactores ipsi adque milites: et terras uitae praesentis ornaret sua felicitate res publica, et uitae aeternae culmen beatissime regnatura conscenderet. Sed quia iste audit, ille contemnit, pluresque uitiis male blandientibus quam utili uirtutum asperitati sunt amiciores: tolerare Christi famuli iubentur, siue sint reges siue principes siue iudices, siue milites siue prouinciales, siue diuites siue pauperes, siue liberi siue serui, utriuslibet sexus, etiam pessimam, si ita necesse est, flagitiosissimamque rem publicam et in illa angelorum quadam sanctissima adque augustissima curia caelestique

17 Ps. 148, 11 sq. 18 Lc. 3, 12 sqq.

1 retinerent, *in marg.* al. reticerent, *b* 2 ac] hac *d*; et *p* etiam ab illo *L Λ v Domb.*; *in L m. 2 transpositio significata est*; ab illo etiam *C a b d e p q* 3 conchiliarent *L Λ* 5 per *ante* epist. *om. q k f*[at] 6 luxoriam C^1 7 diuinae L^1 C^1 9 et Dei] ut de *e* 12 afflictiõnē *m. 2 corr. e* 13 superuia *L Λ* deliti[c e]aque *C* increpitant *C a b d e q v*, inputant *L Λ p* 15 audi/rent, e *eraso*, *C* 17 omnes C^1 18 iohannis C^1 20 colmen C^1 beatissimae L^1 21 contē/nit, p *eras.*, *C* 25 liueri *L* pess. etiam *v*

re publica, ubi Dei uoluntas lex est, clarissimum sibi locum etiam ista conparare tolerantia.

CAPUT XX.

Quali uelint felicitate gaudere et quibus moribus uiuere, qui tempora Christianae religionis incusant.

Verum tales cultores et dilectores deorum istorum, quorum etiam imitatores in sceleribus et flagitiis se esse laetantur, nullo modo curant pessimam ac flagitiosissimam non esse rem publicam. Tantum stet, inquiunt, tantum floreat copiis referta, uictoriis gloriosa, uel, quod est felicius, pace secura sit. Et quid ad nos? Immo id ad nos magis pertinet, si diuitias quisque augeat semper, quae cottidianis effusionibus subpetant, per quas sibi etiam infirmiores subdat quisque potentior. Obsequantur diuitibus pauperes causa saturitatis adque ut eorum patrociniis quieta inertia perfruantur, diuites pauperibus ad clientelas et ad ministerium sui fastus abutantur. Populi plaudant non consultoribus utilitatum suarum, sed largitoribus uoluptatum. Non dura iubeantur, non prohibeantur inpura. Reges non curent quam bonis, sed quam subditis regnent. Prouinciae regibus non tamquam rectoribus morum, sed tamquam rerum dominatoribus et deliciarum suarum prouisoribus seruiant, eosque non sinceriter honorent, sed [nequiter ac] seruiliter timeant. Quid alienae uineae potius quam quid suae uitae quisque noceat, legibus aduertatur. Nullus ducatur ad iudicem, nisi qui alienae rei domui saluti uel cuiquam inuito fuerit inportunus aut noxius; ceterum de

2 conpar. toler. *L* Λ; toler. conp. *C rell. v* 7 uerum////tales, tamen (?) *eraso, L* dilictores C^1 9 non *om.* $e^2 k^1$, *ut spurium inclusit Domb.* 12 immo id ad nos *sup. lin. C* 13 augeat semper *L* Λ *p*; *transpositio in L* Λ *m. 2 notata est;* semper augeat *C rell. v* 15 dibitibus *L* 19 iubeantur dura *v* 24 nequiter ac *om. L* Λ *p, spuria iudico cum isocolon turbent, cui figurae maxime studet auctor* uincae *L* Λ *a d e p q k f*; uinee, ee *m. 2 in ras., b*; uinae C^1, uitae C^2; uiti *v* 26 iudicem *L* Λ *p*; iudices *C rell. v Domb.*

suis uel cum suis uel cum quibusque uolentibus faciat quisque quod libet. Abundent publica scorta uel propter omnes, quibus frui placuerit, uel propter eos maxime, qui habere priuata non possunt. Exstruantur amplissimae adque ornatissimae domus, opipara conuiuia frequententur, ubi cuique libuerit et potuerit, diu noctuque ludatur bibatur, uomatur diffluatur. Saltationes undique concrepent, theatra inhonestae laetitiae uocibus adque omni genere siue crudelissimae siue turpissimae uoluptatis exaestuent. Ille sit publicus inimicus, cui haec felicitas displicet; quisquis eam mutare uel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat a sedibus, auferat a uiuentibus. Illi habeantur di ueri, qui hanc adipiscendam populis procurauerint adeptamque seruauerint. Colantur ut uoluerint, ludos exposcant quales uoluerint, quos cum suis uel de suis possint habere cultoribus: tantum efficiant, ut tali felicitati nihil ab hoste, nihil a peste, nihil ab ulla clade timeatur. — Quis hanc rem publicam sanus, non dicam Romano imperio, sed domui Sardanapali conparauerit? qui quondam rex ita fuit uoluptatibus deditus, ut in sepulcro suo scribi fecerit ea sola se habere mortuum, quae libido eius, etiam cum uiueret, hauriendo consumserat. Quem regem si isti haberent sibi in talibus indulgentem nec in eis cuiquam ulla seueritate aduersantem, huic libentius quam Romani ueteres Romulo templum et flaminem consecrarent.

CAPUT XXI.

Quae sententia fuerit Ciceronis de Romana re publica.

Sed si contemnitur qui Romanam rem publicam pessimam ac flagitiosissimam dixit, nec curant isti quanta morum pessi-

1 quibusque *L* Λ *a b d p q v*; quibuscumque *C e* 3 priuata habere *v* 5 conuibia *L* 6 potuerit *L* Λ *C a b d e p q k f v*; placuerit *α Domb.* diu *L* Λ *C* e^1 *p*; die *a b d* e^2 *q v Domb.* 9 *ante* ille *m. 2 sup. lin.* et Λ 11 liuera *L* Λ auert. ab auribus *om. b* a sedibus *L* Λ *C a b d e p v*; e sedibus *q Domb.* 12 bibentibus *L* Λ^1 17 non] ne e^1 19 quodam L^1 C^1 20 liuido *L* 21 si isti *L* Λ^1; isti Λ^2 *C rell. v* 23 liuent. *L* Λ 29 dixit *om.* b^1

morum ac flagitiosissimorum labe ac dedecore inpleatur, sed tantummodo ut consistat et maneat: audiant eam non, ut Sallustius narrat, pessimam ac flagitiosissimam factam, sed, sicut Cicero disputat, iam tunc prorsus perisse et nullam omnino remansisse rem publicam. Inducit enim Scipionem, eum ipsum qui Carthaginem extinxerat, de re publica disputantem, quando praesentiebatur ea corruptione, quam describit Sallustius, iam iamque peritura. Eo quippe tempore disputatur, quo iam unus Gracchorum occisus fuit, a quo scribit seditiones graues coepisse Sallustius. Nam mortis eius fit in eisdem libris commemoratio. Cum autem Scipio in secundi libri fine dixisset, 'ut in fidibus aut tibiis adque cantu ipso ac uocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem inmutatum aut discrepantem aures eruditae ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum uocum moderatione concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis et infimis et mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione ciuitatem consensu dissimillimorum concinere, et quae harmonia a musicis dicitur in cantu, eam esse in ciuitate concordiam, artissimum adque optimum omni in re publica uinculum incolumitatis, eamque sine iustitia nullo pacto esse posse,' ac deinde cum aliquanto latius et uberius disseruisset, quantum prodesset iustitia ciuitati quantumque obesset, si afuisset, suscepit deinde Philus, unus eorum qui disputationi aderant, et poposcit, ut haec ipsa quaestio diligentius tracta-

10 Hist. I 11 Cic. rep. II, 42, 69

1 flagitiosissimorum *corr. Halm;* flagitiosorum *mss.* *v* laue *L* Λ 7 praesentieuatur *L* Λ 8 iam *ante* iamque *om.* C^1 peritura, *superscripto m. 2* erat, *L* Λ disputator C^1 9 grecorū, *e* 11 eisdem, *v m. 2, C* 12 fiddibus C^1 aut *codd.;* ac *v* in tibiis *a* 13 ac, c *sup. lin., C* 14 mutatum *C* aut] atq;. *ex* utq; *corr.* Λ heruditae Λ 15 if//q;. te (?) *eras., C* 17 et ut *e* modera,tione *C*; moderatione, ione *m. 2 in ras., b* 18 dii similimorum *C* 22 cum *om. C* 24 afuisset *L* Λ *C* d^2 *e p* α^1 k^1; abfuisset *a* b^2 *q v*; aff. b^1; abuisset d^1 pilus *mss.*

retur ac de iustitia plura dicerentur, propter illud, quod iam uulgo ferebatur rem publicam regi sine iniuria non posse. Hanc proinde quaestionem discutiendam et enodandam esse adsensus est Scipio responditque nihil esse, quod adhuc de re publica dictum putaret, quo possent longius progredi, nisi esset confirmatum non modo falsum esse illud, sine iniuria non posse, sed hoc uerissimum esse, sine summa iustitia rem publicam regi non posse. Cuius quaestionis explicatio cum in diem consequentem dilata esset, in tertio libro magna conflictione res acta est. Suscepit enim Philus ipse disputationem eorum, qui sentirent sine iniustitia geri non posse rem publicam, purgans praecipue, ne hoc ipse sentire crederetur, egitque sedulo pro iniustitia contra iustitiam, ut hanc esse utilem rei publicae, illam uero inutilem, ueri similibus rationibus et exemplis uelut conaretur ostendere. Tum Laelius rogantibus omnibus iustitiam defendere adgressus est adseruitque, quantum potuit, nihil tam inimicum quam iniustitiam ciuitati nec omnino nisi magna iustitia geri aut stare [posse] rem publicam.

Qua quaestione, quantum satis uisum est, pertractata Scipio ad intermissa reuertitur recolitque suam adque commendat breuem rei publicae definitionem, qua dixerat eam esse rem populi. Populum autem non omnem coetum multitudinis, sed coetum iuris consensu et utilitatis communione sociatum esse determinat. Docet deinde quanta sit in disputando definitionis

4 Rep. II, 43 sq. 13 ib, III, 5, 8 23 I, 25, 39

2 fereuatur *L* Λ regi *codd. v*; geri, *quod in C b legi falso adnotauerat Dübner, edidit Domb.* 3 adsensus est esse L^1 Λ 4 ad hoc C^1 5 putaret dictum *v* putarent *Domb. respiciens Palimps. Vat. uerba* quod . . dictum putemus, *sed omisso* et *post* putaret *alia sententiae forma efficitur* quo possent *L* Λ^1 *p*; et quo possent (posset *a*) *C* Λ^2 *rell. v* 8 regi *L* Λ *C* b^2 *d e p q v*; geri *a* b^1 *f Palimps. Vat.* 9 conflictatione *a e* p^2 *q v* 10 pilus *mss.* 11 iustitia C^1 geri *L* Λ *C a* b^1 *p* α *k f*; regi b^2 *d e q v* 13 pro iustitia *C* 16 agressus L^1 Λ 18 posse *om.* L^1 C^1; posse *m. 2 ex* pone *corr.* Λ 21 reuertetur C^1 22 brebem *L* Λ C^1 diffinit. *a* 23 populo *C* 24 iuris, *m. 2 ex* uiris *corr.*, *C*

utilitas, adque ex illis suis definitionibus colligit tunc esse rem publicam, id est rem populi, cum bene ac iuste geritur siue ab uno rege siue a paucis optimatibus siue ab uniuerso populo. Cum uero iniustus est rex, quem tyrannum more Graeco appellauit, aut iniusti optimates, quorum consensum dixit esse factionem, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum non repperit, nisi ut etiam ipsum tyrannum uocaret: non iam uitiosam, sicut pridie fuerat disputatum, sed, sicut ratio ex illis definitionibus conexa docuisset, omnino nullam esse rem publicam, quoniam non esset res populi, cum tyrannus eam factioue capesseret, nec ipse populus iam populus esset, si esset iniustus, quoniam non esset multitudo iuris consensu et utilitatis communione sociata, sicut populus fuerat definitus.

Quando ergo res publica Romana talis erat, qualem illam describit Sallustius, non iam pessima ac flagitiosissima, sicut ipse ait, sed omnino nulla erat secundum istam rationem, quam disputatio de re publica inter magnos eius tum principes habita patefecit. Sicut etiam ipse Tullius non Scipionis nec cuiusquam alterius, sed suo sermone loquens in principio quinti libri commemorato prius Ennii poetae uersu, quo dixerat:

Moribus antiquis res stat Romana uirisque,

'quem quidem ille uersum, inquit, uel breuitate uel ueritate tamquam ex oraculo quodam mihi [esse] effatus uidetur. Nam neque uiri, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi hi uiri praefuissent, aut fundare aut tam diu tenere potuissent tantam et tam iuste longe lateque imperantem

1 definionibus C^1 thunc $L\Lambda$ 3 a bono rege $L\Lambda$; a rege uno *p* 8 pridem *C* 11 factioue *dp, ex coni. Morel v;* factione *rell.* 19 abita $L\Lambda$ 21 enni $L\Lambda$; enii *C* 23 restat C^1 *de* uiri/que, f *eras.*, *L* 25 quodam mihi $L\Lambda$; mihi quodam *C rell. v* esse *om.* L^1 affatus $a^1 e$; effectus *C* 28 et tam] etiam *C* iuste *codd. excepto f, qui* iniuste *habet;* fuse *cj. Halm (ed. Cic. Tutis) et sic Domb. expeditur locus scriptura cod. p:* tam iuste longe lateque; longe *om. rell.*

rem publicam. Itaque ante nostram memoriam et mos ipse patrius praestantes uiros adhibebat, et ueterem morem ac maiorum instituta retinebant excellentes uiri. Nostra uero aetas cum rem publicam sicut picturam accepisset egregiam, sed euanescentem uetustate, non modo eam coloribus isdem quibus fuerat renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, ut formam saltem eius et extrema tamquam liniamenta seruaret. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam, quos ita obliuione obsoletos uidemus, ut non modo non colantur, sed iam ignorentur? Nam de uiris quid dicam? Mores enim ipsi interierunt uirorum penuria, cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tamquam reis capitis quodam modo dicenda causa est. Nostris enim uitiis, non casu aliquo, rem publicam uerbo retinemus, re ipsa uero iam pridem amisimus.'

Haec Cicero fatebatur, longe quidem post mortem Africani, quem in suis libris fecit de re publica disputare, adhuc tamen ante aduentum Christi; quae si diffamata et praeualescente religione Christiana sentirentur adque dicerentur, quis non istorum ea Christianis inputanda esse censeret? Quam ob rem quur non curarunt di eorum, ne tunc periret adque amitteretur illa res publica, quam Cicero longe, antequam Christus in carne uenisset, tam lugubriter deplorat amissam? Viderint laudatores eius etiam illis antiquis uiris et moribus qualis fuerit, utrum in ea uiguerit uera iustitia an forte nec tunc fuerit uiua moribus, sed picta coloribus; quod et ipse Cicero nesciens, cum eam praeferret, expressit. Sed alias, si Deus uoluerit, hoc uidebimus. Enitar enim suo loco, ut

28 XVIII c. 21

5 euanisc. *C* isdem *L* Λ *C e p*; hisdem *b*; iisdem *v* 7 saltim *C d* liniamenta *L* Λ *C*¹ *e*; lineam. *v* 9 i/ta, s *eras.*, *C* 10 iam] etiam Λ² *v* 11 penuria/, m *eras.*, *C* 13 res *L*¹ Λ¹ 17 lib/ris, e *eras.*, *L* 18 si *sup. lin. C* 20 ea *m. 1 sup. lin. L* censere/t, n *eras.*, *L* 21 tunc (thunc *L* Λ) *mss. v*; tum *Domb.*² 25 utrum *usque ad* fuerit *om. e*¹ 26 thunc *L* Λ biba *L* Λ 27 aliasi *L* 28 uideuimus *L* Λ

ostendam secundum definitiones ipsius Ciceronis, quibus quid sit res publica et quid sit populus loquente Scipione breuiter posuit (adtestantibus etiam multis siue ipsius siue eorum quos loqui fecit in eadem disputatione sententiis), numquam illam fuisse rem publicam, quia numquam in ea fuerit uera iustitia. Secundum probabiliores autem definitiones pro suo modo quodam res publica fuit, et melius ab antiquioribus Romanis quam a posterioribus administrata est; uera autem iustitia non est nisi in ea re publica, cuius conditor rectorque Christus est, si et ipsam rem publicam placet dicere, quoniam eam rem populi esse negare non possumus. Si autem hoc nomen, quod alibi aliterque uulgatum est, ab usu nostrae locutionis est forte remotius, in ea certe ciuitate est uera iustitia, de qua scriptura sancta dicit: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

CAPUT XXII.

Quod dis Romanorum nulla umquam cura fuerit, ne malis moribus res publica deperiret.

Sed quod pertinet ad praesentem quaestionem, quamlibet laudabilem dicant istam fuisse uel esse rem publicam, secundum eorum auctores doctissimos iam longe ante Christi aduentum pessima ac flagitiosissima facta erat; immo uero nulla erat adque omnino perierat perditissimis moribus. Ut ergo non periret, di custodes eius populo cultori suo dare praecipue uitae ac morum praecepta debuerunt, a quo tot templis, tot sacerdotibus et sacrificiorum generibus, tam multiplicibus

14 Ps. 86, 3

1 definitiones, s *erasa litt.* m, *L* 4 eadem *L* sententis *L*; sentiis *C* 5 fuerit *L* Λ *p* α; fuit *C rell. v Domb.* 6 prouauiliores *L*; prouaiiores Λ¹ 7 quondam Λ² *b*² *e* α *k*² 9 re p., f *eras., C* 11 esse *m. 1 sup. lin. L* 12 uso *C*¹ 13 loquutionis *L* Λ²; loquutus Λ¹ 14 sancta *om. e* gloriosa *L* Λ *C p q* α *k f v*; gloriosissima *a b d e* de te dicta sunt *b e q* 18 deperisset *p* 20 laudauilem *L* 21 iam] tam *e* 24 custodis *C*¹ praecipuae *C*

uariisque sacris, tot festis sollemnitatibus, tot tantorumque ludorum celebritatibus colebantur; ubi nihil daemones nisi negotium suum egerunt, non curantes quem ad modum illi uiuerent, immo curantes ut etiam perdite uiuerent, dum tamen honori suo illa omnia metu subditi ministrarent. Aut si dederunt, proferatur ostendatur legatur, quas deorum leges illi ciuitati datas contemserint Gracchi, ut seditionibus cuncta turbarent, quas Marius et Cinna et Carbo, ut in bella etiam progrederentur ciuilia causis iniquissimis suscepta et crudeliter gesta crudeliusque finita, quas denique Sylla ipse, cuius uitam mores facta describente Sallustio aliisque scriptoribus historiae quis non exhorreat? quis illam rem publicam non tunc perisse fateatur?

An forte propter huiusce modi ciuium mores Vergilianam illam sententiam, sicut solent, pro defensione deorum suorum obponere audebunt:

> Discessere omnes adytis arisque relictis
> Di, quibus imperium hoc steterat?

Primum si ita est, non habent quur querantur de religione Christiana, quod hac offensi eos di sui deseruerint, quoniam quidem maiores eorum iam pridem moribus suis ab Urbis altaribus tam multos ac minutos deos tamquam muscas abegerunt. Sed tamen haec numinum turba ubi erat, cum longe antequam mores corrumperentur antiqui a Gallis Roma capta et incensa est? An praesentes forte dormiebant? Tunc enim tota Urbe in hostium potestatem redacta collis solus Capitolinus remanserat, qui etiam ipse caperetur, nisi saltem

18 Aen. 2, 351 sq.

1 sacris *om. e* 2 coleuatur *L* 4 uiberent—uiberent *L* 8 turuarent *L* Λ 10 uita *L* Λ 11 hist. script. *v* historiam Λ 12 non *ante* tunc *sup. lin. L* 15 deorum suorum *L* Λ *C p q*; suorum deorum *rell. v Domb.* 17 abditis *p* 20 deseruerunt *α* 21 maioribus suis *e* 24 corumperentur *L*; corrumpentur Λ¹ 25 a *C* thunc *L* Λ 26 potestate *C d* collis solus *L* Λ; sol. coll. *C rell. v* 27 capitulinus *C d*

anseres dis dormientibus uigilarent. Unde paene in superstitionem Aegyptiorum bestias auesque colentium Roma deciderat, cum anseri sollemnia celebrabant. Verum de his aduenticiis et corporis potius quam animi malis, quae uel ab hostibus uel alia clade accidunt, nondum interim disputo: nunc ago de labe morum, quibus primum paulatim decoloratis, deinde torrentis modo praecipitatis tanta quamuis integris tectis moenibusque facta est ruina rei publicae, ut magni auctores eorum eam tunc amissam non dubitent dicere. Recte autem abscesserant, ut amitteretur, omnes adytis arisque relictis di, si eorum de bona uita adque iustitia ciuitas praecepta contemserat. Nunc uero quales, quaeso, di fuerunt, si noluerunt cum populo cultore suo uiuere, quem male uiuentem non docuerant bene uiuere?

CAPUT XXIII.

Varietates rerum temporalium non ex fauore aut inpugnatione daemonum, sed ex ueri Dei pendere iudicio.

Quid quod etiam uidentur eorum adfuisse cupiditatibus inplendis, et ostenduntur non praefuisse refrenandis, qui enim Marium nouum hominem et ignobilem, cruentissimum auctorem bellorum ciuilium adque gestorem, ut septiens consul fieret adiuuerunt adque ut in septimo suo consulatu moreretur senex nec in manus Syllae futuri mox uictoris inrueret. Si enim ad haec eum di eorum non iuuerunt, non parum est quod fatentur etiam non propitiis dis suis posse accidere homini istam temporalem, quam nimis diligunt, tantam felicitatem et posse

1 paene L^1 *C*; pene L^2 Λ e^2 *p*; poene e^1; bene *a* insuper institionem *C* 2 uestias *L* romani deciderant *a k*; romani didicerant α^2 f^2 4 animalis Λ 5 hos//t/ibus, *ex* hominibus (?) *corr.*, *L* 6 laue *L* decoratis *C* 7 praecipitatus *C* 11 diseorum *L*; diis eorum Λ; dii eorum *e* 12 contemsera/t, n *eras.*, *L* 13. 14 bibere *L* Λ 13 uibentem *L* 20 profuisse b^1 α frenandis *L* Λ α 22 gestorom C^1 23 adiuuerant C^1 consolatu Λ C^1 24 nec *C dett. v*; ne *L* Λ

homines, sicut fuit Marius, salute uiribus, opibus honoribus, dignitate longaeuitate cumulari et perfrui dis iratis; posse etiam homines, sicut fuit Regulus, captiuitate seruitute inopia, uigiliis doloribus excruciari et emori dis amicis. Quod si ita esse concedunt, conpendio nihil eos prodesse et coli superfluo confitentur. Nam si uirtutibus animi et probitati uitae, cuius praemia post mortem speranda sunt, magis contraria ut populus disceret instituerunt; si nihil etiam in his transeuntibus et temporalibus bonis uel eis quos oderunt nocent, uel eis quos diligunt prosunt, ut quid coluntur, ut quid tanto studio colendi requiruntur? Quur laboriosis tristibusque temporibus, tamquam offensi abscesserint, murmuratur et propter eos Christiana religio conuiciis indignissimis laeditur? Si autem habent in his rebus uel beneficii uel maleficii potestatem, quur in eis adfuerunt pessimo uiro Mario, et optimo Regulo defuerunt? An ex hoc ipsi intelleguntur iniustissimi et pessimi? Quod si propterea magis timendi et colendi putantur, neque hoc putentur; neque enim minus eos inuenitur Regulus coluisse quam Marius. Nec ideo uita pessima eligenda uideatur, quia magis Mario quam Regulo di fauisse existimantur. Metellus enim Romanorum laudatissimus, qui habuit quinque filios consulares, etiam rerum temporalium felix fuit, et Catilina pessimus obpressus inopia et in bello sui sceleris prostratus infelix, et uerissima adque certissima felicitate praepollent boni Deum colentes, a quo solo conferri potest.

Illa igitur res publica malis moribus cum periret, nihil di eorum pro dirigendis uel pro corrigendis egerunt moribus, ne periret; immo deprauandis et corrumpendis addiderunt moribus, ut periret. Nec se bonos fingant, quod uelut offensi ciuium

2 disideratis *d* 3 seruitute *om.* Λ 4 excruciari,e t,mori *C* 8 instituerunt *L* Λ nil Λ 10 colentur e^1 11 lauor. *L* Λ 15 optimo, *superscripto m. 2* uiro, Λ 16 i'pso, n *eras.*, *L*; ipso Λ 20 di fuisse Λ 21 enim, *superscripto m. 2* qui fuit, Λ 27 diligendis *d* dirig. atque corrigendis *p*; dirig. atque colendis *α* egerunt .... deprauandis *om. b* 28 perirent *L* Λ^1 *C*; perisset *e* addederunt C^1 29 perirent *L* Λ^1 *C*

iniquitate discesserint. Prorsus ibi erant; produntur, conuincuntur; nec subuenire praecipiendo nec latere tacendo potuerunt. Omitto quod Marius a miserantibus Minturnensibus Maricae deae in luco eius commendatus est, ut ei omnia prosperaret, et ex summa desperatione reuersus incolumis in Urbem duxit crudelem crudelis exercitum; ubi quam cruenta, quam inciuilis hostilique inmanior eius uictoria fuerit, eos qui scripserunt legant qui uolunt. Sed hoc, ut dixi, omitto, nec Maricae nescio cui tribuo Marii sanguineam felicitatem, sed occultae potius prouidentiae Dei ad istorum ora claudenda eosque ab errore liberandos, qui non studiis agunt, sed haec prudenter aduertunt, quia, etsi aliquid in his rebus daemones possunt, tantum possunt, quantum secreto omnipotentis arbitrio permittuntur, ne magnipendamus terrenam felicitatem, quae sicut Mario malis etiam plerumque conceditur, nec eam rursus quasi malam arbitremur, cum ea multos etiam pios ac bonos unius ueri Dei cultores inuitis daemonibus praepolluisse uideamus, nec eosdem inmundissimos spiritus uel propter haec ipsa bona malaue terrena propitiandos aut timendos existimemus, quia, sicut ipsi mali homines in terra, sic etiam illi non omnia quae uolunt facere possunt, nisi quantum illius ordinatione sinitur, cuius plene iudicia nemo conprehendit, iuste nemo reprehendit.

CAPUT XXIIII.

De Syllanis actibus, quorum se daemones ostentauerint adiutores.

Sylla certe ipse, cuius tempora talia fuerunt, ut superiora, quorum uindex esse uidebatur, illorum conparatione quaere-

1 discesserunt *e* 4 loco C^1 5 incolomis C^1 6 cruenta *L* ciuilis C^1 7 hostilisque *e* 11 liueran. *L* Λ prudentes *C* 14 nec *e* 15 plerumque *usque ad* etiam *om.* e^1 16 in ea, in *m. 2 sup. lin.*, Λ 17 Dei ueri *v* 22 sinitur *codd. praeter q*; sinuntur *q v* plena, *superscripto* ł plane, *b*; *om.* p^1 iuste nemo reprehendit *om.* $\Lambda^1 p^1$ 25 ostentauerint *C*; ostentauerunt *p q v* 27 temporalia *C* ut *om.* C^1 28 illius *d e*; ł illius *corr. m. in marg. C*

rentur, cum primum ad Urbem contra Marium castra mouisset, adeo laeta exta immolanti fuisse scribit Liuius, ut custodiri se Postumius haruspex uoluerit capitis supplicium subiturus, nisi ea, quae in animo Sylla haberet, dis iuuantibus inpleuisset. Ecce non discesserant adytis adque aris relictis di, quando de rerum euentu praedicebant nihilque de ipsius Syllae correctione curabant. Promittebant praesagando felicitatem magnam nec malam cupiditatem minando frangebant. Deinde cum esset in Asia bellum Mithridaticum gerens, per Lucium Titium ei mandatum est a Ioue, quod esset Mithridatem superaturus, et factum est. Ac postea molienti redire in Urbem et suas amicorumque iniurias ciuili sanguine ulcisci, iterum mandatum est ab eodem Ioue per militem quendam legionis sextae, prius se de Mithridate praenuntiasse uictoriam, et tunc promittere daturum se potestatem, qua recuperaret ab inimicis rem publicam non sine multo sanguine. Tum percontatus Sylla, quae forma militi uisa fuerit, cum ille indicasset, eam recordatus est, quam prius ab illo audierat, qui de Mithridatica uictoria ab eodem mandata pertulerat. Quid hic responderi potest, quare di curauerint uelut felicia ista nuntiare, et nullus eorum curauerit Syllam monendo corrigere mala tanta facturum scelestis armis ciuilibus, qualia non foedarent, sed auferrent omnino rem publicam? Nempe intelleguntur daemones, sicut saepe dixi notumque nobis est in litteris sacris resque ipsae satis indicant, negotium suum agere, ut

2 L. LXXVII.

2 libuus *e* 3 aruspex $\Lambda^1 e^1$ 4 haberet] uoueret *e* iubantibus *L* Λ 5 adytis adque aris *L* Λ *p*; adytis (ſ *eras.*) adque, *m. 2 corr. C*; adytis arisque *rell. v* 6 praedicent, ba *m. 1, L* ipsius *om. p* 8 praesagando *codd.*; praesagiendo $a^2 v$ 9 L. *C* 12 iniurias] sibi ortasinas k^1; sibi ortas iniurias k^2; sibi ortas *corr. m. in marg. C* 13 ioue/, m *eras., C* rectae, *in marg. m. 2* sextae, *C* 15 qua/, e *eras., C* reciperaret L^1 15 *et* 23 rem populi *α* 16 tum *L* Λ *b p q Domb.*; tunc *C a d e v* 18 prior p^1 20 curauerunt Λ 22 cibilibus C^1 24 sępąe| iam, iam *m. 2 extra uersum, C*; sepe iam *a*

pro dis habeantur et colantur, ut ea illis exhibeantur, quibus hi qui exhibent sociati unam pessimam causam cum eis habeant in iudicio Dei.

Deinde cum uenisset Tarentum Sylla adque ibi sacrificasset, uidit in capite uitulini iecoris similitudinem coronae aureae. Tunc Postumius haruspex ille respondit praeclaram significare uictoriam iussitque ut extis illis solus uesceretur. Postea paruo interuallo seruus cuiusdam Lucii Pontii uaticinando clamauit: 'a Bellona nuntius uenio, uictoria tua est, Sylla'. Deinde adiecit arsurum esse Capitolium. Hoc cum dixisset, continuo egressus e castris postero die concitatior reuersus est et Capitolium arsisse clamauit. Arserat autem re uera Capitolium. Quod quidem daemoni et praeuidere facile fuit et celerrime nuntiare. Illud sane intende, quod ad causam maxime pertinet, sub qualibus dis esse cupiant, qui blasphemant Saluatorem uoluntates fidelium a dominatu daemonum liberantem. Clamauit homo uaticinando: 'uictoria tua est, Sylla', adque ut id diuino spiritu clamare crederetur, nuntiauit etiam aliquid et prope futurum et mox factum, unde longe aberat per quem ille spiritus loquebatur; non tamen clamauit: 'ab sceleribus parce, Sylla', quae illic uictor tam horrenda commisit, cui corona aurea ipsius uictoriae inlustrissimum signum in uitulino iecore apparuit, qualia signa si di iusti dare solerent ac non daemones inpii, profecto illis extis nefaria potius adque ipsi Syllae grauiter noxia mala futura monstrarent. Neque enim eius dignitati tantum profuit illa uictoria, quantum nocuit cupiditati; qua factum est, ut inmoderatis inhians et secundis rebus elatus ac praecipitatus magis ipse periret

1 et] ut *b e* ut ea *L Λ b p q;* et ea *C rell. v Domb.* 2 hi *L Λ C a b d e α f;* hii *p q k*^{1}; ii *v* societati *C* 4 sacrific/asset, i *eras., L* 6 tum *p* significare *L Λ p α*^{1}; ei significare *C a d e k f v*; eis sign. *b;* ei significari *q Domb.* 8 luci *L Λ, m. 2 sup. lin. C* 11 postera *q v* 12 autem *m. 1 sup. lin. L* 15 esse se *Λ* 17 uaticinando *m. 1 sup. lin. L* 18 id *om. C*^{1} nuntiabit *L Λ* 20 loqueuatur *L Λ* 21 uictoriam horrendam *C* 24 solent *L*^{1} *C*

in moribus, quam inimicos in corporibus perderet. Haec illi di uere tristia uereque lugenda non extis, non auguriis, non cuiusquam somnio uel uaticinio praenuntiabant. Magis enim timebant ne corrigeretur quam ne uinceretur. Immo satis agebant, ut uictor ciuium gloriosus uictus adque captiuus nefandis uitiis et per haec ipsis etiam daemonibus multo obstrictius subderetur.

CAPUT XXV.

Quantum maligni spiritus ad flagitia incitent homines, cum in committendis sceleribus quasi diuinam exempli sui interponunt auctoritatem.

Illinc uero quis non intellegat, quis non uideat, nisi qui tales deos imitari magis elegit quam diuina gratia ab eorum societate separari, quantum moliantur maligni isti spiritus exemplo suo uelut diuinam auctoritatem praebere sceleribus? quod etiam in quadam Campaniae lata planitie, ubi non multo post ciuiles acies nefario proelio conflixerunt, ipsi inter se prius pugnare uisi sunt. Namque ibi auditi sunt primum ingentes fragores, moxque multi se uidisse nuntiarunt per aliquot dies duas acies proeliari. Quae pugna ubi destitit, uestigia quoque uelut hominum et equorum, quanta de illa conflictatione exprimi poterant, inuenerunt. Si ergo ueraciter inter se numina pugnauerunt, iam bella ciuilia excusantur humana; consideretur tamen quae sit talium deorum uel malitia uel miseria: si autem se pugnasse finxerunt, quid aliud egerunt, nisi ut sibi Romani bellando ciuiliter tamquam deorum exemplo

3 praenuntiabant, *in marg.*: ut corrigerentur, Λ 5 agebant, *in marg.* al. gaudebant, Λ ut *om. C* captibus *L* Λ 10 cum in committendis *q v*; in *om. p*; quamquam mittendis *C* 12 illic $C^1 p$ audeat e^1; audiat e^2 16 planitiae $L^1 C^1$; *in marg.* Λ: dii apud Campaniam inter se pugnasse traduntur cum romani in ciuilia bella prorumperent 20 aliquod C^1 22 conflictione *L* Λ *q* 23 pugnauerunt *mss. v*; pugnarunt *Domb.* excusentur *v* 24 consideraretur L^1 Λ deorum *sup. lin. C*

nullum nefas admittere uiderentur? Iam enim coeperant bella ciuilia, et aliquot nefandorum proeliorum strages exsecranda praecesserat. Iam multos mouerat, quod miles quidam, dum occiso spolia detraheret, fratrem nudato cadauere agnouit ac detestatus bella ciuilia se ipsum ibi perimens fraterno corpori adiunxit. Ut ergo huius tanti mali minime taederet, sed armorum scelestorum magis magisque ardor incresceret, noxii daemones, quos illi deos putantes colendos et uenerandos arbitrabantur, inter se pugnantes hominibus apparere uoluerunt, ne imitari tales pugnas ciuica trepidaret adfectio, sed potius humanum scelus diuino excusaretur exemplo. Hac astutia maligni spiritus etiam ludos, unde multa iam dixi, scaenicos sibi dicari sacrarique iusserunt, ubi tanta deorum flagitia theatricis canticis adque fabularum actionibus celebrata et quisquis eos fecisse crederet et quisquis non crederet, sed tamen illos libentissime sibi talia exhiberi cerneret, securus imitaretur. Ne quis itaque existimaret in deos conuicia potius quam eis dignum aliquid scriptitasse, ubicumque illos inter se pugnasse poetae commemorarunt, ipsi ad decipiendos homines poetarum carmina firmauerunt, pugnas uidelicet suas non solum per scaenicos in theatro, uerum etiam per se ipsos in campo humanis oculis exhibentes.

Haec dicere conpulsi sumus, quoniam pessimis moribus ciuium Romanam rem publicam iam antea perditam fuisse nullamque remansisse ante aduentum Christi Iesu domini nostri auctores eorum dicere et scribere minime dubitarunt.

1 nefas, *in marg.* in al. facinus, Λ 2 cibilia *L* Λ aliquod *L* Λ C^1 *e* 3 process. a^1 6 tanti huius *v* 8 putantes, *m. 2. corr. in* putant et *C;* putant esse *e* et uenerandos *om. C* 9 arbitrantur L^1 13 ubi/// tanta, bi *m. 2 in ras., L* deorum tanta *v* 14 canticis *sup. lin. C* celebrata et *L* Λ C^1 *b* a^1 *v;* celebr. ut C^2 *a e* a^2 k^2; celebr. est ut k^1 *f;* celebrata sunt ut *q;* celebrantur ut *p* 15 eos fecisse *L* Λ C^1 b^1 *d p* α *f Domb.;* eos talia fecisse C^2 *a* b^2 *e q k v* 16 illos libentissime sibi talia exhiberi *mss.;* illos libent. s. t. uelle exhiberi *v;* illis libentissimis ibi talia exhiberi *Domb.* 19 poeta commerarunt *C* 25 ante] ate *L* Λ^1 xp̃i ihū dnī nī *L* Λ *p;* domini nostri Iesu Christi *C rell. v* 26 dicer,et *C*

Quam perditionem dis suis non inputant, qui mala transitoria, quibus boni, seu uiuant seu moriantur, perire non possunt, Christo nostro inputant: cum Christus noster tanta frequentet pro moribus optimis praecepta contra perditos mores; di uero ipsorum nullis talibus praeceptis egerint aliquid cum suo cultore populo pro illa re publica, ne periret; immo eosdem mores uelut suis exemplis auctoritate noxia corrumpendo egerunt potius, ut periret. Quam non ideo tunc perisse quisquam, ut arbitror, iam dicere audebit, quia 'discessere omnes adytis arisque relictis di', uelut amici uirtutibus, cum uitiis hominum offenderentur; quia tot signis extorum auguriorum uaticiniorum, quibus se tamquam praescios futurorum adiutoresque proeliorum iactare et commendare gestiebant, conuincuntur fuisse praesentes; qui si uere abscessissent, mitius Romani in bella ciuilia suis cupiditatibus quam illorum instigationibus exarsissent.

CAPUT XXVI.

De secretis daemonum monitis, quae pertinebant ad bonos mores, cum palam in sacris eorum omnis nequitia disceretur.

Quae cum ita sint, cum palam aperteque turpitudines crudelitatibus mixtae, obprobria numinum et crimina, siue prodita siue conficta, ipsis exposcentibus et nisi fieret irascentibus etiam certis et statis sollemnitatibus consecrata illis et dicata claruerint adque ad omnium oculos ut imitanda proponerentur, spectanda processerint: quid est, quod idem

2 boniseu C^1; boni,seu, *superscripto* h *eraso*, C^2 uibunt $L\Lambda$ morantur Λ^1 3 cum *usque ad* optimis *m. rec. in marg.* C frequenter $L\Lambda$, *marg.* C 4 contra///, *tribus ut uidetur litteris eras.*, C 5 egerunt L^1 10 sacrisque C 12 uaticiniorum.... futurorum *om.* $L\Lambda^1$ adiutorisque C^1 13 conuincitur L^1 19 mores bonos p 22 mixta L^1; mixtas $L^2\Lambda$ C *d e;* mixtę sunt a et obpr., et *m. 2 sup. lin.*, a 23 confincta $L\Lambda$ 24 statutis $L\Lambda$ C *a d e* 25 dicata *codd. praeter b;* dedicata b v 26 idem *mss.;* iidem v

ipsi daemones, qui se huiusce modi uoluptatibus inmundos esse spiritus confitentur, qui suis flagitiis et facinoribus, siue indicatis siue simulatis, eorumque sibi celebratione petita ab inpudentibus, extorta a pudentibus auctores se uitae scelestae inmundaeque testantur, perhibentur tamen in adytis suis secretisque penetralibus dare quaedam bona praecepta de moribus quibusdam uelut electis sacratis suis? Quod si ita est, hoc ipso callidior aduertenda est et conuincenda malitia spirituum noxiorum. Tanta enim uis est probitatis et castitatis, ut omnis uel paene omnis eius laude moueatur humana natura, nec usque adeo sit turpitudine uitiosa, ut totum sensum honestatis amiserit. Proinde malignitas daemonum, nisi alicubi se, quem ad modum scriptum in nostris litteris nouimus, transfiguret in angelos lucis, non inplet negotium deceptionis. Foris itaque populis celeberrimo strepitu inpietas inpura circumsonat, et intus paucis castitas simulata uix sonat; praebentur propatula pudendis et secreta laudandis; decus latet et dedecus patet; quod malum geritur omnes conuocat spectatores, quod bonum dicitur uix aliquos inuenit auditores, tamquam honesta erubescenda sint et inhonesta glorianda. Sed ubi hoc nisi in daemonum templis? ubi nisi in fallaciae deuersoriis? Illud enim fit, ut honestiores, qui pauci sunt, capiantur; hoc autem, ne plures, qui sunt turpissimi, corrigantur.

Ubi et quando sacrati Caelestis audiebant castitatis praecepta, nescimus; ante ipsum tamen delubrum, ubi simulacrum illud locatum conspiciebamus, uniuersi undique confluentes et ubi quisque poterat stantes ludos qui agebantur intentissimi

14 2. Cor. 11, 14

1 huius Λ^1 2 spir. esse *v* 3 sibi *ex* siue *corr.* Λ ab inprudentibus *e* 4 ab impudentibus *e* 5 testentur *e* perhib. *om. e* inadytis *C* 6 penetrabilibus *C* quaedam perhibentur *e* 7 sacris C^1 10 mouea/tur, n *eras.*, *C* 11 sensum honest. amiserit $L\,\Lambda\,C\,p\,\alpha$ *Domb.;* amittat sensum honest. *a b d e q k f v* 17 praeuentur $L\,\Lambda$ 20 eruuescenda $L\,\Lambda$; erubisc. *C* 22 deuersoriis *C d;* diuers. $L\,\Lambda$ *rell. v* 28 quae $L\,\Lambda^1$ ageuantur *L* intentissime $L\,\Lambda\,e$

spectabamus, intuentes alternante conspectu hinc meretriciam pompam, illinc uirginem deam: illam suppliciter adorari, ante illam turpia celebrari; non ibi pudibundos mimos, nullam uerecundiorem scaenicam uidimus; cuncta obscenitatis inplebantur officia. Sciebatur uirginali numini quid placeret, et exhibebatur quod de templo domum matrona doctior reportaret. Nonnullae pudentiores auertebant faciem ab inpuris motibus scaenicorum et artem flagitii furtiua intentione discebant. Hominibus namque uerecundabantur, ne auderent inpudicos gestus ore libero cernere; sed multo minus audebant sacra eius, quam uenerabantur, casto corde damnare. Hoc tamen palam discendum praebebatur in templo, ad quod perpetrandum saltem secretum quaerebatur in domo, mirante nimium, si ullus ibi erat, pudore mortalium, quod humana flagitia non libere homines committerent, quae aput deos etiam religiose discerent iratos habituri, nisi etiam exhibere curarent. Quis enim alius spiritus occulto instinctu nequissimas agitans mentes et instat faciendis adulteriis et pascitur factis, nisi qui etiam sacris talibus oblectatur, constituens in templis simulacra daemonum, amans in ludis simulacra uitiorum, susurrans in occulto uerba iustitiae ad decipiendos etiam paucos bonos, frequentans in aperto inuitamenta nequitiae ad possidendos innumerabiles malos?

CAPUT XXVII.

Quanta euersione publicae disciplinae Romani dis suis placandis sacrauerint obscena ludorum.

Vir grauis et philosophaster Tullius aedilis futurus clamat in auribus ciuitatis, inter cetera sui magistratus officia sibi

26 Verr. V, 14

2 illic $L\Lambda^1$ 4 impleuantur $L\Lambda$ 5 et *sup. lin.* L 6 dootior $L\Lambda^1$ nullae C^1 8 furtiba L 9 uerecundebantur Λ gestoſ C liuero *et l.* 14 liuere $L\Lambda$ 13 mirū *e* pudor *e, in marg.* mirante pudore 14 quod] quae *e* 15 religiose .... etiam *om. e* 16 occultu C^1 instinctu *m. 2 in marg.* C 18 ni *e* 20 fururranſ C ad *m. 2 ex* ac *corr.* C 22 innumerauiles L 25 obſoena C 26 philosophaster tullius $L\Lambda\ C^1p^1v$; philosophus tertullius C^2p^2 *rell.* clamat $L\Lambda\ C\ a\ b^1\ d\ e\ p\ \alpha^1\ k^1$; clamabat $b^2\ q\ \alpha^2\ k^2\ \jmath^c\ v$

Floram matrem ludorum celebritate placandam; qui ludi tanto deuotius, quanto turpius celebrari solent. Dicit alio loco iam consul in extremis periculis ciuitatis, et ludos per decem dies factos, neque rem ullam quae ad placandos deos pertineret praetermissam; quasi non satius erat tales deos inritare temperantia quam placare luxuria, et eos honestate etiam ad inimicitias prouocare quam tanta deformitate lenire. Neque enim grauius fuerant quamlibet crudelissima inmanitate nociturі homines, propter quos placabantur, quam nocebant ipsi, cum uitiositate foedissima placarentur. Quando quidem ut auerteretur quod metuebatur ab hoste in corporibus, eo modo di conciliabantur, quo uirtus debellaretur in mentibus, qui non obponerentur defensores obpugnatoribus moenium, nisi prius fierent expugnatores morum bonorum. Hanc talium numinum placationem petulantissimam inpurissimam inpudentissimam nequissimam inmundissimam, cuius actores laudanda Romanae uirtutis indoles honore priuauit, tribu mouit, agnouit turpes, fecit infames, hanc, inquam, pudendam ueraeque religioni auersandam et detestandam talium numinum placationem, [has] fabulas in deos inlecebrosas adque crîminosas, haec ignominiosa deorum uel scelerate turpiterque facta uel sceleratius turpiusque conficta oculis et auribus publicis ciuitas tota discebat, haec commissa numinibus placere cernebat, et ideo non solum illis exhibenda, sed sibi quoque imitanda credebat, non illud nescio quid uelut bonum et honestum, quod tam

2 Cat. 3, 8

4 que *radendo ex* neque *corr. C* 8 grabius *L* 9 placauantur *L* 12 di L^1 14 fi.erent, i *radendo ex* u *corr., C* 15 impurissimam *m. 2 sup. lin. C, om. d* 16 auctores $a\,b^2\,e$ 17 priuabit *L* amouit $C^2\,e$ 19 aduersandam $C\,a^2$ et detestandam *sup. lin. C* [has] *om.* $L\,\Lambda\,b\,e\,p\,\alpha\,k\,f$ 21 deorum uel scelerate turpiterque facta uel sceleratius $L\,\Lambda\,C\,d\,p\,\alpha^1$ *Domb.;* deorum facta uel scelerate turpiterque uel sceleratius *f*; deorum facta uel sc. t. commissa u. sc. $a^2\,b\,e\,q\,\alpha^2\,k^2\,v$ (deorum *om.* a^1; commissa *om.* k^1) 22 confincta $L\,\Lambda$ 25 non] nam b^2 tam *m. 2 ex* cum *corr., C*

paucis et tam occulte dicebatur (si tamen dicebatur), ut magis ne innotesceret, quam ne non fieret, timeretur.

CAPUT XXVIII.

De Christianae religionis salubritate.

Ab istarum inmundissimarum potestatum tartareo iugo et societate poenali erui per Christi nomen homines et in lucem saluberrimae pietatis ab illa perniciosissimae inpietatis nocte transferri queruntur et murmurant iniqui et ingrati et illo nefario spiritu altius obstrictiusque possessi, quia populi confluunt ad ecclesiam casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione, ubi audiant quam bene hic ad tempus uiuere debeant, ut post hanc uitam beate semperque uiuere mereantur, ubi sancta scriptura iustitiaeque doctrina de superiore loco in conspectu omnium personante et qui faciunt audiant ad praemium, et qui non faciunt audiant ad iudicium. Quo etsi ueniunt quidam talium praeceptorum inrisores, omnis eorum petulantia aut repentina mutatione deponitur, aut timore uel pudore conprimitur. Nihil enim eis turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur, ubi ueri Dei aut praecepta insinuantur aut miracula narrantur, aut dona laudantur aut beneficia postulantur.

CAPUT XXVIIII.

De abiciendo cultu deorum cohortatio ad Romanos.

Haec potius concupisce, o indoles Romana laudabilis, o progenies Regulorum Scaeuolarum Scipionum Fabriciorum;

5 in tartareo *e* 7 saluuerrimae *L* 8 quaeruntur L^1 C^1 *e* 9 qui *L* 10 ecclesiam *L* Λ *C;* ecclesias *a b d e p q v Domb.* 11 *et* 12 uibere *L* Λ 15 Quo *mei codd. praeter* $Λ^2$, *v;* Quod $Λ^2$ *Domb.* 16 omnis, *superscripto m. 2* homines. *C* 17 immutatione *v* 19 ueri dei *L* Λ *p v, in L transpositio m. 2 notata;* dei ueri *C rell.* 25 concupisce *m. 2 ex* conpesce *corr. C*

haec potius concupisce, haec ab illa turpissima uanitate et fallacissima daemonum malignitate discerne. Si quid in te laudabile naturaliter eminet, non nisi uera pietate purgatur adque perficitur, inpietate autem disperditur et punitur. Nunc iam elige quid sequaris, ut non in te, sed in Deo uero sine ullo errore lauderis. Tunc enim tibi gloria popularis adfuit, sed occulto diuinae prouidentiae iudicio uera religio quam eligeres defuit. Expergiscere, dies est, sicut experrecta es in quibusdam, de quorum uirtute perfecta et pro fide uera etiam passionibus gloriamur, qui usquequaque aduersus potestates inimicissimas confligentes easque fortiter moriendo uincentes sanguine nobis hanc patriam peperere suo. Ad quam patriam te inuitamus et exhortamur, ut eius adiciaris numero ciuium, cuius quodam modo asylum est uera remissio peccatorum. Non audias degeneres tuos Christo Christianisue detrahentes et accusantes uelut tempora mala, cum quaerant tempora, quibus non sit quieta uita, sed potius secura nequitia. Haec tibi numquam nec pro terrena patria placuerunt. Nunc iam caelestem arripe, pro qua minimum laborabis, et in ea ueraciter semperque regnabis. Illic enim tibi non Vestalis focus, non lapis Capitolinus, sed Deus unus et uerus

nec metas rerum nec tempora ponit,
Imperium sine fine dabit.

Noli deos falsos fallacesque requirere; abice potius adque contemne in ueram emicans libertatem. Non sunt di, maligni sunt spiritus, quibus aeterna tua felicitas poena est. Non

22 Verg. Aen. I, 278 sq.

2 discerne///, *erasis duabus uel tribus litteris*, *C* 3 laudauiliter *L* Λ^1 4 inpietatei\ *C* autem *sup. lin. C* dispertitur b^2 punitur] '*malim* polluitur' *Domb.* 5 elege C^1 7 diuinae prouid. iudicio *L* Λ, *in L m. 2 transposit. indicata;* iud. diuin. prouid. *C rell. v* 8 elegeres *L;* legeres Λ C^1 9 et *sup. lin. L* 10 usquequoque C^1 12 perpere C^1 14 quodam *L;* quoddam Λ^1 15 degeneros e^1 18 propterrena Λ 19 lauorabis—regnauis *L* 21 capitulinus *C* 22 ponit *codd. praeter q;* ponet *q v* 25 contem/ne, p *eras.*, *C* liuert. *L*

tam Iuno Troianis, a quibus carnalem originem ducis, arces uidetur inuidisse Romanas, quam isti daemones, quos adhuc deos putas, omni generi hominum sedes inuident sempiternas. Et tu ipsa non parua ex parte de talibus spiritibus iudicasti, quando ludis eos placasti et per quos homines eosdem ludos fecisti, infames esse uoluisti. Patere adseri libertatem tuam aduersus inmundos spiritus, qui tuis ceruicibus inposuerant sacrandam sibi et celebrandam ignominiam suam. Actores criminum diuinorum remouisti ab honoribus tuis: supplica Deo uero, ut a te remoueat illos deos, qui delectantur criminibus suis, seu ueris, quod ignominiosissimum est, seu falsis, quod malitiosissimum. Bene, quod tua sponte histrionibus et scaenicis societatem ciuitatis patere noluisti; euigila plenius! Nullo modo his artibus placatur diuina maiestas, quibus humana dignitas inquinatur. Quo igitur pacto deos, qui talibus delectantur obsequiis, haberi putas in numero sanctarum caelestium potestatum, cum homines, per quos eadem aguntur obsequia, non putasti habendos in numero qualiumcumque ciuium Romanorum? Incomparabiliter superna est ciuitas clarior, ubi uictoria ueritas, ubi dignitas sanctitas, ubi pax felicitas, ubi uita aeternitas. Multo minus habet in sua societate tales deos, si tu in tua tales homines habere erubuisti. Proinde si ad beatam peruenire desideras ciuitatem, deuita daemonum societatem. Indigne ab honestis coluntur, qui per turpes placantur. Sie isti a tua pietate remoueantur purgatione Christiana, quo modo illi a tua dignitate remoti sunt notatione censoria. De bonis autem carnalibus, quibus solis mali perfrui uolunt, et de malis carnalibus, quae sola perpeti nolunt, quod neque in his habeant quam putantur habere isti daemones

1 duces *C* artes Λ^1 3 genere *e* 4 spiritibus *mss.; om. v* 7 aduersus L^1 *a b e p q v;* aduersis *d;* aduersum L^2 Λ *C* inmundissimos *d* inposuerant Λ *C e q k v;* inposuer///, *margine corroso, L;* inposuerunt *a b p* αf *Domb.* 9 suplica *L* Λ 12 malitiosissimum *L* Λ^1 *C e p;* mal. est Λ^2 *a b d q v Domb.* 13 ciuitatis////////patere *eraso nescio quo uocabulo L* 16 sanctorum *L* 19 incomparauiliter *L* Λ 23 preuenire C^1 24 indigne, e *m. 2 in* j *corr., C* hostis C^1 25 remobeantur *L*

potestatem (quamquam si haberent, deberemus potius etiam ista contemnere, quam propter ista illos colere et eos colendo ad illa, quae nobis inuident, peruenire non posse), — tamen nec in istis eos hoc ualere, quod hi putant, qui propter haec eos coli oportere contendunt, deinceps uidebimus, ut hic sit huius uoluminis modus.

LIBER III.

CAPUT I.

De aduersitatibus, quas solas mali metuunt et quas semper passus est mundus, cum deos coleret.

Iam satis dictum arbitror de morum malis et animorum, quae praecipue cauenda sunt, nihil deos falsos populo cultori suo, quo minus eorum malorum aggere premeretur, subuenire curasse, sed potius, ut maxime premeretur, egisse. Nunc de illis malis uideo dicendum, quae sola isti perpeti nolunt, qualia sunt fames morbus, bellum exspoliatio, captiuitas trucidatio, et si qua similia iam in primo libro commemorauimus. Haec enim sola mali deputant mala, quae non faciunt malos; nec erubescunt inter bona, quae laudant, ipsi mali esse qui laudant, magisque stomachantur, si uillam malam habeant, quam si uitam, quasi hoc sit hominis maximum bonum, habere bona omnia praeter se ipsum. Sed neque talia mala, quae isti sola formidant, di eorum, quando ab eis libere colebantur, ne illis acciderent obstiterunt. Cum enim uariis per

1 quąmquam Λ 2 contem/nere,' p *eras.*, *C* 5 uideuimus *L* Λ CONTRA PAGANOS | EXP. LIB. II. INC. LIB. III. *L* Λ AVR. AVGVSTINI EPĪ | CONTRA PAGANVS | DE CIVITATE DĪ FINIT | LIBER ·II· INC̄ LIB. III. *C* 9 solas *C;* soli *p q v Domb.* 11 et *om.* Λ¹ 16 bella *e* 17 commemorabimus *C*¹ 19 eruuescunt *L* Λ quaemą- laudant *C* 20 hi stomach., hi *m. 2 sup. lin.*, *C* 22 praeter *om. e* se ipsum non, non *m. 2 sup. lin.*, *e* 23 coleuantur *L* 24 per diuersa *mss.;* per diu. loca *v*

diuersa temporibus ante aduentum Redemtoris nostri innumerabilibus nonnullisque etiam incredibilibus cladibus genus contereretur humanum, quos alios quam istos deos mundus colebat, excepto uno populo Hebraeo et quibusdam extra ipsum populum, ubicumque gratia diuina digni occultissimo adque iustissimo Dei iudicio fuerunt? Verum ne nimis longum faciam, tacebo aliarum usquequaque gentium mala grauissima: quod ad Romam pertinet Romanumque imperium tantum loquar, id est ad ipsam proprie ciuitatem et quaecumque illi terrarum uel societate coniunctae uel condicione subiectae sunt, quae sint perpessae ante aduentum Christi, cum iam ad eius quasi corpus rei publicae pertinerent.

CAPUT II.

An di, qui et a Romanis et a Graecis similiter colebantur, causas habuerint, quibus Ilium paterentur exscindi.

Primum ipsa Troia uel Ilium, unde origo est populi Romani, (neque enim praetereundum aut dissimulandum est, quod et in primo libro adtigi) eosdem habens deos et colens quur a Graecis uictum, captum adque deletum est? 'Priamo, inquiunt, sunt reddita Laomedontea paterna periuria'. Ergo uerum est, quod Apollo adque Neptunus eidem Laomedonti mercennariis operibus seruierunt? Illis quippe promisisse mercedem falsumque iurasse perhibetur. Miror Apollinem nominatum diuinatorem in tanto opificio laborasse nescientem quod Laomedon fuerat promissa negaturus. Quamquam nec ipsum Neptunum, patruum eius, fratrem Iouis, regem maris, decuit ignarum

20 Verg. Aen. IIII, 542. Georg. I, 502

1 ante adu. red. *om.* b^1 innumerauilibus *L* 6 ne nimis *L* Λ *p* α; nemis *C;* ne nimium *a b d e v Domb.* 8 pertine/t, n *eras.*, *L* 9 illi *om.* α^1 10 quae sunt α^1 19 a *om.* Λ^1 21. 22 laumed. *L* Λ, *sed iidem infra* laomed. *habent* laomedontaea patnaqui iuria e^1; laomedontaeae patnæque iniuriae e^2 24 apollonem C^1 27 iobis *L*

esse futurorum. Nam hunc Homerus de stirpe Aeneae, a cuius posteris [condita] Roma est, cum ante illam urbem conditam idem poeta fuisse dicatur, inducit magnum aliquid diuinantem, quem etiam nube rapuit, ut dicit, ne ab Achille occideretur,

cuperet cum uertere ab imo,

quod aput Vergilium confitetur,

Structa suis manibus periurae moenia Troiae.

Nescientes igitur tanti di, Neptunus et Apollo, Laomedontem sibi negaturum esse mercedem, structores moenium Troianorum gratis et ingratis fuerunt. Videant ne grauius sit tales deos credere quam dis talibus peierare. Hoc enim nec ipse Homerus facile credidit, qui Neptunum quidem contra Troianos, Apollinem autem pro Troianis pugnantem facit, cum illo periurio ambos fabula narret offensos. Si igitur fabulis credunt, erubescant talia colere numina; si fabulis non credunt, non obtendant Troiana periuria, aut mirentur deos periuria punisse Troiana, amasse Romana. Unde enim coniuratio Catilinae in tanta tamque corrupta ciuitate habuit etiam eorum grandem copiam, quos manus adque lingua periurio aut sanguine ciuili alebat? Quid enim aliud totiens senatores corrupti in iudiciis, totiens populus in suffragiis uel in quibusque causis, quae aput eum contionibus agebantur, nisi etiam peierando peccabant? Namque corruptissimis moribus ad hoc mos iurandi seruabatur antiquus, non ut ab sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut periuria quoque sceleribus ceteris adderentur.

1 Il. XX, 302 sqq. 5 Aen. V, 810 sq. 17 Sall. Cat. 14, 1. 3

2 condita *om.* $L\Lambda C a b e p q \alpha k f$; condita Roma est *v Domb.*; roma cond. est *d* conditam *om.* q^1 4 acchille $L\Lambda$ occidatur L^1 5 cum uertere Λ^1; conuertere Λ^2 9 //negaturum C^2; generaturum C^1 10 uideant//ne, ur (?) *eras.*, *C* 11 perierare *C*; pierare *d* 14 ambo Λ 15 eruuesc. *L* nomina C^1 16 peiuria *utroque loco* $L\Lambda$ 20 ciuilia *e* aliud *om.* $\alpha^1 f^1$ 21 quibus, *omisso* que, *C*; quibuscumque *d* 22 contentionibus *d* ageuantur *L* perierando *C* 23 peccauant *L* 24 seruauatur *L* antiqus L^1; antiqu/us, i *eraso*, Λ

CAPUT III.

Non potuisse offendi deos Paridis adulterio, quod inter ipsos traditur frequentatum.

Nulla itaque causa est, quare di, quibus, ut dicunt, steterat illud imperium, cum a Graecis praeualentibus probentur uicti, Troianis peierantibus fingantur irati. Nec adulterio Paridis, ut rursus a quibusdam defenduntur, ut Troiam desererent, suscensuerunt. Auctores enim doctoresque peccatorum esse adsolent, non ultores. 'Urbem Romam, inquit Sallustius, sicuti ego accepi, condidere adque habuere initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis uagabantur'. Si ergo adulterium Paridis uindicandum numina censuerunt, aut magis in Romanis aut certe etiam in Romanis puniendum fuit, quia Aeneae mater hoc fecit. Sed quo modo in illo illud flagitium oderant, qui in sua socia Venere non oderant (ut alia omittam) quod cum Anchise commiserat, ex quo Aenean peperat? An quia illud factum est indignante Menelao, illud autem concedente Vulcano? Di enim, credo, non zelant coniuges suas usque adeo, ut eas etiam cum hominibus dignentur habere communes. Inridere fabulas fortassis existimor nec grauiter agere tanti ponderis causam. Non ergo credamus, si placet, Aenean esse Veneris filium: ecce concedo, si nec Romulum Martis. Si autem illud, quur non et illud? An deos [fas est] hominibus feminis, mares autem homines deabus misceri nefas? Dura uel potius non credenda condicio, quod ex iure Veneris in

5 Aen. II, 352 9 Cat. 6

3 tradetur C^1 5 prouentur $L\,\Lambda$ 6 perierantibus $C\,d$ 7 desereret L^1; deserent//, Λ 9 non *sup. lin. C* 10 accipi *C* quia ęnea *d* aeneada ce *C* 11 incertis sedibus *e v* uagauantur $L\,\Lambda$ 12 Romanis] troianis $e^2 p^2 \alpha^2$; troianis ꝛomanis *a b* 14 ullo L^1 *e*; illo Λ 16 ex qua Λ 17 illud autem $L\,\Lambda\,a\,b\,d\,e\,p\,q\,k\,v$; autem *om.* $\alpha\,f$ *Domb.* 18 uulgano *d* 20 fauulas $L\,\Lambda$ 21 fuisse Λ^2 22 si nec *e* 23 illum—illum *p* fas est *om.* $L\,\Lambda\,d\,e\,p\,\alpha\,k\,f$; fas est *C a q v Domb.* 24 feminis licitum est *d*

concubitu Marti licuit, hoc in iure suo ipsi Veneri non licere. At utrumque firmatum est auctoritate Romana. Neque enim minus credidit recentior Caesar auiam Venerem quam patrem antiquior Romulus Martem.

CAPUT IIII.

De sententia Varronis, qua utile esse dixit, ut se homines dis genitos mentiantur.

Dixerit aliquis: Itane tu ista credis? Ego uero ista non credo. Nam et uir doctissimus eorum Varro falsa haec esse, quamuis non audacter neque fidenter, paene tamen fatetur. Sed utile ciuitatibus esse dicit, ut se uiri fortes, etiamsi falsum sit, dis genitos esse credant, ut eo modo animus humanus uelut diuinae stirpis fiduciam gerens res magnas adgrediendas praesumat audacius, agat uehementius et ob hoc inpleat ipsa securitate felicius. Quae Varronis sententia expressa, ut potui, meis uerbis cernis quam latum locum aperiat falsitati, ubi intellegamus plura iam sacra et quasi religiosa potuisse confingi, ubi putata sunt ciuibus etiam de ipsis dis prodesse mendacia.

CAPUT V.

Non probari quod di adulterium Paridis punierint, quod in Romuli matre non ulti sunt.

Sed utrum potuerit Venus ex concubitu Anchisae Aenean parere uel Mars ex concubitu filiae Numitoris Romulum gignere, in medio relinquamus. Nam paene talis quaestio etiam

2 Ad *C* 3 abiam *L* Λ 4 martem, rt *m. 2 in ras., C* 7 diis gen. *p q v;* diigenitos *C* 9 barro *L* Λ 11 ciuitatibus (cibit. *L*) esse L^1 Λ; esse ciuit. L^2 *C rell. v* 12 credat L^1 14 agred. *L* 15 felicius. Quae] feliciusque L^1 Λ^1 *d* barronis *L* Λ^1 16 qua *C* 17 ubi *L* Λ *a b d e p q α k f;* ut ibi *C v Domb.* plura iam] *'malim* plurima' *Domb.* quasi *om. α* 18 cibibus *L* Λ 21 punierunt *p* 22 in matre rom. *p* 23 potuerit *L* concuuitu *L* Λ anchisis *usque ad* concubitu *in marg.* e^2 24 cubitu C^1 25 in *om.* e^1

de scripturis nostris oboritur, qua quaeritur, utrum praeuaricatores angeli cum filiabus hominum concubuerint, unde natis gigantibus, hoc est nimium grandibus ac fortibus uiris, tunc terra conpleta est. Proinde ad utrumque interim modo nostra disputatio referatur. Si enim uera sunt, quae aput illos de matre Aeneae et de patre Romuli lectitantur, quo modo possunt dis adulteria displicere hominum, quae in se ipsis concorditer ferunt? Si autem falsa sunt, ne sic quidem possunt irasci ueris adulteriis humanis, qui etiam falsis delectantur suis. Huc accedit, quoniam, si illud de Marte non creditur, ut hoc quoque de Venere non credatur, nullo diuini concubitus obtentu matris Romuli causa defenditur. Fuit autem sacerdos illa Vestalis, et ideo di magis in Romanos sacrilegum illud flagitium quam in Troianos Paridis adulterium uindicare debuerunt. Nam et ipsi Romani antiqui in stupro detectas Vestae sacerdotes uiuas etiam defodiebant, adulteras autem feminas, quamuis aliqua damnatione, nulla tamen morte plectebant: usque adeo grauius quae putabant adyta diuina quam humana cubilia uindicabant.

CAPUT VI.

De parricidio Romuli, quod di non uindicarunt.

Aliud adicio, quia, si peccata hominum illis numinibus displicerent, ut offensi Paridis facto desertam Troiam ferro ignibusque donarent, magis eos contra Romanos moueret Romuli frater occisus quam contra Troianos Graecus maritus inlusus; magis inritaret parricidium nascentis quam regnantis

3 Gen. 6, 4

2 hominum *sup. lin. L* 3 hoc est *L* Λ; id est *C rell. v Domb.* 4 modo *om. L* Λ¹ 7 adulteri *C*¹ in se ipsis *L* Λ *C a b d e p q v;* in ipsis *Domb.* 8 ne *L* Λ *C a b d p* α *k;* nec *e q f v* 10 mat*r*he *L m. 1 corr.* 11 benere *L* Λ nullo igitur *d* 12 obtentu*m*a*tris* *C* 13 illa *L* Λ *C a b d e p q* α *k;* ille *f;* Syluia *v* 14 *et* 23 paridi/s, i *eras., C* 15 antiqui qui, qui *m. 2 extra uersum, C* 16 uibas *L* 18 putauant *L* 22 si *mss.;* si eo usque *v* 26 nascentes *C*¹ regnantes *C*¹

adulterium ciuitatis. Nec ad causam, quam nunc agimus, interest, utrum hoc fieri Romulus iusserit aut Romulus fecerit, quod multi inpudentia negant, multi pudore dubitant, multi dolore dissimulant. Nec nos itaque in ea re diligentius requirenda per multorum scriptorum perpensa testimonia demoremur: Romuli fratrem palam constat occisum, non ab hostibus, non ab alienis. Si aut perpetrauit aut imperauit hoc Romulus, magis ipse fuit Romanorum quam Paris Troianorum caput; quur igitur Troianis iram deorum prouocauit ille alienae coniugis raptor, et eorundem deorum tutelam Romanis inuitauit iste sui fratris extinctor? Si autem illud scelus a facto imperioque Romuli alienum est: quoniam debuit utique uindicari, tota hoc illa ciuitas fecit, quod tota contemsit, et non iam fratrem, sed patrem, quod est peius, occidit. Uterque enim fuit conditor, ubi alter scelere ablatus non permissus est esse regnator. Non est, ut arbitror, quod dicatur quid mali Troia meruerit, ut eam di desererent, quo posset extingui, et quid boni Roma, ut eam di inhabitarent, quo posset augeri; nisi quod uicti inde fugerunt et se ad istos, quos pariter deciperent, contulerunt; immo uero et illic manserunt ad eos more suo decipiendos, qui rursus easdem terras habitarent, et hic easdem artes fallaciae suae magis etiam exercendo maioribus honoribus gloriati sunt.

CAPUT VII.

De euersione Ilii, quod dux Marii Fimbria excidit.

Certe enim ciuilibus iam bellis scatentibus quid miserum commiserat Ilium, ut a Fimbria, Marianarum partium homine pessimo, euerteretur, multo ferocius adque crudelius quam olim a Graecis? Nam tunc et multi inde fugerunt et multi captiuati saltem in seruitute uixerunt; porro autem Fimbria prius edictum proposuit, ne cui parceretur, adque urbem

1 ad *sup. lin. C* 2 fieri *sup. lin. L* 3 dubitant multi dolore *om.* A^1 8 capud C^1 14 peius est *v* 17 meruit *q α* 28 uerter. *C* 29 a *om.* Λ 30 captiuitati *C* saltim *C d*

totam cunctosque in ea homines incendio concremauit. Hoc meruit Ilium non a Graecis quos sua inritauerat iniquitate, sed a Romanis quos sua calamitate propagauerat, dis illis communibus ad haec repellenda nihil iuuantibus seu, quod uerum est, nihil ualentibus. Numquid et tunc

Abscessere omnes adytis arisque relictis
Di,

quibus illud oppidum steterat post antiquos Graecorum ignes ruinasque reparatum? Si autem abscesserant, causam requiro, et oppidanorum quidem quanto inuenio meliorem, tanto deteriorem deorum. Illi enim contra Fimbriam portas clauserant, ut Syllae seruarent integram ciuitatem; hinc eos iratus incendit uel potius penitus extinxit. Adhuc autem meliorum partium ciuilium Sylla dux fuit, adhuc armis rem publicam recuperare moliebatur; horum bonorum initiorum nondum malos euentus habuit. Quid ergo melius ciues urbis illius facere potuerunt, quid honestius, quid fidelius, quid Romana parentela dignius quam meliori causae Romanorum ciuitatem seruare et contra parricidam Romanae rei publicae portas claudere? At hoc eis in quantum exitium uerterit, adtendant defensores deorum. Deseruerint di adulteros Iliumque flammis Graecorum reliquerint, ut ex eius cineribus Roma castior nasceretur: quur et postea deseruerunt eandem ciuitatem Romanis cognatam, non rebellantem aduersus Romam nobilem filiam, sed iustioribus eius partibus fidem constantissimam piissimamque seruantem, eamque delendam reliquerunt non Graecorum uiris fortibus, sed uiro spurcissimo Romanorum? Aut si displicebat dis causa partium

2 a Graecis] agris (= a graiis) *C* 4 comomnibus C^1 6 adytisa/risque, c *eras.*, *C* 7 Di *om. e* 8 steterat *om. e* 9 reparatum est *e* 11 clauserunt *C* 13 meliorem *C* meliorum tunc *d* 14 reciperare L^1 15 initiũ *e* malus *C* 16 urbis illius *L A p;* illius urbis *C rell. v* 18 seruare et] seruaret *L;* seruare *omisso* et A^1 19 Ad *C e* 20 eorum, *in marg.* deorũ, *e* 21 deseruerunt *α;* deseruirent C^1 ylionque *p* relinquerint *L A;* reliquerunt *α* 22 ut *usque ad* deseruerint (*sic*) *in marg. e* 23 cognitam C^1 26 relinquerunt *L A*

Syllanarum, cui seruantes urbem miseri portas clauserant: quur eidem Syllae tanta bona promittebant et praenuntiabant? An et hic agnoscuntur adulatores felicium potius quam infelicium defensores? Non ergo Ilium etiam tunc, ab eis cum desereretur, euersum est. Nam daemones ad decipiendum semper uigilantissimi, quod potuerunt, fecerunt. Euersis quippe et incensis omnibus cum oppido simulacris solum Mineruae sub tanta ruina templi illius, ut scribit Liuius, integrum stetisse perhibetur, non ut [diceretur]

> Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,

ad eorum laudem, sed ne diceretur:

> Excessere omnes adytis arisque relictis
> Di,

ad eorum defensionem. Illud enim posse permissi sunt, non unde probarentur potentes, sed unde praesentes conuincerentur.

CAPUT VIII.

An debuerit dis Iliacis Roma committi.

Dis itaque Iliacis post Troiae ipsius documentum qua tandem prudentia Roma custodienda commissa est? Dixerit quispiam iam eos Romae habitare solitos, quando expugnante Fimbria cecidit Ilium. Unde ergo stetit Mineruae simulacrum? Deinde, si aput Romam erant, quando Fimbria deleuit Ilium, fortasse aput Ilium erant, quando a Gallis ipsa Roma capta et incensa est; sed ut sunt auditu acutissimi motuque celerrimi, ad uocem anseris cito redierunt, ut saltem Capitolinum collem, qui remanserat, tuerentur; ceterum ad alia defendenda serius sunt redire commoniti.

8 L. LXXXIII 10 Aen. VIIII, 247

3 hic *L* Λ *C a b d e p α;* hinc *q v Domb.* adolatores L^1 Λ C^1 potius quam infel. *om. e* 4 ylion *p* 7 minerbae *L* Λ 8 libius *L* Λ 9 diceretur *om.* L^1 C^1; disceretur Λ; dicerentur *p* 15 prouarentur *L* Λ 21 minerbae *L* Λ 22 deliuit C^1 25 saltim *C*

CAPUT VIIII.

An illam pacem, quae sub Numae regno fuit, deos praestitisse credendum sit.

Hi etiam Numam Pompilium successorem Romuli adiuuisse creduntur, ut toto regni sui tempore pacem haberet et Iani portas, quae bellis patere adsolent, clauderet, eo merito scilicet, quia Romanis multa sacra constituit. Illi uero homini pro tanto otio gratulandum fuit, si modo id rebus salubribus scisset inpendere et perniciosissima curiositate neglecta Deum uerum uera pietate perquirere. Nunc autem non ei di contulerunt illud otium, sed eum minus fortasse decepissent, si otiosum minime repperissent. Quanto enim minus eum occupatum inuenerunt, tanto magis ipsi occupauerunt. Nam quid ille molitus sit et quibus artibus deos tales sibi uel illi ciuitati consociare potuerit, Varro prodit, quod, si Domino placuerit, suo diligentius disseretur loco. Modo autem quia de beneficiis eorum quaestio est: magnum beneficium est pax, sed Dei ueri beneficium est, plerumque etiam sicut sol, sicut pluuia uitaeque alia subsidia super ingratos et nequam. Sed si hoc tam magnum bonum di illi Romae uel Pompilio contulerunt, quur imperio Romano per ipsa tempora laudabilia id numquam postea praestiterunt? An utiliora erant sacra, cum instituerentur, quam cum instituta celebrarentur? Atqui tunc nondum erant, sed ut essent addebantur; postea uero iam erant, quae ut prodessent custodiebantur. Quid ergo est, quod illi quadraginta tres uel, ut alii uolunt, triginta et nouem anni in tam longa pace transacti

16 L. VII c. 34

4 pom pilium *L*; popilium Λ adiubisse *L* Λ 5 et Iani] etiã *e* 6 as solent *L* Λ 14 mol/itus, l *eraso*, *L* 15 barro *L* Λ 16 suo disseretur diligentius L^1 Λ 18 pax.... est *om. e* 21 Pompilio] populo *L* Λ $C^1 p$ per ista *e* 22 laudabilia (laudauil. *L*) *codd.*; laudabiliora *v* 23 instruerentur *C* 24 atque *L* Λ addeuantur *L* Λ 26 tres *sup. lin. L* 27 XXX et VIIII *L*; XXX & v IIII Λ; trig. et nouem *C b d e p* k^2 *f*; et *om. q α* k^1 *v Domb.*

sunt regnante Numa, et postea sacris institutis disque ipsis, qui eisdem sacris fuerant inuitati, iam praesidibus adque tutoribus uix post tam multos annos ab Urbe condita usque ad Augustum pro magno miraculo unus commemoratur annus post primum bellum Punicum, quo belli portas Romani claudere potuerunt?

CAPUT X.

An optandum fuerit, ut tanta bellorum rabie Romanum augeretur imperium, cum eo studio, quo sub Numa actum est, et quietum esse potuisset et tutum.

An respondent, quod nisi adsiduis sibique continuo succedentibus bellis Romanum imperium tam longe lateque non posset augeri et tam grandi gloria diffamari? Idonea uero causa! Ut magnum esset imperium, quur esse deberet inquietum? Nonne in corporibus hominum satius est modicam staturam cum sanitate habere quam ad molem aliquam giganteam perpetuis adflictionibus peruenire, nec cum peruueneris requiescere, sed quanto grandioribus membris, tanto maioribus agitari malis? Quid autem mali esset, ac non potius plurimum boni, si ea tempora perdurarent, quae perstrinxit Sallustius, ubi ait: 'Igitur initio reges (nam in terris nomen imperii id primum fuit) diuersi pars ingenium, alii corpus exercebant; etiamtum uita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant'. An ut tam multum augeretur imperium, debuit fieri quod Vergilius detestatur, dicens:

> Deterior donec paulatim et decolor aetas
> Et belli rabies et amor successit habendi?

22 Cat. 2 27 Aen. VIII, 326 sq.

4 unus pro m. mir. *v* 5 uelli *L* 8 ut *Cpq*; quod *v Domb.* romanum *Cpq*; Romanorum *v Domb.* 10 actum *C*; auctum *pqv Domb.* 18 afflictationibus Λ *d* 19 grauioribus *e* 21 perstrixit *L* Λ; praestrinxit *C* 27 et *L* Λ^1 *p*; ac *C* Λ^2 *rell. v*

Sed plane pro tantis bellis susceptis et gestis iusta defensio Romanorum est, quod inruentibus sibi inportune inimicis resistere cogebat non auiditas adipiscendae laudis humanae, sed necessitas tuendae salutis et libertatis. Ita sit plane. Nam 'postquam res eorum, sicut scribit ipse Sallustius, legibus moribus agris aucta satis prospera satisque pollens uidebatur, sicut pleraque mortalium habentur, inuidia ex opulentia orta est. Igitur reges populique finitimi bello tentare; pauci ex amicis auxilio esse, nam ceteri metu perculsi a periculis aberant. At Romani domi militiaeque intenti festinare parare, alius alium hortari, hostibus obuiam ire, libertatem patriam parentesque armis tegere. Post ubi pericula uirtute propulerant, sociis adque amicis auxilia portabant magisque dandis quam accipiendis beneficiis amicitias parabant'. Decenter his artibus Roma creuit. Sed regnante Numa, ut tam longa pax esset, utrum inruebant inprobi belloque tentabant, an nihil eorum fiebat, ut posset pax illa persistere? Si enim bellis etiam tum Roma lacessebatur nec armis arma obuia ferebantur: quibus modis agebatur, ut nulla pugna superati, nullo Martio impetu territi sedarentur inimici, his modis semper ageretur et semper Roma clausis Iani portis pacata regnaret. Quod si in potestate non fuit, non ergo Roma pacem habuit, quamdiu di eorum, sed quamdiu homines finitimi circumquaque uoluerunt, qui eam nullo bello prouocauerunt; nisi forte di tales etiam id homini uendere audebunt, quod alius homo uoluit siue noluit. Interest quidem iam uitio proprio, malas mentes quatenus sinantur isti daemones uel terrere uel excitare; sed

5 Cat. 6

3 abiditas *L* Λ 4 *et* 11 liuert. *L* 5 regibus, r *m. 2 in ras., e* 6 prospera satis] prosperitatis C^1 7 sicut *L* Λ *C b d p;* sicuti *e q v* 9 longe *ante* a periculis *m. 2 sup. lin. a* 10 Ad C^1 13 portauant *L* 19 agetabatur *C* 25 bendere *L* Λ audebant *a* 26 Interest quidem iam uitio proprio malas mentes cett. *sic Domb. uerba distinxit; uix recte, cum sensus sit* uitio proprio iam interesse daemonum, ... terrere cett. (daemones proprio uitio esse malignos *colligitur ex loco XVIII, c. 18)* iam *m. 1 sup. lin. L*

si semper hoc possent nec aliud secretiore ac superiore potestate contra eorum conatum saepe aliter ageretur, semper in potestate haberent paces bellicasque uictorias, quae semper fere per humanorum animorum motus accidunt; quas tamen plerumque contra eorum fieri uoluntatem non solae fabulae multa mentientes et uix ueri aliquid uel indicantes uel significantes, sed etiam ipsa Romana confitetur historia.

CAPUT XI.

De simulacro Cumani Apollinis, cuius fletus creditus est cladem Graecorum, quibus opitulari non poterat, indicasse.

Neque enim aliunde Apollo ille Cumanus, cum aduersus Achiuos regemque Aristonicum bellaretur, quatriduo fleuisse nuntiatus est; quo prodigio haruspices territi cum id simulacrum in mare putauissent esse proiciendum, Cumani senes intercesserunt adque rettulerunt tale prodigium et Antiochi et Persis bello in eodem apparuisse figmento, et quia Romanis feliciter prouenisset, ex senatus consulto eidem Apollini suo dona missa esse testati sunt. Tunc uelut peritiores acciti haruspices responderunt simulacri Apollinis fletum ideo prosperum esse Romanis, quoniam Cumana colonia Graeca esset, suisque terris, unde accitus esset, id est ipsi Graeciae, luctum et cladem Apollinem significasse plorantem. Deinde mox regem Aristonicum uictum et captum esse nuntiatum est, quem uinci utique Apollo nolebat et dolebat et hoc sui lapidis etiam lacrimis indicabat. Unde non usquequaque incongrue quamuis

4 animorum *m. 2 sup. lin. C* 5 solae *L Λ C b e*; solum *p q v Domb.* 6 uel significasse *m. 2 in marg. sup. C* 7 Romana ipsa L^1 Λ 9 apollonis *p* 11 indicasse *C q*; indicare *p v* 13 Achiuos *L Λ Cp*; Achaeos *a b d e q v* Aristonicum *L* $Λ^1$ a^2 *p q*; stratonicum *C* a^1 *b d e α k*; tratonicum, tra *in rasura litterarum* aris, $Λ^2$; istratinicum *f* 14 aruspices Λ 15 esse *m. 2 sup. lin. L* 16 anthioci *L* $Λ^1$; antiocho e^1; antiochis *d* 18 apolloni *C* 19 missa esse *L Λ Cp*; esse missa *d e v* 24 Aristonicum, *in margine* al. tratonicum, Λ 25 nolebat] flebat *e*

fabulosis, tamen ueritati similibus mores daemonum describuntur carminibus poetarum. Nam Camillam Diana doluit aput Vergilium et Pallantem moriturum Hercules fleuit. Hinc fortassis et Numa Pompilius pace abundans, sed quo donante nesciens nec requirens, cum cogitaret otiosus, quibusnam dis tuendam Romanam salutem regnumque committeret, nec uerum illum adque omnipotentem summum Deum curare opinaretur ista terrena, adque recoleret Troianos deos, quos Aeneas aduexerat, neque Troianum neque Lauiniense ab ipso Aenea conditum regnum diu conseruare potuisse: alios prouidendos existimauit, quos illis prioribus, qui siue cum Romulo iam Romam transierant, siue quandoque Alba euersa fuerant transituri, uel tamquam fugitiuis custodes adhiberet uel tamquam inualidis adiutores.

CAPUT XII.

Quantos sibi deos Romani praeter constitutionem Numae adiecerint, quorum eos numerositas nihil iuuerit.

Nec his sacris tamen Roma dignata est esse contenta, quae tam multa illic Pompilius constituerat. Nam ipsius summum templum nondum habebat Iouis; rex quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricauit; Aesculapius autem ab Epidauro ambiuit ad Romam, ut peritissimus medicus in urbe nobilissima artem gloriosius exerceret; Mater etiam deum nescio unde a Pessinunte. Indignum enim erat, ut, cum eius filius iam colli Capitolino praesideret, adhuc ipsa in loco ignobili latitaret.

3 Aen. XI, 836 sqq.; X, 464 sq.

1 fabolosis *C* ueritatis C^1 *d* 4 popilius C^1 *d* habundans C^1 *d* 5 nesciens *om. e* 7 illum *L* Λ *C a b d e p q v; om. Domb.* 11 qui siue *L* Λ *p;* siue qui C^2 *a q* a^2 k^2 *f v;* qui *om.* C^1 *b e* a^1 k^1 *Domb.* 13 fugitibis *L* Λ^1 athiberet *L* Λ 17 adiecerunt *p* nil *p* 20 illic *om. α* 22 escolapius *L* Λ *C;* aescol. *d* uenire ambiuit *d* ambibit *L* Λ; abiuit *a* 23 ad Romam *codd. praeter q;* ad *om. q v* urbe/, m *eraso, C* 24 deorum *d e* 25 enim erat *L* Λ *C a d e f v;* erat enim *α Domb.* 26 capitolino *C;* capitilino *d* presederet *C*

Quae tamen si omnium deorum mater est, non solum secuta est Romam quosdam filios suos, uerum et alios praecessit etiam secuturos. Miror sane, si ipsa peperit Cynocephalum, qui longe postea uenit ex Aegypto. Utrum etiam dea Febris ex illa nata sit, uiderit Aesculapius pronepos eius; sed undecumque nata sit, non, opinor, audebunt eam dicere ignobilem di peregrini deam ciuem Romanam. Sub hoc tot deorum praesidio (quos numerare quis potest, indigenas et alienigenas, caelites terrestres infernos, marinos fontanos fluuiales, et, ut Varro dicit, certos adque incertos, in omnibusque generibus deorum, sicut in animalibus, mares et feminas?) — sub hoc ergo tot deorum praesidio constituta Roma non tam magnis et horrendis cladibus, quales ex multis paucas commemorabo, agitari adfligique debuit. Nimis enim multos deos grandi fumo suo tamquam signo dato ad tuitionem congregauerat, quibus templa altaria, sacrificia sacerdotes instituendo adque praebendo summum uerum Deum, cui uni haec rite gesta debentur, offenderet. Et felicior quidem cum paucioribus uixit, sed quanto maior facta est, sicut nauis nautas, tanto plures adhibendos putauit; credo, desperans pauciores illos, sub quibus in conparationem peioris uitae melius uixerat, non sufficere ad opitulandum granditati suae.

Primo enim sub ipsis regibus, excepto Numa Pompilio, de quo iam supra locutus sum, quantum malum discordiosi certaminis fuit, quod fratrem Romuli coegit occidi!

3 sequuturos *L* Λ; secutores *e*; securos *C* 4 deabris *C* 5 uiderit escolapius .... nata sit *m. 1 in infer. marg., L* escolapius etiam *C* 6 ignobilem dicere *v* 9 caelestes *e* terrenos *α* flubiales *L* Λ; pluuiales *C f* 10 barro *L* Λ adque incertos *om. d* 13 pauca *C* 15 aduitionem *L*; atuitionem Λ 16 praeuendo *L* Λ 19 tantos *L* Λ 20 conparationem *L* Λ¹ *Cp*; comparatione *a b d e q v Domb.*

CAPUT XIII.

Quo iure, quo foedere Romani obtinuerint prima coniugia.

Quo modo nec Iuno, quae cum Ioue suo iam
fouebat
Romanos rerum dominos gentemque togatam,

nec Venus ipsa Aeneidas suos potuit adiuuare, ut bono et aequo more coniugia mererentur, cladesque tanta inruit huiuscemodi inopiae, ut ea dolo raperent moxque conpellerentur pugnare cum soceris, ut miserae feminae nondum ex iniuria maritis conciliatae iam parentum sanguine dotarentur? At enim uicerunt in hac conflictione Romani uicinos suos. Quantis et quam multis utrimque uulneribus et funeribus tam propinquorum et confinium istae uictoriae constiterunt! Propter unum Caesarem socerum et unum generum eius Pompeium iam mortua Caesaris filia, uxore Pompei, quanto et quam iusto doloris instinctu Lucanus exclamat:

Bella per Emathios plus quam ciuilia campos
Iusque datum sceleri canimus.

Vicerunt ergo Romani, ut strage socerorum manibus cruentis ab eorum filiabus amplexus miserabiles extorquerent, nec illae auderent flere patres occisos, ne offenderent uictores maritos, quae adhuc illis pugnantibus pro quibus facerent uota nesciebant. Talibus nuptiis populum Romanum non Venus, sed Bellona donauit; aut fortassis Allecto illa inferna furia iam eis fauente Iunone plus in illos habuit licentiae, quam cum eius precibus contra Aenean fuerat excitata. Andromacha

6 Aen. I, 281 sq. 18 Phars. I, 1 sq.

2 Quod, d *m. 1 expunct.*, *C* phoedere *C* optinuerunt *p* 4 quae *om.* *L* Λ¹ *p* 9 eo *C*; eas *d* 10 martiſ *C* 12 uinoſ *C* 13 et funeribus *L* Λ *C v*; ac fun. *e Domb.*; atque fun. *m. 2 in marg. p* 18 ematios *L* Λ; haemathios *e* 20 socerum *L* 24 pubtiis Λ; *corroso margine excidit in L* 25 dotauit Λ² adlecto *p*; Alecto *q v* inferna *L* Λ *C a b d e*¹ *p α k f*; infernalis *e*² *q v* furia *sup. lin. b* 27 praecibus *L*¹ *C* fuerit *C*

felicius captiuata est, quam illa conubia Romana nupserunt. Licet seruiles, tamen post eius amplexus nullum Troianorum Pyrrhus occidit; Romani autem soceros interficiebant in proeliis, quorum iam filias amplexabantur in thalamis. Illa uictori subdita dolere tantum suorum mortem potuit, non timere; illae sociatae bellantibus parentum suorum mortes procedentibus uiris timebant, redeuntibus dolebant, nec timorem habentes liberum nec dolorem. Nam propter interitum ciuium propinquorum, fratrum parentum aut pie cruciabantur, aut crudeliter laetabantur uictoriis maritorum. Huc accedebat, quod, ut sunt alterna bellorum, aliquae parentum ferro amiserunt uiros, aliquae utrorumque ferro et parentes et uiros. Neque enim et aput Romanos parua fuerunt illa discrimina, si quidem ad obsidionem quoque peruentum est ciuitatis clausisque portis se tuebantur; quibus dolo apertis admissisque hostibus intra moenia in ipso foro scelerata et nimis atrox inter generos socerosque pugna commissa est, et raptores illi etiam superabantur et crebro fugientes inter domos suas grauius foedabant pristinas, quamuis et ipsas pudendas lugendasque uictorias. Hic tamen Romulus de suorum iam uirtute desperans Iouem orauit ut starent, adque ille hac occasione nomen Statoris inuenit; nec finis esset tanti mali, nisi raptae illae laceratis crinibus emicarent et prouolutae parentibus iram eorum iustissimam non armis uictricibus, sed supplici pietate sedarent. Deinde [Titum] Tatium regem Sabinorum socium regni Romulus ferre conpulsus est, germani consortis inpatiens: sed quando et istum diu toleraret, qui fratrem geminumque non pertulit? Unde et ipso interfecto, ut maior deus esset, regnum solus obtinuit. Quae sunt ista iura nuptiarum, quae inritamenta bellorum, quae foedera germanitatis

1 conubia *L Λ p;* coniugia *C rell. v Domb.* 4 amplexauantur *L* 5 morte Λ 7 doleuant *L* 8 nec *m. 1 sup. lin. C* 9 cruciauantur *L* 10 accedebant *L Λ* 12 uiros *m. 1 sup. lin. L* utrumque *e* 18 inter *L Λ C a b d e p;* intra *q v Domb.* 19 quambis *L* 20 Hic] id *b a k*[1] 21 orauit *codd.;* rogauit *v* 25 [Titum] *om. L Λ*[1] regem Sabin. socium *om. b*[1] 30 phoedera *C*

adfinitatis, societatis diuinitatis? quae postremo sub tot dis tutoribus uita ciuitatis? Vides quanta hinc dici et quam multa possent, nisi quae supersunt nostra curaret intentio et sermo in alia festinaret.

CAPUT XIIII.

De inpietate belli, quod Albanis Romani intulerunt, et de uictoria dominandi libidine adepta.

Quid deinde post Numam sub aliis regibus? Quanto malo non solum suo, sed etiam Romanorum in bellum Albani prouocati sunt, quia uidelicet pax Numae tam longa uiluerat! Quam crebrae strages Romani Albanique exercitus fuerunt et utriusque comminutio ciuitatis! Alba namque illa, quam filius Aeneae creauit Ascanius, Romae mater proprior ipsa quam Troia, a Tullo Hostilio rege prouocata conflixit, confligens autem et adflicta est et adfiixit, donec multorum taederet pari defectione certaminum. Tunc euentum belli de tergeminis hinc adque inde fratribus placuit experiri; a Romanis tres Horatii, ab Albanis autem tres Curiatii processerunt; a Curiatiis tribus Horatii duo, ab uno autem Horatio tres Curiatii superati et extincti sunt. Ita Roma extitit uictrix ea clade etiam in certamine extremo, ut de sex unus rediret domum. Cui damnum in utrisque, cui luctus, nisi Aeneae stirpi nisi Ascanii posteris, nisi proli Veneris nisi nepotibus Iouis? Nam et hoc plus quam ciuile bellum fuit, quando filia ciuitas cum ciuitate matre pugnauit. Accessit aliud huic tergeminorum pugnae ultimae atrox adque horrendum malum. Nam ut erant ambo populi prius amici (uicini quippe adque cognati), uni Curiatiorum desponsata fuerat Horatiorum soror; haec postea quam sponsi spolia in uictore fratre conspexit, ab eodem fratre,

9 suos *C* 10 tam] etiam *C* 11 aluan. *L* 15 et *ante* adfiixit *m. 2 sup. lin.* Λ 17 adque] itaque *d* 18 oratii *et sic infra C* ab *m. 2 sup. lin. C* 21 dex *C* sex *L* Λ *C a*[1] *b d e p α k f*; sex uiuis *a*[2] *q v Domb.* 22 Ascani *L* Λ 23 neptibus *C*

quoniam fleuit, occisa est. Humanior huius unius feminae quam uniuersi populi Romani mihi fuisse uidetur adfectus. Illa quem uirum iam fide media retinebat, aut forte etiam ipsum fratrem dolens, qui eum occiderat cui sororem promiserat, puto quod non culpabiliter fleuerit. Unde enim aput Vergilium pius Aeneas laudabiliter dolet hostem etiam sua peremtum manu? Unde Marcellus Syracusanam ciuitatem recolens eius paulo ante culmen et gloriam sub manus suas subito concidisse communem cogitans condicionem flendo miseratus est? Quaeso ab humano inpetremus adfectu, ut femina sponsum suum a fratre suo peremtum sine crimine fleuerit, si uiri hostes a se uictos etiam cum laude fleuerunt. Ergo sponso a fratre inlatam mortem quando femina illa flebat, tunc se contra matrem ciuitatem tanta strage bellasse et tanta hinc et inde cognati cruoris effusione uicisse Roma gaudebat.

Quid mihi obtenditur nomen laudis nomenque uictoriae? Remotis obstaculis insanae opinionis facinora nuda cernantur, nuda pensentur, nuda iudicentur. Causa dicatur Albae, sicut Troiae adulterium dicebatur. Nulla talis, nulla similis inuenitur; tantum ut resides moueret

> Tullus in arma uiros et iam desueta triumphis
> Agmina.

Illo itaque uitio tantum scelus perpetratum est socialis belli adque cognati, quod uitium Sallustius magnum transeunter adtingit. Cum enim laudans breuiter antiquiora commemorasset tempora, quando uita hominum sine cupiditate agitabatur et sua cuique satis placebant: 'Postea uero, inquit, quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere

6 Aen. X, 821 sqq. 22 Verg. Aen. VI, 814 sq. 28 Cat. 2

5 culpauiliter *L* Λ 6 sua etiam *L* Λ 7 manu *om. C*¹, *super* sua *C*² 14 fleuat *L* Λ 17 optenditur *L* 20 diceuatur *L* 26 brebiter *L C*¹ antiquiora *L* Λ *a b d e p q α k*¹ *f v*; antiquorum *C Domb.*; antiquiorum *k*² commemorasse *C*¹ 27 agitauatur *L* 28 inquid *C*¹ 29 et *codd.*; atque *v* quaepere *L* Λ¹

urbes adque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habere, maximam gloriam in maximo imperio putare', et cetera quae ipse instituerat dicere. Mihi huc usque satis sit eius uerba posuisse. Libido ista dominandi magnis malis agitat et conterit humanum genus. Hac libidine Roma tunc uicta Albam se uicisse triumphabat et sui sceleris laudem gloriam nominabat, quoniam laudatur, inquit scriptura nostra, peccator in desideriis animae suae et qui iniqua gerit benedicitur. Fallacia igitur tegmina et deceptoriae dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine. Nemo mihi dicat: magnus ille adque ille, quia cum illo [et illo] pugnauit et uicit. Pugnant etiam gladiatores, uincunt etiam ipsi, habet praemia laudis et illa crudelitas; sed puto esse satius cuiuslibet inertiae poenas luere quam illorum armorum quaerere gloriam. Et tamen si in harenam procederent pugnaturi inter se gladiatores, quorum alter filius, alter esset pater, tale spectaculum quis ferret? quis non auferret? Quo modo ergo gloriosum alterius matris, alterius filiae ciuitatis inter se armorum potuit esse certamen? An ideo diuersum fuit, quod harena illa non fuit, et latiores campi non duorum gladiatorum, sed in duobus populis multorum funeribus inplebantur, nec amphitheatro cingebantur illa certamina, sed uniuerso orbe et tunc uiuis et posteris, quo usque ista fama porrigitur, inpium spectaculum praebebatur?

Vim tamen patiebantur studii sui di illi praesides imperii Romani et talium certaminum tamquam theatrici spectatores,

7 Ps. 10, 23

1 orbes C^1 causam C 3 huc *codd. excepto* α^1; hoc α^1 *Domb.* 4 uera L^b liuido $L\,\Lambda$ *et sic l.* 5 6 aluam $L\,\Lambda$ 7 nominauat L inquid C^1 9 benedicitur $L\,\Lambda\,C^2\,b\,e\,p\,q\,v$; benedicetur $C^1\,\alpha\,k^1\,f^1$ *Domb.* 11 qui/, a *eras.*, L; qui^a Λ 12 et illo *om.* $L^1\,C^1$ 13 etiam $L\,\Lambda\,p$; et C *rell.* v 15 gloriam quaer. v 17 esset pater $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,\alpha\,k$; pat. es. $f\,v$ esset filius alter pater q tale *om.* q 22 inpleuantur L cingeuantur L 23 orbi $L\,\Lambda\,C^1\,p\,q$ uibis $L\,\Lambda$; ciuis C^1 24 praeuebatur $L\,\Lambda$

donec Horatiorum soror propter Curiatios tres peremtos etiam ipsa tertia ex altera parte fraterno ferro duobus fratribus adderetur, ne minus haberet mortium etiam Roma quae uicerat. Deinde ad fructum uictoriae Alba subuersa est, ubi post Ilium, quod Graeci euerterunt, et post Lauinium, ubi Aeneas regnum peregrinum adque fugitiuum constituerat, tertio loco habitauerant numina illa Troiana. Sed more suo etiam inde iam fortasse migrauerant, ideo deleta est. Discesserant uidelicet omnes adytis arisque relictis di, quibus imperium illud steterat. Discesserant sane ecce iam tertio, ut eis quarta Roma prouidentissime crederetur. Displicuerat enim et Alba, ubi Amulius expulso fratre, et Roma placuerat, ubi Romulus occiso fratre regnauerat. Sed antequam Alba dirueretur, transfusus est, inquiunt, populus eius in Romam, ut ex utraque una ciuitas fieret. Esto, ita factum sit; urbs tamen illa, Ascanii regnum et tertium domicilium Troianorum deorum, ab urbe filia mater euersa est; ut autem belli reliquiae ex duobus populis unum facerent, miserabile coagulum multus ante fusus utriusque sanguis fuit. Quid iam singillatim dicam sub ceteris regibus totiens eadem bella renouata, quae uictoriis finita uidebantur, et tantis stragibus iterum iterumque confecta, iterum iterumque post foedus et pacem inter soceros et generos et eorum stirpem posterosque repetita? Non paruum indicium calamitatis huius fuit, quod portas belli nullus clausit illorum. Nullus ergo illorum sub tot dis praesidibus in pace regnauit.

CAPUT XV.

Qualis Romanorum regum uita adque exitus fuerit.

Ipsorum autem regum qui exitus fuerunt? De Romulo uiderit adulatio fabulosa, qua perhibetur receptus in caelum;

5 labinium *L* Λ 6 fugitibum *L* 7 habitauerunt *C* 9 uidilicet *C* 10 discesserint *C d e* 12 amullius *L* Λ[1] 13 alua *L* Λ 17 ex *L* Λ *C a b d e p*; e *v Domb.* 18 miserauile *L* 19 dicam *m. 1 sup. lin. L* 22 inter soceros et generos *L* Λ *C p;* inter gen. et soc. *a b d e q v Domb.* 25 sub tot] subi|to C^1 28 uita regum *p* 29 regnum C^1

uiderint quidam scriptores eorum, qui eum propter ferocitatem a senatu discerptum esse dixerunt subornatumque nescio quem Iulium Proculum, qui eum sibi apparuisse diceret eumque per se populo mandasse Romano, ut inter numina coleretur, eoque modo populum, qui contra senatum intumescere coeperat, repressum adque sedatum. Acciderat enim et solis defectio, quam certa ratione sui cursus effectam inperita nesciens multitudo meritis Romuli tribuebat. Quasi uero si luctus ille solis fuisset, non magis ideo credi deberet occisus ipsumque scelus auersione etiam diurni luminis indicatum; sicut re uera factum est, cum Dominus crucifixus est crudelitate adque inpietate Iudaeorum. Quam solis obscurationem non ex canonico siderum cursu accidisse satis ostendit, quod tunc erat pascha Iudaeorum; nam plena luna sollemniter agitur, regularis autem solis defectio non nisi lunae fine contingit. Satis et Cicero illam inter deos Romuli receptionem putatam magis significat esse quam factam, quando et laudans eum in libris de re publica Scipionisque sermone: 'Tantum est, inquit, consecutus, ut, cum subito sole obscurato non conparuisset, deorum in numero conlocatus putaretur, quam opinionem nemo umquam mortalis assequi potuit sine eximia uirtutis gloria'. (Quod autem dicit eum subito non conparuisse, profecto ibi intellegitur aut uiolentia tempestatis aut caedis facinorisque secretum; nam et alii scriptores eorum defectioni solis addunt etiam subitam tempestatem, quae profecto aut occasionem sceleri praebuit aut Romulum ipsa consumsit.) De Tullo quippe etiam Hostilio, qui tertius a Romulo rex fuit, quia et ipse fulmine absumtus est, dicit in eisdem libris

18 II, c. 10

3 diceret eumque per se *m. 1 in marg.* Λ 6 queperat *L* Λ[1] 9 debuit *L*[1] 10 etiam *sup. lin. L* dicatum *L*[1] 13 cursu *C*[1]; comsuetudine, etudine *extra lin., C*[2] accidisse *codd. praeter C, v;* euenisse *C Domb.* 14 pasca *L* Λ 15 contigit *C*[1] 17 et *om. e* 20 deorum *sup. lin. C* 26 scaeleri *C*[1] 27 tullio *a*[1] 28 quia Λ *C b e p; corrosa membrana excidit in L;* qui *a d q v Domb.* adsumptus *C*[1]

idem Cicero, propterea et istum non creditum in deos receptum tali morte, quia fortasse quod erat in Romulo probatum, id est persuasum, Romani uulgare noluerunt, id est uile facere, si hoc et alteri facile tribueretur. Dicit etiam aperte in inuectiuis: 'Illum, qui hanc urbem condidit, Romulum ad deos inmortales beniuolentia famaque sustulimus', ut non uere factum, sed propter merita uirtutis eius beniuole iactatum diffamatumque monstraret. In Hortensio uero dialogo cum de solis canonicis defectionibus loqueretur: 'Ut easdem, inquit, tenebras efficiat, quas effecit interitu Romuli, qui obscuratione solis est factus'. Certe hic minime timuit hominis interitum dicere, quia disputator magis quam laudator fuit.

Ceteri autem reges populi Romani, excepto Numa Pompilio et Anco Marcio, qui morbo interierunt, quam horrendos exitus habuerunt! Tullus, ut dixi, Hostilius, uictor et euersor Albae, cum tota domo sua fulmine concrematus est. Priscus Tarquinius per sui decessoris filios interemtus est. Seruius Tullius generi sui Tarquinii Superbi, qui ei successit in regnum, nefario scelere occisus est. Nec 'discessere adytis arisque relictis di' tanto in optimum illius populi regem parricidio perpetrato, quos dicunt, ut hoc miserae Troiae facerent eamque Graecis diruendam exurendamque relinquerent, adulterio Paridis fuisse commotos; sed insuper interfecto a se socero Tarquinius ipse successit. Hunc illi di nefarium parricidam soceri interfectione regnantem, insuper multis bellis uictoriisque gloriantem et de manubiis Capitolium fabricantem non abscedentes, sed praesentes manentesque uiderunt et regem suum louem in illo altissimo templo, hoc est in opere parricidae, sibi praesidere adque regnare perpessi sunt. Neque enim adhuc innocens

1 II, c. 17 5 Cat. 3, 1

1 propter et L^1 2 prouatum $L\,\Lambda$ 5 inuectibis $L\,\Lambda$ 6 beniuol. $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,q$; beneuol. *v Domb.* 7 beniuole $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,q$; boniuole *a*; beneuolentia *f v* 10 interitu $L\,\Lambda\,Cp$; in interitu *b d e q v Domb.*; in interitū *a* 20 relectis *C* 22 exurendam$^{q;}$ *L* relinquerunt C^1 paridi/s, *eras.* i, *C* 27 iobem $L\,\Lambda$

Capitolium struxit et postea malis meritis Urbe pulsus est, sed ad ipsum regnum, in quo Capitolium fabricaret, inmanissimi sceleris perpetratione peruenit. Quod uero eum regno Romani postea depulerunt ac secluserunt moenibus ciuitatis, non ipsius de Lucretiae stupro, sed filii peccatum fuit illo non solum nesciente, sed etiam absente commissum. Ardeam ciuitatem tunc obpugnabat, pro populo Romano bellum gerebat; nescimus quid faceret, si ad eius notitiam flagitium filii deferretur; et tamen inexplorato iudicio eius et inexperto ei populus ademit imperium et recepto exercitu, a quo deseri iussus est, clausis deinde portis non siuit iutrare redeuntem. At ille post bella grauissima, quibus eosdem Romanos concitatis finitimis adtriuit, postea quam desertus ab eis quorum fidebat auxilio regnum recipere non eualuit, in oppido Tusculo Romae uicino quattuordecim, ut fertur, annos priuatam uitam quietus habuit et cum uxore consenuit, optabiliore fortassis exitu quam socer eius, generi sui facinore nec ignorante filia, sicut perhibetur, extinctus. Nec tamen istum Tarquinium Romani crudelem aut sceleratum, sed superbum appellauerunt, fortasse regios eius fastus alia superbia non ferentes. Nam scelus occisi ab eo soceri optimi regis sui usque adeo contemserunt, ut eum regem suum facerent; ubi miror, si non scelere grauiore mercedem tantam tanto sceleri reddiderunt. Nec 'discessere adytis arisque relictis di'. Nisi forte quispiam sic defendat istos deos, ut dicat eos ideo mansisse Romae, quo possint magis Romanos punire suppliciis quam beneficiis

1 instruxit *C d e* 3 Romani regno *v* 6 non *sup. lin. L* ardem *C* 7 tū b^1 et, *quod ante* pro pop. R. *uulgo editur, om. L Λ C a b d e p q* pro *ante* pro. (= populo Romano) *om. L* $Λ^1$ C^1 9 eius iudicio *v* 10 a *sup. lin. C* 11 uiſus, *in marg. m. 2* iuſſuſ, *C* 11 intrare redeuntem *L* 14 ualuit C^1 15 annis $Λ^2$ 16 optauiliore *L Λ* 19 sed *sup. lin. L* 20 fortasse *L Λ C a b e p q; fortassis v Domb.* fas|tus, *prius* s *in ras., C* superuia *L* 25 roma/e, n *eras., L* Romae quo poss. *om. d* 26 possint *L Λ C p;* possent *a b e q v Domb.* magis Rom. *L Λ C p;* Rom. magis *rell. v Domb.*

adiuuare, seducentes eos uanis uictoriis et bellis grauissimis conterentes.

Haec fuit Romanorum uita sub regibus laudabili tempore illius rei publicae usque ad expulsionem Tarquinii Superbi per ducentos ferme et quadraginta et tres annos, cum illae omnes uictoriae tam multo sanguine et tantis emtae calamitatibus uix illud imperium intra uiginti ab Urbe milia dilatauerint: quantum spatium absit ut saltem alicuius Getulae ciuitatis nunc territorio conparetur.

CAPUT XVI.

De primis aput Romanos consulibus, quorum alter alterum patria pepulit moxque ipse post atrocissima parricidia a uulnerato hoste uulneratus interiit.

Huic tempori adiciamus etiam tempus illud, quo usque dicit Sallustius aequo et modesto iure agitatum, dum metus a Tarquinio et bellum graue cum Etruria positum est. Quamdiu enim Etrusci Tarquinio in regnum redire conanti opitulati sunt, graui bello Roma concussa est. Ideo dicit aequo et modesto iure gestam rem publicam metu premente, non persuadente iustitia. In quo breuissimo tempore quam funestus ille annus fuit, quo primi consules creati sunt expulsa regia potestate! Annum quippe suum non conpleuerunt. Nam Iunius Brutus exhonoratum eiecit Urbe collegam Lucium Tarquinium Collatinum; deinde mox ipse in bello cecidit mutuis cum hoste uulneribus, occisis a se [ipso] primitus filiis suis et uxoris suae fratribus, quod eos pro restituendo Tarquinio

16 Hist. I, f. 9

4 tarquini $L\,A^1$ 5 et *ante* tres *om.* $q\,a^1$ *Domb.* et tres *lineolis expunct. b* 7 miliaria k^2 12 ipse $C\,q$; romae $p\,v$ *Domb.* 13 a *sup. lin.* C interiit hostis uulneratus p 15 quosque C 17 tarquio C^1 graue bellum v 18 in regnum redire $L\,A\,C\,p$; red. in regn. *rell. v Domb.* 20 reip. C^1 21 brebissimo L 24 $l^{\text{utiū}}$ C^2 25 collatium L^1; conlatin. *b d e et sic infra* mox ille, *superscripto* l ipse, *b* 26 ipso *om.* $L\,A\,p$

coniurasse cognouerat. Quod factum Vergilius postea quam laudabiliter commemorauit, continuo clementer exhorruit. Cum enim dixisset:

Natosque pater noua bella mouentes
Ad poenam pulchra pro libertate uocabit,

mox deinde exclamauit et ait:

Infelix, utcumque ferent ea facta minores.

Quomodolibet, inquit, ea facta posteri ferant, id est praeferant et extollant, qui filios occidit, infelix est. Et tamquam ad consolandum infelicem subiungit:

Vincit amor patriae laudumque inmensa cupido.

Nonne in hoc Bruto, qui et filios occidit et a se percusso hosti filio Tarquinii mutuo percussus superuiuere non potuit eique potius ipse Tarquinius superuixit, Collatini collegae uidetur innocentia uindicata, qui bonus ciuis hoc Tarquinio pulso passus est, quod tyrannus ipse Tarquinius? Nam et idem Brutus consanguineus Tarquinii fuisse perhibetur; sed Collatinum uidelicet similitudo nominis pressit, quia etiam Tarquinius uocabatur. Mutare ergo nomen, non patriam cogeretur; postremo in eius nomine hoc uocabulum minus esset, L. Collatinus tantummodo uocaretur. Sed ideo non amisit quod sine ullo detrimento posset amittere, ut et honore primus consul et ciuitate bonus ciuis carere iuberetur. Etiamne ista est gloria, Iunii Bruti detestanda iniquitas et nihilo utilis rei publicae? Etiamne ad hanc perpetrandam 'uicit amor

4 Aen. VI, 820 sqq.

2 laudauil. *L* 5 uocauit *L* Λ *C*^{2} *d e* 10 subiungit *L* Λ *p;* subiunxit *C rell. v Domb.* 11 uincit *L* Λ *C b d e p q* a^2 *k f v;* uicit *a* a^1; uincet *Verg.* 13 hoste Λ^2; hostis *e* superuibere *L* 14 superuix^{it} *L* 15 uitur^{de} *C* uonus *L* 17 Tarquinii] bruti *C* (*scribendum fortasse:* nam et idem consanguineus Bruti) 18 cum latinum *C* numinis *C*^{1} qui *d* 21 L. *om. L* Λ^1; lucius *m. 2 sup. lin.* Λ; si lucius *e* latinus^{col} *L* si *ante* tantumm. *m. 2 sup. lin.* Λ 22 possit Λ 23 iuueretur *L;* iubetur^{cit} *C*^{1} 24 iuni *L* Λ^1 25 ui *C*

patriae laudumque inmensa cupido'? Iam expulso utique Tarquinio tyranno consul cum Bruto creatus est maritus Lucretiae L. Tarquinius Collatinus. Quam iuste populus mores iñ ciue, non nomen adtendit! Quam inpie Brutus collegam primae ac nouae illius potestatis, quem posset, si hoc offendebatur, nomine tantum priuare, et patria priuauit et honore! Haec mala facta sunt, haec aduersa acciderunt, quando in illa re publica 'aequo et modesto iure agitatum est'. Lucretius quoque, qui in locum Bruti fuerat subrogatus, morbo, antequam idem annus terminaretur, absumtus est. Ita P. Valerius, qui successerat Collatino, et M. Horatius, qui pro defuncto Lucretio suffectus fuerat, annum illum funereum adque tartareum, qui consules quinque habuit, conpleuerunt, quo anno consulatus ipsius nouum honorem ac potestatem auspicata est Romana res publica.

CAPUT XVII.

Post initia consularis imperii quibus malis uexata fuerit Romana res publica, dis non opitulantibus, quos colebat.

Tunc iam deminuto paululum metu, non quia bella conquieuerant, sed quia non tam graui pondere urgebant, finito scilicet tempore, quo aequo iure ac modesto agitatum est, secuta sunt quae idem Sallustius breuiter explicat: 'Dein seruili imperio patres plebem exercere, de uita adque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli

23 Hist. I, f. 9

1 utique, *superscripto* ł itaque, *b;* itaque *a* 2 tyranno *om. C* 3 L., *erasum uidetur in L; om.* Λ¹ iniuste *p* 4 ciueno^{bo}//// adtendit, *litteris* nmen *erasis, L;* ciue ḅọ non noṁ, bo *eras. et* noṁ *extra lin. m. 2,* Λ nomen *om. p* Quam] tam *d* inpie *mss.; iniuste v* 5 offendeuatur *L* 10 P.] p̄l. *L* Λ 11 marcus *d e* oratius *C d e* 20 diminuto b^2 e^2 *q v* conquieuerat C^1 e^1 22 aequo iure ac modesto *L* Λ *C p;* aequo ac m. i. *a b d e;* aequo et m. i. *q v Domb.* 23 explicauit^{in} *L* de *C* 25 regio *om.* C^1 agro *om.* e^1 repellere *e*

in imperio agere. Quibus saeuitiis et maxime faenore obpressa plebes, cum adsiduis bellis tributum et militiam simul toleraret, armata montem sacrum adque Auentinum insedit, tumque tribunos plebis et alia iura sibi parauit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.' Quid itaque ego tantas moras uel scribens patiar, uel lecturis adferam? Quam misera fuerit illa res publica, tam longa aetate per tot annos usque ad secundum bellum Punicum bellis forinsecus inquietare non desistentibus et intus discordiis seditionibusque ciuilibus, a Sallustio breuiter intimatum est. Proinde uictoriae illae non solida beatorum gaudia fuerunt, sed inania solacia miserorum et ad alia adque alia sterilia mala subeunda inlecebrosa incitamenta minime quietorum. Nec nobis, quia hoc dicimus, boni Romani prudentesque suscenseant: quamquam de hac re nec petendi sint nec monendi, quando eos minime suscensuros esse certissimum est. Neque enim grauius uel grauiora dicimus auctoribus eorum et stilo et otio multum inpares; quibus tamen ediscendis et ipsi elaborauerunt et filios suos elaborare conpellunt. Qui autem suscensent, quando me ferrent, si ego dicerem, quod Sallustius ait? 'Plurimae turbae, seditiones et ad postremum bella ciuilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebis nomine dominationes adfectabant; bonique et mali ciues appellati, non ob merita in rem publicam, omnibus pariter corruptis, sed uti quisque locupletissimus et iniuria ualidior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur'. Porro si illi scriptores historiae ad honestam libertatem pertinere arbitrati sunt mala

20 Hist. I, f. 10

1 in *om.* Λ; *L hic mutilatus est* 2 plebes L^1 *C v;* plebs L^2 Λ *rell.* 4 sibi iura *v* 5 utrique *L* Λ 9 inquieta non α^1 10 brebi[ter..... soli]da, *uerba inclusa in marg. super. m. 1 scripta sunt, L* 12 terribilia *e* 14 haec *e v* 16 quan/do, n *ex* m *corr. L* 17 autoribus *L* 18 edicendis L^1 19 elaboraberunt *L* 20 ferent L^1 C^1 e/go, *eras.* r, *L* 21 cibilia *L* Λ 23 pleuis *L* Λ 24 cibes *L* 28 historiae *om.* L^1 ad *m. 2 extra lin. C* liuert. *L*

ciuitatis propriae non tacere, quam multis locis magno praeconio laudare conpulsi sunt, cum aliam ueriorem, quo ciues aeterni legendi sunt, non haberent: quid nos facere conuenit, quorum spes quanto in Deo melior et certior, tanto maior debet esse libertas, cum mala praesentia Christo nostro inputant, ut infirmiores imperitioresque mentes alienentur ab ea ciuitate, in qua solá iugiter feliciterque uiuendum est? Nec in deos eorum horribiliora nos dicimus, quam eorum identidem auctores, quos legunt et praedicant, quando quidem et ex ipsis quae diceremus accepimus, et nullo modo dicere uel talia uel cuncta sufficimus.

Ubi ergo erant illi di, qui propter exiguam fallacemque mundi huius felicitatem colendi existimantur, cum Romani, quibus se colendõs mendacissima astutia uenditabant, tantis calamitatibus uexarentur? Ubi erant, quando Valerius consul ab exulibus et seruis inscensum Capitolium cum defensaret occisus est faciliusque ipse prodesse potuit aedi Iouis quam illi turba tot numinum cum suo maximo adque optimo rege, cuius templum liberauerat, subuenire? Ubi erant, quando densissimis fatigata ciuitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paululum quieta opperiretur, graui fame pestilentiaque uastata est? Ubi erant, quando rursus populus, cum fame laboraret, praefectum annonae primum creauit, adque illa fame inualescente Spurius Maelius, quia esurienti multitudini frumenta largitus est, regni adfectati crimen incurrit et eiusdem praefecti instantia per dictatorem L. Quintium aetate decrepitum a Quinto Seruilio magistro equitum cum maximo et periculosissimo tumultu ciuitatis occisus est? Ubi erant, quando pestilentia maxima exorta dis

7 uibend. *L* 9 *prius* et *m. 2 sup. lin. C, alterum* et *om. C* 12 ergo erant *L* Λ *C b d p;* erant ergo *a e q v Domb.* 13 huius mundi *v* 14 bendit. *L* Λ 16 et *sup. lin. L* inscensum *corr. Lud. Vives;* incensum *codd.* 17 iobis *L* Λ 18 illa e^2 19 liuer. *L* 21 opperibetur C^1 23 lauor. *L* Λ 24 melius b^1*;* emilius b^2*;* meuius *e* 25 quia *L* Δ^1 *C d e* α k^1*;* qui Δ^2 *a b p q* k^2 *f v* 27 luciũ *e* 28 equiṭum *C* tumulto C^1

inutilibus populus diu multumque fatigatus noua lectisternia, quod numquam antea fecerat, exhibenda arbitratus est? Lecti autem sternebantur in honorem deorum, unde hoc sacrum uel potius sacrilegium nomen accepit. Ubi erant, quando per decem continuos annos male pugnando crebras et magnas clades aput Veios exercitus Romanus acceperat, nisi per Furium Camillum tandem subueniretur, quem postea ciuitas ingrata damnauit? Ubi erant, quando Galli Romam ceperunt spoliauerunt, incenderunt caedibus inpleuerunt? Ubi erant, cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit, qua et ille Furius Camillus extinctus est, qui rem publicam ingratam et a Veientibus ante defendit et de Gallis postea uindicauit? In hac pestilentia scaenicos ludos aliam nouam pestem non corporibus Romanorum, sed, quod est multo perniciosius, moribus intulerunt. Ubi erant, quando alia pestilentia grauis de uenenis matronarum exorta credita est, quarum supra fidem multarum adque nobilium mores deprehensi sunt omni pestilentia grauiores? uel quando in Caudinas furculas a Samnitibus obsessi ambo cum exercitu consules foedus cum eis foedum facere coacti sunt, ita ut equitibus Romanis sescentis obsidibus datis ceteri amissis armis aliisque spoliati priuatique tegminibus sub iugum hostium in uestimentis singulis mitterentur? uel quando graui pestilentia ceteris laborantibus multi etiam in exercitu icti fulmine perierunt? uel quando item alia intolerabili pestilentia Aesculapium ab Epidauro quasi medicum deum Roma aduocare adque adhibere conpulsa est, quoniam regem omnium Iouem, qui iam diu in Capitolio sedebat, multa stupra, quibus adulescens uacauerat,

1 inut. pop. *L Λ C d p Domb.*; inut. inane remedium pop. *a e* α^1 k^2 *f*; inut. sine remedio pop. *C m. 2 in marg.*, *b q* α^2 k^1 *v* 6 beios *L Λ* 8 dominauit C^1 10 pestilentiam tam *C* 12 beient. *L Λ*; ualentibus C^1 17 depraeh. *L Λ C* 19 samnibus C^1 phoedus *C* 22 in uestim. *L Λ C a d p*; cum uestim. *b e q v Domb.* 24 lauor. *L* uicti *L Λ* flumine Λ^1 C^1 25 intolerauili *L Λ* escolap. *sic semper L Λ C* 26 athibere *L Λ* 27 iobem *L* iam diu *om. q* 28 uacauerat *L Λ C a* b^2 *d e p q v*; uacuerat b^1 α^1 k^1 *Domb.*

non permiserant fortasse discere medicinam? uel cum conspirantibus uno tempore hostibus Lucanis, Bruttiis, Samnitibus, Etruscis et Senonibus Gallis primo ab eis legati peremti sunt, deinde cum praetore obpressus exercitus septem tribunis cum illo pereuntibus et militum tredecim milibus? uel quando post longas et graues Romae seditiones, quibus ad ultimum plebs in Ianiculum hostili diremtione secesserat, huius mali tam dira calamitas erat, ut eius rei causa, quod in extremis periculis fieri solebat, dictator crearetur Hortensius, qui plebe reuocata in eodem magistratu exspirauit, quod nulli dictatori ante contigerat, et quod illis dis iam praesente Aesculapio grauius crimen fuit?

Tum uero tam multa bella ubique crebruerunt, ut inopia militum proletarii illi, qui eo, quod proli gignendae uacabant, ob egestatem militare non ualentes hoc nomen acceperant, militiae conscriberentur. Accitus etiam a Tarentinis Pyrrhus, rex Graeciae, tunc ingenti gloria celebratus, Romanorum hostis effectus est. Cui sane de rerum futuro euentu consulenti satis urbane Apollo sic ambiguum oraculum edidit, ut, e duobus quidquid accidisset, ipse diuinus haberetur (ait enim: 'Dico te, Pyrrhe, uincere posse Romanos') adque ita, siue Pyrrhus a Romanis siue Romani a Pyrrho uincerentur, securus fatidicus utrumlibet expectaret euentum. Quae tunc et quam horrenda utriusque exercitus clades! In qua tamen superior Pyrrhus extitit, ut iam posset Apollinem pro suo intellectu praedicare diuinum, nisi proxime alio proelio Romani abscederent superiores.

2 bruttiis *L* Λ *C*^{2} *e;* Brutiis *v Domb.* 4 semptem *C* 6 post graues et long. *v* 7 *in L excidit folium uerba* Ianiculum *usque ad* solet *p. 140, 15 continens; in l m. recentiore lacuna expleta est singulari folio (40) male inter f. 39 uerbis* Camillum tandem *p. 138, 7 desinens et f. 41 uerbo* subueniretur *p. 138, 7 incipiens inserto* diremptione *d e l α;* direptione *C a p q k v;* dereptione *b* mali] malitiae *e* 9 dictato recrearetur *C*^{1} 11 et *ante* quod *om. l* etiam praesenti *p* 13 crebuerunt *l* 15 e/gestatem, f (?) *eras., C;* aetatem *l* 17 hostes *C*^{1}*;* ostis *l* 21 siue] sicut *l* 22 fatidius *C*^{1} 24 cladis *l* 25 ut etiam *l*

Adque in tanta strage bellorum etiam pestilentia grauis exorta est mulierum. Nam priusquam maturos partus ederent, grauidae moriebantur. Ubi se, credo, Aesculapius excusabat, quod archiatrum, non obstetricem profitebatur. Pecudes quoque similiter interibant, ita ut etiam defecturum genus animalium crederetur. Quid? hiems illa memorabilis tam incredibili inmanitate saeuiens, ut niuibus horrenda altitudine etiam in foro per dies quadraginta manentibus Tiberis quoque glacie duraretur, si nostris temporibus accidisset, quae isti et quanta dixissent! Quid? illa itidem ingens pestilentia, quamdiu saeuiit, quam multos peremit! Quae cum in annum alium multo grauius tenderetur frustra praesente Aesculapio, aditum est ad libros Sibyllinos. In quo genere oraculorum, sicut Cicero in libris de diuinatione commemorat, magis interpretibus ut possunt seu uolunt dubia coniectantibus credi solet. Tunc ergo dictum est eam esse causam pestilentiae, quod plurimas aedes sacras multi occupatas priuatim tenerent: sic interim a magno inperitiae uel desidiae crimine Aesculapius liberatus est. Unde autem a multis aedes illae fuerant occupatae nemine prohibente, nisi quia tantae numinum turbae diu frustra fuerat supplicatum, adque ita paulatim loca deserebantur a cultoribus, ut tamquam uacua sine ullius offensione possent humanis saltem usibus uindicari? Namque tunc uelut ad sedandam pestilentiam diligenter repetita adque reparata nisi postea eodem modo neglecta adque usurpata latitarent, non utique magnae peritiae Varronis tribueretur, quod scribens de aedibus sacris tam multa ignorata commemorat. Sed tunc interim elegans non pestilentiae depulsio, sed deorum excusatio procurata est.

13 II, c. 54

1 exorta, h *eras.*, *C* 3 se *erasum l* se excusabat *l* 4 arciatrum *l* 5 etiam *C l p;* iam *rell. v Domb.* 6 hiemps *l d* 10 pestil. ingens *l* 15 si uolunt *C* 17 occupa multi,tas *L* sic *om.* C^1 22 possint C^1 23 namque *L Λ C e p q;* Nam quae *v Domb.* 27 commemoraret *α*

CAPUT XVIII.

Quantae clades Romanos sub bellis Punicis triuerint frustra deorum praesidiis expetitis.

Iam uero Punicis bellis, cum inter utrumque imperium uictoria diu anceps adque incerta penderet populique duo praeualidi impetus in alterutrum fortissimos et opulentissimos agerent, quot minutiora regna contrita sunt! quae urbes amplae nobilesque deletae, quot adflictae, quot perditae ciuitates! Quam longe lateque tot regiones terraeque uastatae sunt! Quotiens uicti hinc adque inde uictores! Quid hominum consumtum est uel pugnantium militum uel ab armis uacantium populorum! Quanta uis nauium marinis etiam proeliis obpressa et diuersarum tempestatum uarietate submersa est! Si enarrare uel commemorare conemur, nihil aliud quam scriptores etiam nos erimus historiae. Tunc magno metu perturbata Romana ciuitas ad remedia uana et ridenda currebat. Instaurati sunt ex auctoritate librorum Sibyllinorum ludi saeculares, quorum celebritas inter centum annos fuerat instituta felicioribusque temporibus memoria neglegente perierat. Renouarunt etiam pontifices ludos sacros inferis et ipsos abolitos annis retrorsum melioribus. Nimirum ergo, quando renouati sunt, tanta copia morientium ditatos inferos etiam ludere delectabat, cum profecto miseri homines ipsa rabida bella et cruentas animositates funereasque hinc adque inde uictorias magnos agerent ludos daemonum et opimas epulas inferorum. Nihil sane miserabilius primo Punico bello accidit, quam quod ita Romani uicti sunt, ut etiam Regulus ille caperetur, cuius in primo et in altero libro fecimus mentionem, uir plane magnus et uictor antea domitorque Poenorum, qui etiam ipsum primum

2 triuerint] terruerunt *p* 7 quod L^1 C^1 *d, et sic l.* 8 C^1 *d* 8 atflictae L^1 ciuitatis C^1 12 nabium *L* 13 et] ut *e* 14 scribturae fed iam C^1 21 ergo *L* Λ *p; om. q;* enim *C rell. v Domb.* 22 cupia *C* 23 profectu *C* rapidą Λ 26 mirabilius *C* Punico bello *L* Λ *C b e p;* bel. Pun. *v Domb.* 28 in *ante* altero *om.* L^1 *e* fecim. ment. *L* Λ *p;* ment. fec. *C v* 29 qui etiam ipsum qui primum *C m. 2 corr.*

bellum Punicum confecisset, nisi auiditate nimia laudis et gloriae duriores condiciones, quam ferre possent, fessis Carthaginiensibus imperasset. Illius uiri et captiuitas inopinatissima et seruitus indignissima, et iuratio fidelissima et mors crudelissima si deos illos non cogit erubescere, uerum est quod aerei sunt et non habent sanguinem.

Nec mala illo tempore grauissima intra moenia defuerunt. Nam exundante nimis ultra morem fluuio Tiberino paene omnia urbis plana subuersa sunt, aliis impetu quasi torrentis inpulsis, aliis uelut stagno diuturno madefactis adque sublapsis. Istam deinde pestem ignis perniciosior subsecutus est, qui correptis circa forum quibusque celsioribus etiam templo Vestae suo familiarissimo non pepercit, ubi ei ueluti uitam perpetuam diligentissima substitutione lignorum non tam honoratae quam damnatae uirgines donare consuerant. Tunc uero illic ignis non tantum uiuebat, sed etiam saeuiebat. Cuius impetu exterritae uirgines sacra illa fatalia, quae iam tres, in quibus fuerant, presserant ciuitates, cum ab illo incendio liberare non possent, Metellus pontifex suae quodam modo salutis oblitus inruens ea semiustus abripuit. Neque enim uel ipsum ignis agnouit, aut uero erat ibi numen, quod non etiam, si fuisset, fugisset. Homo igitur potius sacris Vestae quam illa homini prodesse potuerunt. Si autem a se ipsis ignem non repellebant, ciuitatem, cuius salutem tueri putabantur, quid contra illas aquas flammasque poterant adiuuare? sicut etiam res ipsa nihil ea prorsus potuisse patefecit. Haec istis nequaquam obicerentur a nobis, si illa sacra dicerent non tuendis

5 coget C^1 eruuescere L aerei $L\,\Lambda\,C\,b\,e^2\,p\,q\,f\,k^2\,v$; aerii $e^1\,\alpha\,k^1$ *Domb.* 8 exudante C^1 memorem, me *eras.*, C 10 diurno C 13 uest.ae, r *eras.*, C 14 subrestitutione. re *eras.*, Λ (*in* L *litterae modo* stitutione *supersunt; fortasse scriptum erat* sub restitutione) 15 uirginis C^1 consuerant $L\,\Lambda^1$; consueuerant C *rell. v Domb.* Tunc $L\,\Lambda\,C\,p\,v$; tum $a\,b\,d\,e\,q\,\alpha$ *Domb.* 16 bibebat $L\,\Lambda$ sebiebat L 18 fuerint C 20 semiustus $L\,\Lambda\,C\,d\,p\,q$; semiustilatus $e\,k^1$; semiustulatus $a\,b\,\alpha\,k^2\,f\,v$ arripuit e 21 agnobit L 22 potius *m. 1 sup. lin.* L, *om.* C 24 putauantur L 26 isti C

his bonis temporalibus instituta, sed significandis aeternis, et ideo, cum ea, quod corporalia uisibiliaque essent, perire contingeret, nihil his rebus minui, propter quas fuerant instituta, et posse ad eosdem usus denuo reparari. Nunc uero caecitate mirabili eis sacris, quae perire possent, fieri potuisse existimant, ut salus terrena et temporalis felicitas ciuitatis perire non posset. Proinde cum illis etiam manentibus sacris uel salutis contritio uel infelicitas inruisse monstratur, mutare sententiam, quam defendere nequeunt, erubescunt.

CAPUT XVIIII.

De adflictione belli Punici secundi, qua uires utriusque partis consumtae sunt.

Secundo autem Punico bello nimis longum est commemorare clades duorum populorum tam longe secum lateque pugnantium, ita ut his quoque fatentibus, qui non tam narrare bella Romana quam Romanorum imperium laudare instituerunt, similior uicto fuerit ille qui uicit. Hannibale quippe ab Hispania surgente et Pyrenaeis montibus superatis, Gallia transcursa Alpibusque disruptis, tam longo circuitu auctis uiribus cuncta uastando aut subigendo torrentis modo Italiae faucibus inruente quam cruenta proelia gesta sunt, quotiens Romani superati! quam multa ad hostem oppida defecerunt, quam multa capta et obpressa! quam dirae pugnae et totiens Hannibali Romana clade gloriosae! De Cannensi autem mirabiliter horrendo malo quid dicam, ubi Hannibal, cum esset crudelissimus, tamen tanta inimicorum atrocissimorum clade satiatus parci iussisse perhibetur? Unde tres modios anulorum aureo-

17 Flor. 1, 22

1 sed *om.* C^1 2 quam *superscripto* quum, *in margine m. 2* k cum, C contegeret C^1 3 his *om.* C 5 possent $L\,\Lambda\,d\,e\,p$; possint $C\,v$ 9 eruuescunt L; erubiscunt C^1; erubescant e 13 bello Punico v nimis *m. 1 sup. lin.* L 14 tam *om.* C^1 16 Romanorum $\Lambda\,Cp$; *in* L *margine mutilato* um *modo restitit;* Romanum v 17 Hannibale $L\,\Lambda\,C\,e^2\,a^2\,k$; annibale $a\,d\,e^1\,p\,q\,a^1\,f\,v$ 18 ispania $L\,\Lambda$ 21 *ut editur* $L\,\Lambda\,C$ *rell. Domb.;* quam cruenta bella gesta sunt, quam multa proelia! Quotiens v 26 clade $L\,\Lambda\,Cp$; caede $a\,b\,d\,e\,q\,v$ *Domb.*

rum Carthaginem misit, quo intellegerent tantam in illo proelio dignitatem cecidisse Romanam, ut facilius eam caperet mensura quam numerus, adque hinc strages turbae ceterae tanto utique numerosioris, quanto infimioris, quae sine anulis iacebat, conicienda potius quam nuntianda putaretur. Denique tanta militum inopia secuta est, ut Romani reos facinorum proposita inpunitate colligerent, seruitia libertate donarent adque illis pudendus non tam subpleretur quam institueretur exercitus. Seruis itaque, immo, ne faciamus iniuriam, iam libertis, pro Romana re publica pugnaturis arma defuerunt. Detracta sunt templis, tamquam Romani dis suis dicerent: Ponite quae tam diu inaniter habuistis, ne forte aliquid utile inde facere possint nostra mancipia, unde [uos] nostra numina facere non potuistis. Tunc etiam stipendiis sufficiendis cum defecisset aerarium, in usus publicos opes uenere priuatae, adeo unoquoque id quod habuit conferente, ut praeter singulos anulos singulasque bullas, miserabilia dignitatis insignia, nihil sibi auri senatus ipse, quanto magis ceteri ordines tribusque relinquerent. Quis ferret istos, si nostris temporibus ad hanc inopiam cogerentur, cum eos modo uix feramus, quando pro superflua uoluptate plura donantur histrionibus, quam tunc legionibus pro extrema salute conlata sunt?

CAPUT XX.

De exitu Saguntinorum, quibus propter Romanorum amicitiam pereuntibus di Romani auxilium non tulerunt.

Sed in his omnibus belli Punici secundi malis nihil miserabilius ac miserabili querella dignius quam exitium Saguntino-

4 numerioris C^1 numero infirmiores, *in marg.* siores quanto, *q* infimioris $L\,\Lambda\,C^2\,a\,b\,d\,e\,k^1\,v$; infimiores C^1; infirmioris $p\,q\,\alpha\,k^2\,f$ iacebant $L^1\,C^2$ 5 concidenda C^1 putarentur L^1 7 liuert. L illis *codd.*; ex illis *v* 9 liuertis L 13 uos *v Domb.*; *om.* $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,q$ nihil facere non potuistis L *m. 1 corr.*; facere non potuistis $\Lambda\,p$; nihil facere pot. *C rell. v Domb.* 16 anulos $L\,\Lambda\,C^1\,b^1\,p\,\alpha^1\,f$; anulos aureos $C^2\,a\,b^2\,d\,e\,q\,v$ 17 miserauilia L 19 ferre C^1 24 exitu $C\,p\,q$; exitio *v* sagont. *C* 27 in *om.* b^1 28 hac C^1 querilla C^1

rum fuit. Haec quippe Hispaniae ciuitas amicissima populi Romani, dum eidem populo fidem seruat, euersa est. Hinc enim Hannibal fracto foedere Romanorum causas quaesiuit, quibus eos inritaret ad bellum. Saguntum ferociter ergo obsidebat. Quod ubi Romae auditum est, missi legati ad Hannibalem, ut ab eius obsidione discederet. Contemti Carthaginem pergunt querimoniamque deponunt foederis rupti infectoque negotio Romam redeunt. Dum hae morae aguntur, misera illa ciuitas opulentissima, suae rei publicae Romanaeque carissima, octauo uel nono a Poenis mense deleta est. Cuius interitum legere, quanto magis scribere, horroris est. Breuiter tamen eum commemorabo; ad rem quippe quae agitur multum pertinet. Primo fame contabuit; nam etiam suorum cadaueribus a nonnullis pasta perhibetur. Deinde omnium fessa rerum, ne saltem captiua in manus Hannibalis perueniret, ingentem rogum publice struxit, in quem ardentem ferro etiam trucidatos omnes se suosque miserunt. Hic aliquid agerent di helluones adque nebulones, sacrificiorum adipibus inhiantes et fallacium diuinationum caligine decipientes; hic aliquid agerent, ciuitati populi Romani amicissimae subuenirent, fidei conseruatione pereuntem perire non sinerent. Ipsi utique medii praefuerunt, cum Romanae rei publicae interiecto foedere copulata est. Custodiens itaque [fideliter], quod ipsis praesidibus placito iunxerat, fide uinxerat, iuratione constrinxerat, a perfido obsessa obpressa consumta est. Si ipsi di tempestate adque fulminibus Hannibalem postea Romanis proximum moenibus terruerunt longeque miserunt: tunc primum tale aliquid facerent. Audeo quippe dicere honestius illos pro amicis Romanorum ideo periclitantibus, ne Romanis frangerent fidem, et nullam opem tunc habentibus quam pro ipsis Romanis, qui

1 spaniae $L\,\Lambda^1$; yspaniae Λ^2 3 facto C^1 phoed. c^4 *sic 7. 22* C 4 ferociter ergo $L^1\,\Lambda$; ergo fer. $L^2\,C$ *rell.* v 6 obsi*li*/one, ti *eras.*, C 7 rapti C^1 8 in*f*ectoque C 11 orroris $L^1\,\Lambda$ 12 quae] qua de e agitatur Λ 16 instruxit $\Lambda^2\,\alpha$ 18 elluones$_{\text{i}}$ L^1 20 et fidei e 23 fideliter *om.* $L\,\Lambda^1\,C^1\,p$ 24 fide/unxerat, i *eras.*, L

pro se pugnabant adque aduersus Hannibalem opulenti erant, potuisse tempestate saeuire. Si ergo tutores essent Romanae felicitatis et gloriae, tam graue ab ea crimen Saguntinae calamitatis auerterent; nunc uero quam stulte creditur, dis illis defensoribus Romam uictore Hannibale non perisse, qui Saguntinae urbi non potuerunt, ne pro eius periret amicitia, subuenire! Si Saguntinorum Christianus populus esset et huius modi aliquid pro fide euangelica pateretur, quamquam se ipse nec ferro nec ignibus corrupisset, sed tamen si pro fide euangelica excidium pateretur: ea spe pateretur, qua in Christum crediderat, non mercede breuissimi temporis, sed aeternitatis interminae. Pro istis autem dis, qui propterea coli perhibentur, propterea colendi requiruntur, ut harum labentium adque transeuntium rerum felicitas tuta sit, quid nobis defensores et excusatores eorum de Saguntinis pereuntibus respondebunt, nisi quod de illo Regulo extincto? Hoc quippe interest, quod ille unus homo, haec tota ciuitas; utriusque tamen interitus causa conseruatio fidei fuit. Propter hanc enim ad hostes et redire ille uoluit, et noluit ista transire. Conseruata ergo prouocat deorum iram fides? an possunt et dis propitiis perire non solum quique homines, uerum etiam integrae ciuitates? Utrum uolunt, eligant. Si enim fidei seruatae irascuntur illi di, quaerant perfidos, a quibus colantur; si autem etiam illis propitiis multis grauibusque cruciatibus adflicti interire homines ciuitatesque possunt, nullo fructu felicitatis huius coluntur. Desinant igitur suscensere, qui sacris deorum suorum perditis se infelices esse factos putant. Possent enim illis non solum manentibus, uerum etiam fauentibus non sicut modo

6 potuerint α^1 9 nisi *C* 10 xp̄o C^1 11 mercedem *C* 12 qui ... perhibentur *om.* e^1 coli perh. propterea *om.* α 13 propterea *codd. praeter b;* qui propterea b^{pi} *v* lauent. $L\,\Lambda\,C^1$ 15 saṇgutinis, ^{u} *similiter p, 147, 1 C* 24 protiis *C* 25 nullo^{c} frutu *C* 27 possint α illi C^1 28 manentibus uerum] *his uerbis desinere codicis L fol. 76 et reliquam partem libri III. usque ad uerba* ... si humanum] *c. 31 p. 159, 8) intercidisse in Praefatione monui*

de miseria murmurare, sed sicut tunc Regulus et Saguntini excruciati horribiliter etiam penitus interire.

CAPUT XXI.

Quam ingrata fuerit Romana ciuitas Scipioni liberatori suo et in quibus moribus egerit, quando eam Sallustius optimam fuisse describit.

Porro inter secundum et postremum bellum Carthaginiense, quando Sallustius optimis moribus et maxima concordia dixit egisse Romanos (multa enim praetereo suscepti operis modum cogitans), eodem ipso ergo tempore morum optimorum maximaeque concordiae Scipio ille Romae Italiaeque liberator eiusdemque belli Punici secundi tam horrendi, tam exitiosi, tam periculosi praeclarus mirabilisque confector, uictor Hannibalis domitorque Carthaginis, cuius ab adulescentia uita describitur dis dedita templisque nutrita, inimicorum accusationibus cessit carensque patria, quam sua uirtute saluam et liberam reddidit, in oppido Linternensi egit reliquam conpleuitque uitam, post insignem suum triumphum nullo illius urbis captus desiderio, ita ut iussisse perhibeatur, ne saltem mortuo in ingrata patria funus fieret. Deinde tunc primum per Gn. Manlium proconsulem de Gallograecis triumphantem Asiatica luxuria Romam omni hoste peior inrepsit. Tunc enim primum lecti aerati et pretiosa stragula uisa perhibentur; tunc inductae in conuiuia psaltriae et alia licentiosa nequitia. Sed nunc de his malis, quae intolerabiliter homines patiuntur, non de his, quae libenter faciunt, dicere institui. Unde illud magis, quod de Scipione commemoraui, quod cedens inimicis extra patriam, quam liberauit, mortuus est, ad praesentem pertinet disputa-

8 Hist. I 22 Liu. XXXVIIII, 6

7 chartag. *et sic semper C* 10 ipso ergo Λ *e p q;* ergo ipso *C rell. v* 11 liberator eiusdemque *om.* Λ¹ 12 secundu,m *C* 14 dominatorque *e* chartagi|n////is *C* 20 Gn̄. Λ *C p;* gneum *rell.;* Cneum *v* 21 mallium *codd.* 23 strati *f* uisa *sup. lin. C* 24 licentiora *C*

tionem, quod ei Romana numina, a quorum templis auertit Hannibalem, non reddiderunt uicem, quae propter istam tantummodo coluntur felicitatem. Sed quia Sallustius eo tempore ibi dixit mores optimos fuisse, propterea hoc de Asiana luxuria commemorandum putaui, ut intellegatur etiam illud a Sallustio in conparationem aliorum temporum dictum, quibus temporibus peiores utique in grauissimis discordiis mores fuerunt. Nam tunc, id est inter secundum et postremum bellum Carthaginiense, lata est etiam lex illa Voconia, ne quis heredem feminam faceret, nec unicam filiam. Qua lege quid iniquius dici aut cogitari possit, ignoro. Verum tamen toto illo interuallo duorum bellorum Punicorum tolerabilior infelicitas fuit. Bellis tantummodo foris conterebatur exercitus, sed uictoriis consolabatur; domi autem nullae, sicut alias, discordiae saeuiebant. Sed ultimo bello Punico uno impetu alterius Scipionis, qui ob hoc etiam ipse Africani cognomen inuenit, aemula imperii Romani ab stirpe deleta est, ac deinde tantis malorum aggeribus obpressa Romana res publica, ut prosperitate ac securitate rerum, unde nimium corruptis moribus mala illa congesta sunt, plus nocuisse monstretur tam cito euersa, quam prius nocuerat tam diu aduersa Carthago. Hoc toto tempore usque ad Caesarem Augustum, qui uidetur non adhuc uel ipsorum opinione gloriosam, sed contentiosam et exitiosam et plane iam eneruem ac languidam libertatem omni modo extorsisse Romanis et ad regale arbitrium cuncta reuocasse et quasi morbida uetustate conlapsam ueluti instaurasse ac renouasse rem publicam; toto ergo isto tempore omitto ex aliis adque aliis causis etiam adque etiam bellicas clades et Numantinum foedus horrenda ignominia

2 reddiderint Λ 6 conparationem Λ^1 *C Domb.;* comparatione Λ^2 *rell. v* 9 lata Λ, *in marg. m. rec.* data est lex illa Λ *C b d e p;* illa lex *v Domb.* 10 uel nec *α* 15 pun. bello Λ 16 uno *m. 1 sup. lin. C* scipionis *om.* C^1 ob *om. α* 17 sterpe C^1 21 monstretur Λ C^2 *rell. v;* monstraretur C^1 *Domb.* 24 enerbem Λ; eneruam *α;* inermem *p* 28 ex *om.* d^1 causis *om. e* 29 clades *om. e*

maculosum; uolauerant enim pulli de cauea et Mancino consuli, ut aiunt, augurium malum fecerant; quasi per tot annos, quibus illa exigua ciuitas Romanum circumsessa exercitum adfixerat ipsique Romanae rei publicae terrori esse iam coeperat, alii contra eam alio augurio processerunt.

CAPUT XXII.

De Mithridatis edicto, quo omnes ciues Romanos, qui intra Asiam inuenirentur, iussit occidi.

Sed haec, inquam, omitto, quamuis illud nequaquam tacuerim, quod Mithridates rex Asiae ubique in Asia peregrinantes ciues Romanos adque innumerabili copia suis negotiis intentos uno die occidi iussit; et factum est. Quam illa miserabilis rerum facies erat, subito quemque, ubicumque fuisset inuentus, in agro in uia in oppido, in domo in uico in foro, in templo in lecto in conuiuio inopinate adque inpie fuisse trucidatum! Quis gemitus morientium, quae lacrimae spectantium, fortasse etiam ferientium fuerunt! Quam dura necessitas hospitum non solum uidendi nefarias illas caedes domi suae, uerum etiam perpetrandi, ab illa blanda comitate humanitatis repente mutatis uultibus ad hostile negotium in pace peragendum, mutuis dicam omnino uulneribus, cum percussus in corpore et percussor in animo feriretur! Num et isti omnes auguria contemserant? Num deos et domesticos et publicos, cum de sedibus suis ad illam inremeabilem peregrinationem profecti sunt, quos consulerent, non habebant? Hoc si ita est, non habent quur isti in hac causa de nostris temporibus conquerantur; olim Romani haec uana contemnunt. Si autem con-

1 cabea Λ^1 3 circumsepta, *in margine* circũſeſſa *e* 4 romane, ne *in ras. litterae* m, *C* reip. *sup. lin. C* 5 alio Λ *et sic ex coniectura Domb.;* malo *C rell. v* processerunt *codd.;* processerint *v* 7 mitri/datis *C* roma^{nof} *C* 11 innumerabiles copias Λ *C p* 20 mu^{h}/ta^{ta}/tis, l *eraso, C* 21 mutuis repente dicam b^2 *q* k^2 *f* 23 contempserunt *α* et deos *a* 25 Hoc.... habent *om. C* 27 contempnunt C^1

suluerunt, respondeatur, quid ista profuerunt, quando per humanas dumtaxat leges nemine prohibente licuerunt.

CAPUT XXIII.

De interioribus malis, quibus Romana res publica exagitata est, praecedente prodigio, quod in rabie omnium animalium, quae hominibus seruiunt, fuit.

Sed iam illa mala breuiter, quantum possumus, commemoremus, quae quanto interiora, tanto miseriora exstiterunt: discordiae ciuiles uel potius inciuiles, nec iam seditiones, sed etiam ipsa bella urbana, ubi tantus sanguis effusus est, ubi partium studia non contionum dissensionibus uariisque uocibus in alterutrum, sed plane iam ferro armisque saeuiebant; bella socialia, bella seruilia, bella ciuilia quantum Romanum cruorem fuderunt, quantam Italiae uastationem desertionemque fecerunt! Namque antequam se aduersus Romam sociale Latium commoueret, cuncta animalia humanis usibus subdita, canes equi, asini boues, et quaeque alia pecora sub hominum dominio fuerunt, subito efferata et domesticae lenitatis oblita relictis tectis libera uagabantur et omnem non solum aliorum, uerum etiam dominorum auersabantur accessum, non sine exitio uel periculo audentis, si quis de proximo urgeret. Quanti mali signum fuit, si hoc signum fuit, quod tantum malum fuit, si etiam signum non fuit! Hoc si nostris temporibus accidisset, rabidiores istos quam sua illi animalia pateremur.

CAPUT XXIIII.

De discordia ciuili, quam Gracchinae seditiones excitauerunt.

Initium autem ciuilium malorum fuit seditiones Gracchorum agrariis legibus excitatae. Volebant enim agros populo diuidere,

2 dū taxtat C^1 12 iam plane *C* 15 antea quam *v* aduersus *codd. praeter b e, v;* aduersum *b e Domb.* sociale/, m *eras.*, *C* 19 tectis *om.* A^1 C^1 20 aduersabantur C^1 21 adeuntis α^2 22 'quod] an *d* 23 Hoc si, si *corr. m. in rasura uocis* in, *C* 24 illi sua *v* 26 Gracchinae *scripsi;* graeciṇae *C;* grece *q;* grecorum *p;* Gracchiae *v Domb.* 28 malorum *codd.;* bellorum *v*

quos nobilitas perperam possidebat. Sed iam uetustam iniquitatem audere conuellere periculosissimum, immo uero, ut res ipsa docuit, perniciosissimum fuit. Quae funera facta sunt, cum prior Gracchus occisus est! quae etiam, cum alius frater eius non longo interposito tempore! Neque enim legibus et ordine potestatum, sed turbis armorumque conflictibus nobiles ignobilesque necabantur. Post Gracchi alterius interfectionem L. Opimius consul, qui aduersus eum intra Urbem arma commouerat eoque cum sociis obpresso et extincto ingentem ciuium stragem fecerat, cum quaestionem haberet iam iudiciaria inquisitione ceteros persequens, tria milia hominum occidisse perhibetur. Ex quo intellegi potest, quantam multitudinem mortium habere potuerit turbidus conflictus armorum, quando tantam habuit iudiciorum uelut examinata cognitio. Percussor Gracchi ipsius caput, quantum graue erat, tanto auri pondere consuli uendidit; haec enim pactio caedem praecesserat. In qua etiam occisus est cum liberis M. Fuluius consularis.

CAPUT XXV.

De aede Concordiae ex senatus consulto in loco seditionum et caedium condita.

Eleganti sane senatus consulto eo ipso loco, ubi funereus tumultus ille commissus est, ubi tot ciues ordinis cuiusque ceciderunt, aedes Concordiae facta est, ut Gracchorum poenae testis contionantium oculos feriret memoriamque conpungeret. Sed hoc quid aliud fuit quam inrisio deorum, illi deae templum construere, quae si esset in ciuitate, non tantis dissensionibus dilacerata conrueret? Nisi forte sceleris huius rea Concordia, quia deseruerat animos ciuium, meruit in illa aede tamquam in carcere includi. Quur enim, si rebus gestis congruere

1 iam *codd. praeter q;* eis iam *q;* tam *v* 2 conbellere Λ periculosissimo C^1 3 ipsa res *v* 8 L. Λ *Cp;* lucius *d e v* 10 habere- etiam *C;* haberet etiam *d* 11 ·III· *omisso* milia Λ 13 turpidus $Λ^1$ 17 M. Λ *Cp; om. d;* Marcus *rell. v* fulbius Λ 24 concordiaę, e *eras.*, Λ 25 contionantum Λ *C* 27 de ciuitate *C*

uoluerunt, non ibi potius aedem Discordiae fabricarunt? An ulla ratio redditur, quur Concordia dea sit, et Discordia dea non sit, ut secundum Labeonis distinctionem bona sit ista, illa uero mala? Nec ipse aliud secutus uidetur quam quod aduertit Romae etiam Febri, sicut Saluti, templum constitutum. Eo modo igitur non solum Concordiae, uerum etiam Discordiae constitui debuit. Periculose itaque Romani tam mala dea irata uiuere uoluerunt nec Troianum excidium recoluerunt originem ab eius offensione sumsisse. Ipsa quippe quia inter deos non fuerat inuitata, trium dearum litem aurei mali subpositione commenta est; unde rixa numinum et Venus uictrix, et rapta Helena et Troia deleta. Quapropter, si forte indignata, quod inter deos in Urbe nullum templum habere meruit, ideo iam turbabat tantis tumultibus ciuitatem, quanto atrocius potuit inritari, cum in loco illius caedis, hoc est in loco sui operis, aduersariae suae constitutam aedem uideret! Haec uana ridentibus nobis illi docti sapientesque stomachantur, et tamen numinum bonorum malorumque cultores de hac quaestione Concordiae Discordiaeque non exeunt, siue praetermiserint harum dearum cultum eisque Febrem Bellonamque praetulerint, quibus antiqua fana fecerunt, siue et istas coluerint, cum sic eos discedente Concordia Discordia saeuiens usque ad ciuilia bella perduxerit.

CAPUT XXVI.

De diuersis generibus belli, quae post conditam aedem Concordiae sunt secuta.

Praeclarum uero seditionis obstaculum aedem Concordiae, testem caedis suppliciique Gracchorum, contionantibus obpo-

3 *uide supra* p. 73, 27

1 fabricarunt Λ *d e p Domb.;* fabricauerunt *C a b q v* 2 illa Λ¹*;* nulla *e*¹ 6 igitur modo *v* non solum Λ *C p;* non tantum *a b d e q v Domb.* 7 tanta *m. 2 ex* tam *corr. e* 8 biuere Λ 9 quippe, *in marg.* aℓ quoq., Λ 13 orbe *C*¹ ideo | et iam, et *m. 2 extra lin.,* Λ 17 stomacantur Λ *C*¹ 18 quaestione/, m *eras., C* 21 coluerunt *C*¹ 22 saeuęņiens Λ 25 diuersi *C*¹ bellis *C* 27 seditionis Λ *C a b d p k Domb.;* seditionibus *e q f v*

nendam putarunt. Quantum ex hoc profecerint, indicant secuta peiora. Laborarunt enim deinceps contionatores non exemplum deuitare Gracchorum, sed superare propositum, L. Saturninus tribunus plebis et G. Seruilius praetor et multo post M. Drusus, quorum omnium seditionibus caedes primo iam tunc grauissimae, deinde socialia bella exarserunt, quibus Italia uehementer adflicta et ad uastitatem mirabilem desertionemque perducta est. Bellum deinde seruile successit et bella ciuilia. Quae proelia commissa sunt, quid sanguinis fusum, ut omnes fere Italae gentes, quibus Romanum maxime praepollebat imperium, tamquam saeua barbaries domarentur! Iam ex paucissimis, hoc est minus quam septuaginta, gladiatoribus quem ad modum bellum seruile contractum sit, ad quantum numerum et quam acrem ferocemque peruenerit, quos ille numerus imperatores populi Romani superauerit, quas et quo modo ciuitates regionesque uastauerit, uix qui historiam conscripserunt satis explicare potuerunt. Neque id solum fuit seruile bellum, sed et Macedoniam prouinciam prius seruitia depopulata sunt et deinde Siciliam oramque maritimam. Quanta etiam et quam horrenda commiserint primo latrocinia, deinde ualida bella piratarum, quis pro magnitudine rerum ualeat eloqui?

CAPUT XXVII.

De bello ciuili Mariano adque Syllano.

Cum uero Marius ciuili sanguine iam cruentus multis aduersarum sibi partium peremtis uictus Urbe profugisset, uix

3 debitare Λ L. Λ *C d p;* lucius *e v* 4 G. Λ *C;* C. *d;* Gaius *a b e* q^2 *k f;* graius q^1*;* consul *p;* Caius *v* M. Λ *C d;* Marcus *e v* 5 primo *om.* Λ^1 · 8 deinde bellum Λ 9 ciuilia quae Λ *C rell. Domb.;* ciuilia in quibus quae *v* 10 praepolleuat Λ 15 quod C^1 16 quas..... uastauerit *om. e; in marg. m. 2:* quas prouincias late cultas et ciuitates munitas regionesq. uastauerint 21 magnitudinem *C* 22 loqui C^1 25 uero] ergo *q* ciuile C^1 26 urue Λ

paululum respirante ciuitate, ut uerbis Tullianis utar, 'superauit postea Cinna cum Mario. Tum uero clarissimis uiris interfectis lumina ciuitatis extincta sunt. Ultus est huius uictoriae crudelitatem postea Sylla, ne dici quidem opus est quanta deminutione ciuium et quanta calamitate rei publicae'. De hac enim uindicta, quae perniciosior fuit, quam si scelera quae puniebantur inpunita relinquerentur, ait et Lucanus:

> Excessit medicina modum nimiumque secuta est,
> Qua morbi duxere manum. Periere nocentes;
> Sed cum iam soli possent superesse nocentes.

Illo bello Mariano adque Syllano exceptis his, qui foris in acie ceciderunt, in ipsa quoque Urbe cadaueribus uici plateae fora, theatra templa conpleta sunt, ut difficile iudicaretur, quando uictores plus funerum ediderint, utrum prius ut uincerent, an postea quia uicissent; cum primum uictoria Mariana, quando de exilio se ipse restituit, exceptis passim quaqua uersum caedibus factis caput Octauii consulis poneretur in rostris, Caesares a Fimbria domibus trucidarentur suis, duo Crassi pater et filius in conspectu mutuo mactarentur, Baebius et Numitorius unco tracti sparsis uisceribus interirent, Catulus hausto ueneno se manibus inimicorum subtraheret, Merula flamen Dialis praecisis uenis Ioui etiam suo sanguine litaret. In ipsius autem Marii oculis continuo feriebantur, quibus salutantibus dexteram porrigere noluisset.

1 Cat. 3, 10 7 Phars. II, 142 sqq.

4 nec b^2 5 deminutione $C\,b^1\,p\,k^1$ *Domb.;* dim. $a\,b^2\,e\,k^2\,f\,v$ 9 perire $\Lambda^1\,C^1$ 10 possint C *quae post* nocentes *uulgari solebant:* Tunc data libertas resolutaque legum Frenis ira ruit *om. codd.* 12 platea C^1 14 aedidirint C^1*;* ediderunt *e* 15 quia] cum *m. 2 in ras. e* 17 capud $C^1\,d$ 18 Caesares a Fimbria *corr. Domb.*^{2} *secundum Flor. II, 9, 14;* caesar et fimbria *codd. v* domibus $\Lambda\,b\,p\,q\,k\,f$; in dom. $C\,d\,e\,v$ 19 bibius *d* 20 nomitorius *C* 21 nebula, *in marg.* merula, *e;* ab nebula merula *d* 22 praecissis Λ^1 24 dextram C^1

CAPUT XXVIII.

Qualis fuerit Syllana uictoria, uindex Marianae crudelitatis.

Syllana uero uictoria secuta, huius uidelicet uindex crudelitatis, post tantum sanguinem ciuium, quo fuso fuerat conparata, finito iam bello inimicitiis uiuentibus crudelius in pace grassata est. Iam etiam post Marii maioris pristinas ac recentissimas caedes additae fuerant aliae grauiores a Mario iuuene adque Carbone earundem partium Marianarum, qui Sylla imminente non solum uictoriam, uerum etiam ipsam desperantes salutem cuncta suis aliis caedibus inpleuerunt. Nam praeter stragem late per diuersa diffusam obsesso etiam senatu de ipsa curia, tamquam de carcere, producebantur ad gladium. Mucius Scaeuola pontifex, quoniam nihil aput Romanos templo Vestae sanctius habebatur, aram ipsam amplexus occisus est, ignemque illum, qui perpetua uirginum cura semper ardebat, suo paene sanguine extinxit. Urbem deinde Sylla uictor intrauit, qui in uilla publica non iam bello, sed ipsa pace saeuiente septem milia deditorum (unde utique inermia) non pugnando, sed iubendo prostrauerat. In Urbe autem tota quem uellet Syllanus quisque feriebat, unde tot funera numerari omnino non poterant, donec Syllae suggereretur sinendos esse aliquos uiuere, ut essent quibus possent imperare qui uicerant. Tunc iam cohibita quae hac adque illac passim furibunda ferebatur licentia iugulandi, tabula illa cum magna gratulatione proposita est, quae hominum ex utroque ordine splendido, equestri scilicet adque senatorio, occidendorum ac proscribendorum duo milia continebat. Contristabat numerus, sed consolabatur

5 fuerat conparata Λ *C a b d e p q;* comp. f. *v Domb.* 7 grassata Λ 9 caruone *C* syllaiꝰ *C* inmenente *C* 10 desperanteꝭ Λ 11 cunc*ta* *C* suis aliis Λ *C rell. Domb.;* suis alienisque *v* 16 perpetuaiꝰ *C* uirginum cura Λ *C;* c. u. *a d e v* 17 extincꝫ *d* 19 inermia, *ex* inerima *corr.*, Λ pugnabo e^1 20 totaꝰ Λ 22 suggeretur $Λ^1$ C^1 24 hac adque illac Λ; haęc adque ac *C;* hac atque hac *v Domb.* 25 iugulandi/, i *in rasura syllabae* um, *C*

modus; nec quia tot cadebant tantum erat maeroris, quantum laetitiae quia ceteri non timebant. Sed in quibusdam eorum, qui mori iussi erant, etiam ipsa licet crudelis ceterorum securitas genera mortium exquisita congemuit. Quendam enim sine ferro laniantium manus diripuerunt, inmanius homines hominem uiuum, quam bestiae solent discerpere cadauer abiectum. Alius oculis effossis et particulatim membris amputatis in tantis cruciatibus diu uiuere uel potius diu mori coactus est. Subhastatae sunt etiam, tamquam uillae, quaedam nobiles ciuitates; una uero, uelut unus reus duci iuberetur, sic tota iussa est trucidari. Haec facta sunt in pace post bellum, non ut acceleraretur obtinenda uictoria, sed ne contemneretur obtenta. Pax cum bello de crudelitate certauit et uicit. Illud enim prostrauit armatos, ista nudatos. Bellum erat, ut qui feriebatur, si posset, feriret; pax autem, non ut qui euaserat uiueret, sed ut moriens non repugnaret.

CAPUT XXVIIII.

De conparatione Gothicae inruptionis cum eis cladibus, quas Romani uel a Gallis uel a bellorum ciuilium auctoribus acceperunt.

Quae rabies exterarum gentium, quae saeuitia barbarorum huic de ciuibus uictoriae ciuium conparari potest? Quid Roma funestius taetrius amariusque uidit, utrum olim Gallorum et paulo ante Gothorum inruptionem, an Marii et Syllae aliorumque in eorum partibus uirorum clarissimorum tamquam suorum luminum in sua membra ferocitatem? Galli quidem trucidauerunt senatum, quidquid eius in Urbe tota praeter arcem Capitolinam, quae sola utcumque defensa est, reperire

1 quantum, *m. 2 superscripto* tunc, Λ 3 morituri, *superscripto m. 1* iuffi, *C* 5 lan|tatum Λ homines *om.* Λ 9 subhastatae Λ^1 C^1; subuastatae C^2 *d e*; ///uastatae Λ^2 10 uel *C*^{ci} reuſ|iubi|duçeretur, *post* reus *in marg. m. 2* duci, *C* 11 trudari *C* 12 obtinenda . . . contemneretur *in marg. e* 15 possit *C* 20 actoribus *C* 22 cibibus Λ 27 in orbem totam *C* 28 repperire Λ *C*

potuerunt; sed in illo colle constitutis auro uitam saltem uendiderunt, quam etsi ferro rapere non possent, possent tamen obsidione consumere: Gothi uero tam multis senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit quod aliquos peremerunt. At uero Sylla uiuo adhuc Mario ipsum Capitolium, quod a Gallis tutum fuit, ad decernendas caedes uictor insedit, et cum fuga Marius elapsus esset ferocior cruentiorque rediturus, iste in Capitolio per senatus etiam consultum multos uita rebusque priuauit: Marianis autem partibus Sylla absente quid sanctum cui parcerent fuit, quando Mucio ciui senatori pontifici aram ipsam, ubi erant ut aiunt fata Romana, miseris ambienti amplexibus non pepercerunt? Syllana porro tabula illa postrema, ut omittamus alias innumerabiles mortes, plures iugulauit senatores, quam Gothi uel spoliare potuerunt.

CAPUT XXX.

De conexione bellorum, quae aduentum Christi plurima et grauissima praecesserunt.

Qua igitur fronte quo corde, qua inpudentia qua insipientia uel potius amentia illa dis suis non inputant, et haec nostro inputant Christo? Crudelia bella ciuilia, omnibus bellis hostilibus, auctoribus etiam eorum patentibus, amariora, quibus illa res publica nec adflicta, sed omnino perdita iudicata est, longe ante aduentum Christi exorta sunt, et sceleratarum concatenatione causarum a bello Mariano adque Syllano ad bella Sertorii et Catilinae (quorum a Sylla fuerat ille proscriptus, ille nutritus), inde ad Lepidi et Catuli bellum (quorum alter gesta Syllana rescindere, alter defendere cupiebat), inde ad Pompei et Caesaris (quorum Pompeius sectator Syllae fuerat eiusque

7 labsus Λ, lapsus *C a d e* esset elapsus *v* crudeliorq;, *in marg.* cruentior, *e* 8 multos Λ *C a*^{1} *b*^{1} *d e p α k*^{1}; tam multos *a b*^{2} *q k*^{2} *f v* 9 priuabit Λ 10 cibi Λ; cui//, if *eras.*, *C* 11 fa/ta, c *eras.*, Λ 12 porro, *in marg.* uero, *e* 13 illa *extra lin. m. 2* Λ alias] illas, *in marg.* alias, *e* 14 expoliare *c q α k*^{2} 18 qua insipientia *om. C*^{1} 20 hostibus *C*^{1} 22 omnino perdita *codd.*; p. o. *v* 28 eiusque..... superauerat *om. e*

potentiam uel aequauerat uel iam etiam superauerat; Caesar autem Pompei potentiam non ferebat, sed quia non habebat. quam tamen illo uicto interfectoque transcendit), hinc ad alium Caesarem, qui post Augustus appellatus est, peruenerunt, quo imperante natus est Christus. Nam et ipse Augustus cum multis gessit bella ciuilia, et in eis etiam multi clarissimi uiri perierunt, inter quos et Cicero, ille disertus artifex rei publicae regendae. Pompei quippe uictorem Gaium Caesarem, qui uictoriam ciuilem clementer exercuit suisque aduersariis uitam dignitatemque donauit, tamquam regni adpetitorem quorundam nobilium coniuratio senatorum uelut pro rei publicae libertate in ipsa curia trucidauit. Huius deinde potentiam multum moribus dispar uitiisque omnibus inquinatus adque corruptus adfectare uidebatur Antonius, cui uehementer pro eadem illa uelut patriae libertate Cicero resistebat. Tunc emerserat mirabilis indolis adulescens ille alius Caesar, illius Gai Caesaris filius adoptiuus, qui, ut dixi, postea est appellatus Augustus. Huic adulescenti Caesari, ut eius potentia contra Antonium nutriretur, Cicero fauebat, sperans eum depulsa et obpressa Antonii dominatione instauraturum rei publicae libertatem, usque adeo caecus adque inprouidus futurorum, ut ille ipse iuuenis, cuius dignitatem ac potestatem fouebat, et eundem Ciceronem occidendum Antonio quadam quasi concordiae pactione permitteret et ipsam libertatem rei publicae, pro qua multum ille clamauerat, dicioni propriae subiugaret.

1 iam *om.* *b* α 2 ponpei C^1 7 et *om.* C^1 ille dis. artif. reip. regendae A *p;* dis. ille artif. regendae reip. *C rell. v Domb.* 8 gaium A *rell. praeter C;* G. *C* Caium *v;* 13 uithisq; *C* 15 emiserat A 16 gai *m. 1 sup. lin.* A; G. *C* Caii *v;* 19 fabebat A oppraessa *C* 20 dominatio C^1 instauraturū, rū *m. 2 erasa littera* m, *C* 22 fobebat A

CAPUT XXXI.

Quam inpudenter praesentia incommoda Christo inputent, qui deos colere non sinuntur, cum tantae clades eo tempore quo colebantur extiterint.

Deos suos accusent de tantis malis, qui Christo nostro ingrati sunt de tantis bonis. Certe quando illa mala fiebant, calebant arae numinum Sabaeo thure sertisque recentibus halabant, clarebant sacerdotia, fana renidebant, sacrificabatur ludebatur furebatur in templis, quando passim tantus ciuium sanguis a ciuibus non modo in ceteris locis, uerum etiam inter ipsa deorum altaria fundebatur. Non elegit templum, quo confugeret Tullius, quia frustra elegerat Mucius. Hi uero qui multo indignius insultant temporibus Christianis, aut ad loca Christo dicatissima confugerunt, aut illuc eos ut uiuerent etiam ipsi barbari deduxerunt. Illud scio et hoc mecum, quisquis sine studio partium iudicat, facillime agnoscit (ut omittam cetera quae multa commemoraui et alia multo plura quae commemorare longum putaui): si humanum genus ante bella Punica Christianam reciperet disciplinam et consequeretur rerum tanta uastatio, quanta illis bellis Europam Africamque contriuit, nullus talium, quales nunc patimur, nisi Christianae religioni mala illa tribuisset. Multo autem minus eorum uoces tolerarentur, quantum adtinet ad Romanos, si Christianae religionis receptionem et diffamationem uel inruptio Gallorum

7 Verg. Aen. I, 416

2 Quam *C p q;* Quod *v Domb.* inp/udenter, r *eras., C* 5 nostro Christo *v* 6 ingra,de (ti sunt) *C* 7 ca/lebant, l *eras, C* arae *m. 2 in fine uersus C* numium C^1 8 hal/a/bant, a *m. 2 in ras., C;* hanelabant (h) *e;* exhalabant *d* renitebant, *prius* t *in ras., a* 10 *ut edidi* Λ *C p;* uerum inter ipsa quoque deorum *a b d e q v Domb.* 12 hic Λ 13 Christ. temp. *v* 15 illut C^1 17 commemoraui .... quae *m. 2 in marg. C* 18 genus ante ... *hinc redit L* 19 recipere C^1 20 ut rerum *C* 21 contribit L^1 christiana C^1 22 mala *usque ad* religionis *l. 24 om.* Λ^1 eorum] quorum *e* 24 et diffamat. *om.* Λ^1 inruptio *L* Λ *C p;* inruptio illa *a b d e q v Domb.*

uel Tiberini fluminis igniumque illa depopulatio uel, quod cuncta mala praecedit, bella illa ciuilia sequerentur. Mala etiam alia, quae usque adeo incredibiliter acciderunt, ut inter prodigia numerarentur, si Christianis temporibus accidissent, quibus ea nisi Christianis hominibus tamquam crimina obicerent? Omitto quippe illa, quae magis fuerunt mira quam noxia, boues locutos, infantes nondum natos de uteris matrum uerba quaedam clamasse, uolasse serpentes, feminas et gallinas [et homines] in masculinum sexum fuisse conuersas et cetera huius modi, quae in eorum libris non fabulosis, sed historicis, seu uera seu falsa sint, non inferunt hominibus perniciem, sed stuporem. Sed cum pluit terra, cum pluit creta, cum pluit lapidibus (non ut grando appellari solet hoc nomine, sed omnino lapidibus), haec profecto etiam grauiter laedere potuerunt. Legimus aput eos Aetnaeis ignibus ab ipso montis uertice usque ad litus proximum decurrentibus ita mare ferbuisse, ut rupes urerentur, ut pices nauium soluerentur. Hoc utique non leuiter noxium fuit, quamuis incredibiliter mirum. Eodem rursus aestu ignium tanta ui fauillae scripserunt obpletam esse Siciliam, ut Catinensis urbis tecta obruta et pressa dirueret; qua calamitate permoti misericorditer eiusdem anni tributum ei relaxauere Romani. Lucustarum etiam in Africa multitudinem prodigii similem fuisse, cum iam esset populi Romani prouincia, litteris mandauerunt; consumtis enim fructibus foliisque lignorum ingenti adque inaestimabili nube in mare dicunt esse deiectam; qua mortua redditaque litoribus adque hinc

3 alia, *superscripto* ł illa, *b* incredibiliter *codd.;* incredibilia *v* 4 prudigia C^1 7 uerba quaedam *L* Λ *p;* quaed. uerba *C rell. v* 8 [et homines] *glossam esse ratus inclusi;* in homines et *uett. aliquot editt. et sic Stange (1850)* 12 Sed et, *et m. 2 sup. lin.* Λ 16 litus *L* Λ *C e;* littus *v Domb.* ferb. mare *v* 17 urerentur *L* Λ *C b d e p;* exurerentur *a q v Domb.* ut *L* Λ C^1 *b d p* α k^1 *Domb.;* et C^2 *a e q* k^2 *f v* ut pisces morerentur. ut pi/ces (s *eras.*) nau. solu. *d* 20 catenensis Λ^1 *d;* catanensis *e* pressa *L* Λ *C d e p* α *k f Domb.;* oppressa *a q v* diruerent *e* 22 lucust. *L* Λ^1 *C d;* locust. Λ^2 *a b e p q v* africam *C* 23 prodigiis Λ 26 deiectos, *m. 2 ex* diectum *corr., e* quia e^2 mortui redditique e^2

aere corrupto tantam ortam pestilentiam, ut in solo regno Masinissae octingenta hominum milia perisse referantur et multo amplius in terris litoribus proximis. Tunc Uticae ex triginta milibus iuniorum, quae ibi erant, decem milia remansisse confirmant. Talis itaque uanitas, qualem ferimus eique respondere conpellimur, quid horum non Christianae religioni tribueret, si temporibus Christianis uideret? Et tamen dis suis ista non tribuunt, quorum cultum ideo requirunt, ne ista uel minora patiantur, cum ea maiora pertulerint a quibus antea colebantur.

LIBER IIII.

CAPUT I.

De his, quae primo uolumine disputata sunt.

De ciuitate Dei dicere exorsus prius respondendum putaui eius inimicis, qui terrena gaudia consectantes rebusque fugacibus inhiantes, quidquid in eis triste misericordia potius admonentis Dei quam punientis seuerítate patiuntur, religioni increpitant Christianae, quae una est salubris et uera religio. Et quoniam, cum sit in eis etiam uulgus indoctum, uelut doctorum auctoritate in odium nostrum grauius inritantur, existimantibus inperitis ea, quae suis temporibus insolite acciderint, per alia retro tempora accidere non solere, eorum-

2 ferantur A^1 3 proxumis *L* 4 milia *L A C α Domb.; om. a b d e p q k f v* 7 si . . uideret *om. p* 8 non ista *v* ideo cultum *v* requi runt A^1; relique runt A^2 FINIT LIBER ·III· | INCIPIT LIBER ·IIII· | CONTRA PAGANOS. *L A* AVRELI. AVGVSTINI EPISCOPI | CONTRA PAGANOS DE CIVITATE DEI EXPL. | LIBER TERTIVS INCIP. LIB. ·IIII· *C* LIBER ·III·us EXPLICIT. | ITERATI. OPERIS. INCIPIT ·IIII·tus AVRELII AVGVSTINI | DE VRBE CELESTI *b* 13 primo libro uolumine *p* 15 eius *om. C*^{1}; eis A^1 rebusque—inhia es *om. e*^{1} 16 admonentes C^1 17 punientes C^1 21 insolita b^1 22 acciderint *A C a b d e p k f*; accident, e *in ras., L*; acciderent *α*; acciderunt *q v* non solere *sup. lin. L*

que opinionem etiam his, qui eam falsam esse nouerunt, ut aduersum nos iusta murmura habere uideantur, suae scientiae dissimulatione firmantibus: de libris, quos auctores eorum ad cognoscendam praeteritorum temporum historiam memoriae mandauerunt, longe aliter esse quam putant demonstrandum fuit et simul docendum deos falsos, quos uel palam colebant uel occulte adhuc colunt, eos esse inmundissimos spiritus et malignissimos ac fallacissimos daemones, usque adeo, ut aut ueris aut fictis etiam, suis tamen criminibus delectentur, quae sibi celebrari per sua festa uoluerunt, ut a perpetrandis damnabilibus factis humana reuocari non possit infirmitas, dum ad haec imitanda uelut diuina praebetur auctoritas. Haec non ex nostra coniectura probauimus, sed partim ex recenti memoria, quia et ipsi uidimus talia ac talibus numinibus exhiberi, partim ex litteris eorum, qui non tamquam in contumeliam, sed tamquam in honorem deorum suorum ista conscripta posteris reliquerunt, ita ut uir doctissimus aput eos Varro et grauissimae auctoritatis, cum rerum humanarum adque diuinarum dispertitos faceret libros, alios humanis, alios diuinis pro sua cuiusque rei dignitate distribuens non saltem in rebus humanis, sed in rebus diuinis ludos scaenicos poneret, cum utique, si tantummodo boni et honesti homines in ciuitate essent, nec in rebus humanis ludi scaenici esse debuissent. Quod profecto non auctoritate sua fecit, sed quoniam eos Romae natus et educatus in diuinis rebus inuenit. Et quoniam in fine primi libri, quae deinceps dicenda essent, breuiter posuimus et ex his quaedam in duobus consequentibus diximus, expectationi legentium quae restant reddenda cognoscimus.

1 his *codd.*; iis *v* 2 aduersus *L* Λ *C a d e p*; aduersum *b q v Domb.* iustum murmur *α* 6 uel quos *C* 7 athuc *L* Λ eos *sup. lin. C* spir. et mal. ac fal. *om.* C^1 9 fictis *L*; finctis Λ 11 damnauil. *L* Λ 12 praeuetur *L*; praebe//tur, re *eras.*, *C* 13 prouabimus *L* 17 relinquerunt *L* Λ^1 18 barro *L*; barbaro Λ^1 19 dispertito C^1 24 fecit *sup. lin. L* 25 romanae Λ natos et eductos *e* 26 brebiter C^1

CAPUT II.

De his, quae libro secundo et tertio continentur.

Promiseramus ergo quaedam nos esse dicturos aduersus eos, qui Romanae rei publicae clades in religionem nostram referunt, et commemoraturos quaecumque et quantacumque occurrere potuissent uel satis esse uiderentur mala, quae illa ciuitas pertulit uel ad eius imperium prouinciae pertinentes, antequam eorum sacrificia prohibita fuissent; quae omnia procul dubio nobis tribuerent, si iam uel illis clareret nostra religio uel ita eos a sacris sacrilegis prohiberet. Haec in secundo et tertio libro satis, quantum existimo, absoluimus, in secundo agentes de malis morum, quae mala uel sola uel maxima deputanda sunt, in tertio autem de his malis, quae stulti sola perpeti exhorrent, corporis uidelicet externarumque rerum, quae plerumque patiuntur et boni; illa uero mala non dico patienter, sed libenter habent, quibus ipsi fiunt mali. Et quam pauca dixi de sola ipsa ciuitate adque eius imperio! nec inde omnia usque ad Caesarem Augustum. Quid, si commemorare uoluissem et exaggerare illa mala, quae non sibi inuicem homines faciunt, sicut sunt uastationes euersionesque bellantum, sed ex ipsius mundi elementis terrenis accidunt rebus, quae uno loco Apuleius breuiter stringit in eo libello quem de mundo scripsit, terrena omnia dicens mutationes, conuersiones et interitus habere? Namque inmodicis tremoribus terrarum, ut uerbis eius utar, dissiluisse humum et interceptas

23 C. 34

9 tribuerint *C* declareret *e* 10 sacreligis C^1; sacrilegiis *L* Λ^1 13 malis *codd.; om. v* 14 exorrent *L* Λ 17 sola ipsa *L* Λ *C b p v;* sola illa *Domb.;* illa sola *q* 18 Quid *L* Λ *C* a^1 *b d e p q k* a^2 f^2 *v;* Quod a^2 a^1 f^1 *et sic Domb. mutata insequentium uerborum distinctione* 21 bellantum *L* Λ *Domb.;* bellantium *C b e p q v* 22 brebiter *C* perstringit b^2; astr. *q* libello *codd. praeter q;* libro *q v* 24 et //euersiones, *radendo ex* et conuers. *corr., a* conuersationes *d* et interitus *codd.;* atque inter. *v* *in a m. rec. superscriptum est* et ıfẽfioneſ et remiſſioneſ 25 et *ex* de *m. 2 corr. C*

urbes cum populis dicit; abruptis etiam imbribus prolutas totas esse regiones; illas etiam, quae prius fuerant continentes, hospitibus adque aduenis fluctibus insulatas aliasque desidia maris pedestri accessu peruias factas; uentis ac procellis euersas esse ciuitates; incendia de nubibus emicasse, quibus Orientis regiones conflagratae perierunt, et in Occidentis plagis scaturrigines quasdam ac proluuiones easdem strages dedisse; sic ex Aetnae uerticibus quondam effusis crateribus diuino incendio per decliuia torrentis uice flammarum flumina cucurrisse. Si haec adque huius modi, quae habet historia, unde possem, colligere uoluissem, quando finissem, quae illis temporibus euenerunt, antequam Christi nomen ulla istorum uana et uerae saluti perniciosa conprimeret. Promiseram etiam me demonstraturum, quos eorum mores et quam ob causam Deus uerus ad augendum imperium adiuuare dignatus est, in cuius potestate sunt regna omnia, quamque nihil eos adiuuerint hi, quos deos putant, et potius quantum decipiendo et fallendo nocuerint: unde nunc uideo mihi esse dicendum, et magis de incrementis imperii Romani. Nam de noxia fallacia daemonum, quos uelut deos colebant, quantum malorum inuexerit moribus eorum, in secundo maxime libro non pauca iam dicta sunt. Per omnes autem absolutos tres libros, ubi opportunum uisum est, commendauimus, etiam in ipsis bellicis malis quantum solaciorum Deus per Christi nomen, cui tantum honoris barbari detulerunt praeter bellorum morem, bonis malisque contulerit, quo modo qui facit solem suum oriri super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos.

14 p. 58, 12 26 Mt. 5, 45

1 populus C^1 abrutis Λ 2 re//giones, li *eras.*, *C* 7 scaturrigines *L* Λ *C* a^1 *b p* α *k* *f*; scaturig. a^2 *d e q v* prolubiones *L* Λ 8 ethnae *C e* 11 in illis *a* 12 ulla *L* Λ C^1 *a* b^2 *e p q k* *f*; nulla C^2 b^1 *d* α; illa *v* 14 ob *ante* quos *m. 2. sup. lin.*, *e* 16 adiuber. *L* Λ 17 hii *L* Λ 18 uideo mihi *L* Λ *transpositione m. 2 in L notata*; mihi uid. *C rell. v* 23 oportunum *C d e* commendauimus, *in margine:* al commemorauimus Λ 24 solacium e^1

CAPUT III.

An latitudo imperii, quae non nisi bellis adquiritur, in bonis siue sapientium habenda sit siue felicium.

Iam itaque uideamus, quale sit quod tantam latitudinem ac diuturnitatem imperii Romani illis dis audent tribuere, quos etiam per turpium ludorum obsequia et per turpium hominum ministeria se honeste coluisse contendunt. Quamquam uellem prius paululum inquirere, quae sit ratio, quae prudentia, cum hominum felicitatem non possis ostendere, semper in bellicis cladibus et in sanguine ciuili uel hostili, tamen humano cum tenebroso timore et cruenta cupiditate uersantium, ut uitrea laetitia conparetur fragiliter splendida, cui timeatur horribilius ne repente frangatur, de imperii latitudine ac magnitudine uelle gloriari. Hoc ut facilius diiudicetur, non uanescamus inani uentositate iactati adque obtundamus intentionis aciem altisonis uocabulis rerum, cum audimus populos regna prouincias; sed duos constituamus homines (nam singulus quisque homo, ut in sermone una littera, ita quasi elementum est ciuitatis et regni, quantalibet terrarum occupatione latissimi), quorum duorum hominum unum pauperem uel potius mediocrem, alium praediuitem cogitemus; sed diuitem timoribus anxium, maeroribus tabescentem, cupiditate flagrantem, numquam securum, semper inquietum, perpetuis inimicitiarum contentionibus anhelantem, augentem sane his miseriis patrimonium suum in inmensum modum adque illis augmentis curas quoque amarissimas aggerantem; mediocrem uero illum re familiari parua adque succincta sibi sufficientem, carissimum suis, cum cognatis uicinis amicis dulcissima pace gaudentem, pietate religiosum, benignum mente, sanum corpore, uita parcum, moribus castum, conscientia securum. Nescio utrum

2 altitudo *C* 3 in bono *p* 5 altitudinem L^1 9 uellem prius *L A;* pr. u. *C rell. v* 12 tremore *α* 14 magn. ac lat. *v* 15 uelle *om. a* 16 iactati adque] iactantiae neque *e* 21 paup. unum *v* 22 praeuitem C^1 25 hanelantem *L A;* anhellantē *C* 26 sum C^1 29 cum *om. e*

quisquam ita desipiat, ut audeat dubitare quem praeferat. Ut ergo in his duobus hominibus, ita in duabus familiis, ita in duobus populis, ita in duobus regnis regula sequitur aequitatis, qua uigilanter adhibita si nostra intentio corrigatur, facillime uidebimus ubi habitet uanitas et ubi felicitas. Quapropter si uerus Deus colatur eique sacris ueracibus et bonis moribus seruiatur, utile est ut boni longe lateque diu regnent; neque hoc tam ipsis quam illis utile est, quibus regnant. Nam quantum ad ipsos pertinet, pietas et probitas eorum, quae magna Dei dona sunt, sufficit eis ad ueram felicitatem, qua et ista uita bene agatur et postea percipiatur aeterna. In hac ergo terra regnum bonorum non tam illis praestatur quam rebus humanis; malorum uero regnum magis regnantibus nocet, qui suos animos uastant scelerum maiore licentia; his autem, qui eis seruiendo subduntur, non nocet nisi propria iniquitas. Nam iustis quidquid malorum ab iniquis dominis inrogatur, non est poena criminis, sed uirtutis examen. Proinde bonus etiamsi seruiat, liber est; malus autem etiamsi regnet, seruus est, nec unius hominis, sed, quod est grauius, tot dominorum quot uitiorum. De quibus uitiis cum ageret scriptura diuina: A quo enim quis, inquit, deuictus est, huic et seruus addictus est.

CAPUT IIII.

Quam similia sint latrociniis regna absque iustitia.

Remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus et ipsa

21 2. Petr. 2, 19

4 athib. *L* Λ 5 uideuimus *L* 6 uerus deus *L* Λ *v*; d. u. *C rell. Domb.* 9 prouitas *L* Λ 10 dei dona *L* Λ *C a b d e p q*; dona Dei *v Domb.* 11 qua/, *eras.* m, *L* 14 uastat *L* 16 propria iniq. *L* Λ; iniq. propr. *C rell. v* 18 liuer *L* 19 nec unius nec hominis *C d e* 20 grabius *L* Λ 22 inquid C^1 25 simillima *p* 26 iustitia. *correctoris ut uidetur manu adscriptum est in margine:* et pyrata alexandro respondenti *C* 27 et latr. *codd.*; et ipsa latr. *v*

hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis adstringitur, placiti lege praeda diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat sedes constituat, ciuitates occupet populos subiuget, euidentius regni nomen adsumit, quod ei iam in manifesto confert non demta cupiditas, sed addita inpunitas. Eleganter enim et ueraciter Alexandro illi Magno quidam conprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogaret, quid ei uideretur, ut mare haberet infestum, ille libera contumacia: Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum; sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro uocor; quia tu magna classe, imperator.

CAPUT V.

De fugitiuis gladiatoribus, quorum potentia similis fuerit regiae dignitati.

Proinde omitto quaerere quales Romulus congregauerit, quoniam multum eis consultum est, ut ex illa uita dato sibi consortio ciuitatis poenas debitas cogitare desisterent, quarum metus eos in maiora facinora propellebat, ut deinceps pacatiores essent rebus humanis. Hoc dico, quod ipsum Romanum imperium iam magnum multis gentibus subiugatis ceterisque terribile acerbe sensit, grauiter timuit, non paruo negotio deuitandae ingentis cladis obpressit, quando paucissimi gladiatores in Campania de ludo fugientes magnum exercitum conpararunt, tres duces habuerunt, Italiam latissime et crudelissime uastauerunt. Dicant, quis istos deus adiuuerit,

8 Cic. rep. III, 14

1 est *om. a* imperium *C* pietatis (soc) Λ 3 et loca, et *m. 2 in* ea *corr., e* 5 ei iam] etiam *d* 6 demta (dempta) *codd.;* adempta *v* 8 interrogaret *L* Λ *p;* interrogasset *C rell. v* 9 haberet infestum *L* Λ *a d e p.q α k f v;* infestare (t) *C*¹; infestare (v) haberet *C*²; infestaret *Domb.* 10 urbem *C*¹ ego *L;* ego id (id) Λ¹ *p;* ego// Λ²; id ego *C rell.* 11 exigo *C*¹ 15 dignitati *C p q;* dignitatis *v Domb.* 18 deuitas *L* Λ 22 acerue *L* Λ 23 debitandae *L* Λ oppressū *a*² *e* 24 exerc. magnum *v*

ut ex paruo et contemtibili latrocinio peruenirent ad regnum tantis iam Romanis uiribus arcibusque metuendum. An quia non diu fuerunt, ideo diuinitus negabuntur adiuti? Quasi uero ipsa cuiuslibet hominis uita diuturna est. Isto ergo pacto neminem di adiuuant ad regnandum, quoniam singuli quique cito moriuntur, nec beneficium deputandum est, quod exiguo tempore in unoquoque homine ac per hoc singillatim utique in omnibus uice uaporis euanescit. Quid enim interest eorum, qui sub Romulo deos coluerunt et olim sunt mortui, quod post eorum mortem Romanum tantum creuit imperium, cum illi aput inferos causas suas agant? utrum bonas an malas, ad rem praesentem non pertinet. Hoc autem de omnibus intellegendum est, qui per ipsum imperium (quamuis decedentibus succèdentibusque mortalibus in longa spatia protendatur) paucis diebus uitae suae cursim raptimque transierunt, actuum suorum sarcinas baiulantes. Sin uero etiam ipsa breuissimi temporis beneficia deorum adiutorio tribuenda sunt, non parum adiuti sunt illi gladiatores: seruilis condicionis uincla ruperunt, fugerunt, euaserunt, exercitum magnum et fortissimum collegerunt, oboedientes regum suorum consiliis et iussis multum Romanae celsitudini metuendi et aliquot Romanis imperatoribus insuperabiles multa ceperunt, potiti sunt uictoriis plurimis, usi uoluptatibus quibus uoluerunt, quod suggessit libido fecerunt, postremo donec uincerentur, quod difficillime factum est, sublimes regnantesque uixerunt. Sed ad maiora ueniamus.

2 artibusque C^2 3 diu *sup. lin.* 4 diuturnaţą Λ; diurna C^1 5 adiubant $L\,\Lambda$ 7 unoquoquo Λ 10 crebit L 16 uaiulantes $L\,\Lambda$ brebiss. $L\,C^1$ 18 gladiatores: seruilis *sic scripsi secundum* $L\,\Lambda\,C^1\,b^1\,p$ glad., qui seru. C^2 (qui *m. 2 in marg.*), *rell. v Domb.* 20 reg/um, *eras.* n, C 21 aliquod $C^1\,e$ 22 cǫeperunt C poṇtiti e 23 liuido $L\,\Lambda$ 24 est factum v 25 ad maiora ueniamus. Iustinus qui graecam uel *m. 2 in marg. inf.* C

CAPUT VI.

De cupiditate Nini regis, qui ut latius dominaretur primus intulit bella finitimis.

Iustinus, qui Graecam uel potius peregrinam Trogum Pompeium secutus non Latine tantum, sicut ille, uerum etiam breuiter scripsit historiam, opus librorum suorum sic incipit: 'Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Populi nullis legibus tenebantur [arbitria principum pro legibus erant]; fines imperii tueri magis quam proferre mos erat; intra suam cuique patriam regna finiebantur. Primus omnium Ninus rex Assyriorum ueterem et quasi auitum gentibus morem noua imperii cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis et rudes adhuc ad resistendum populos ad terminos usque Libyae perdomuit.' Et paulo post: 'Ninus, inquit, magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmauit. Domitis igitur proximis cum accessione uirium fortior ad alios transiret et proxima quaeque uictoria instrumentum sequentis esset, totius Orientis populos subegit'. Qualibet autem fide rerum uel iste uel Trogus scripserit (nam quaedam illos fuisse mentitos aliae fideliores litterae ostendunt), constat tamen et inter alios scriptores regnum Assyriorum a Nino rege fuisse longe lateque porrectum. Tam diu autem perseuerauit, ut Romanum nondum sit eius aetatis. Nam sicut scribunt, qui chronicam historiam persecuti sunt, mille ducentos et quadraginta annos ab anno primo, quo Ninus regnare coepit, permansit hoc regnum, donec transferretur ad Medos. Inferre autem bella finitimis et in cetera inde procedere ac populos

3 bellum *p* 10 [arbitria ... erant] *om. codd. praeter* q^1, *in quo m. rec. uerba uncis inclusa sunt* 11 finis *C* proferre, *in marg.* extendere, Λ 12 minus *et sic l. 16* C^1 13 abitum *L* Λ^1; abitum Λ^2 16 perdomuit. et paulo *m. 2 in marg.* Λ 19 et *sup. lin. L C* 26 duocentos *C* 29 inde in cetera *v*

sibi non molestos sola regni cupiditate conterere et subdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum est?

CAPUT VII.

An regna terrena inter profectus suos adque defectus deorum iuuentur uel deserantur auxilio.

Si nullo deorum adiutorio tam magnum hoc regnum et prolixum fuit, quare dis Romanis tribuitur Romanum regnum locis amplum temporibusque diuturnum? Quaecumque enim causa est illa, eadem est etiam ista. Si autem et illud deorum adiutorio tribuendum esse contendunt, quaero quorum. Non enim aliae gentes, quas Ninus domuit et subegit, alios tunc colebant deos. Aut si proprios habuerunt Assyrii, quasi peritiores fabros imperii construendi adque seruandi, numquidnam mortui sunt, quando et ipsi imperium perdiderunt, aut mercede non sibi reddita uel alia maiore promissa ad Medos transire maluerunt, adque inde rursus ad Persas Cyro inuitante et aliquid commodius pollicente? Quae gens non angustis Orientis finibus post Alexandri Macedonis regnum magnum locis, sed breuissimum tempore in suo regno adhuc usque perdurat. Hoc si ita est, aut infideles di sunt, qui suos deserunt et ad hostes transeunt (quod nec homo fecit Camillus, quando uictor et expugnator aduersissimae ciuitatis Romam, cui uicerat, sensit ingratam, quam tamen postea oblitus iniuriae, memor patriae, a Gallis iterum liberauit), aut non ita fortes sunt, ut deos esse fortes decet, qui possunt humanis uel consiliis uel uiribus uinci; aut si, cum inter se belligerant, non di ab hominibus, sed di ab aliis dis forte uincuntur, qui sunt quarumque proprii ciuitatum: habent ergo et ipsi inter se inimicitias,

2 latrocium C^1 4 profectos C 5 iuuentur Cp; uel iuuentur $q\,v$ 8 temporibusque, que *sup. lin.*, L diurnum C^1 9 et *sup. lin.* L; *om.* α 13 constituendi, *in marg.* čstruendi e 14 mercedeṇ C 15 prom. maiore v 17 agustis C^1; augustis e^1 Orientis *om.* α^1 18 brebiss. L 19 usque C 22 įnsensit C; senserit e 24 liuer. L 25 possint A^2 26 se *om.* C^1

quas pro sua quisque parte suscipiunt. Non itaque deos suos debuit colere ciuitas magis quam alios, a quibus adiuuarentur sui. Postremo quoquo modo se habeat deorum iste uel transitus uel fuga, uel migratio uel in pugna defectio, nondum illis temporibus adque in illis terrarum partibus Christi nomen fuerat praedicatum, quando illa regna per ingentes clades bellicas amissa adque translata sunt. Nam post mille ducentos et quod excurrit annos, quando regnum Assyriis ablatum est, si iam ibi Christiana religio aliud regnum praedicaret aeternum et deorum falsorum cultus sacrilegos inhiberet: quid aliud illius gentis uani homines dicerent, nisi regnum, quod tam diu conseruatum est, nulla alia causa nisi suis religionibus desertis et illa recepta perire potuisse? In qua uoce uanitatis, quae poterat esse, isti adtendant speculum suum, et similia conqueri, si ullus in eis pudor est, erubescant. Quamquam Romanum imperium adflictum est potius quam mutatum, quod et aliis ante Christi nomen temporibus ei contigit et ab illa est adflictione recreatum, quod nec istis temporibus desperandum est. Quis enim de hac re nouit uoluntatem Dei?

CAPUT VIII.

Quorum deorum praesidio putent Romani imperium suum auctum adque seruatum, cum singulis uix singularum rerum tuitionem committendam esse crediderint.

Deinde quaeramus, si placet, ex tanta deorum turba, quam Romani colebant, quem potissimum uel quos deos credant

1 utique *C, fortasse recte* 2 debuit *superscripto* ulla *a* 3 posttremo *L* Λ 4 migratio *L* Λ¹ *p q f v;* imigratio *C*¹; emigratio Λ² *C*² *a b d e α k Domb* 5 in *om. q* 6 pertingentes *C* clades bell. *L* Λ; bell. clades *C rell. v* 7 sq. Nam post (////ost *quattuor rescissis litteris L*) — si iam ibi *L* Λ *p;* Nam si post—iam ibi *C rell. v Domb.* 8 quot *C*² *e;* quod *m. 2 in* quatuor *corr. deleto sequente* excurrit *a* 11 gentis illius *v* bani *L* Λ 15 eruuesc. *L* 16 aflictum *L* Λ¹ 19 nobit *L* Λ 21 putant *p*

illud imperium dilatasse adque seruasse. Neque enim in hoc tam praeclaro opere et tantae plenissimo dignitatis audent aliquas partes deae Cluacinae tribuere aut Volupiae, quae a uoluptate appellata est, aut Lubentinae, cui nomen est a libidine, aut Vaticano, qui infantum uagitibus praesidet, aut Cuninae, quae cunas eorum administrat. Quando autem possunt uno loco libri huius commemorari omnia nomina deorum et dearum, quae illi grandibus uoluminibus uix conprehendere potuerunt singulis rebus propria dispertientes officia numinum? Nec agrorum munus uni alicui deo committendum arbitrati sunt, sed rura deae Rusinae, iuga montium deo Iugatino; collibus deam Collatinam, uallibus Valloniam praefecerunt. Nec saltem potuerunt unam Segetiam talem inuenire, cui semel segetes commendarent, sed sata frumenta, quamdiu sub terra essent, praepositam uoluerunt habere deam Seiam; cum uero iam essent super terram et segetem facerent, deam Segetiam; frumentis uero collectis adque reconditis, ut tuto seruarentur, deam Tutilinam praeposuerunt. Cui non sufficere uideretur illa Segetia, quamdiu seges ab initiis herbidis usque ad aristas aridas perueniret? Non tamen satis fuit hominibus deorum multitudinem amantibus, ut anima misera daemoniorum turbae prostitueretur, unius Dei ueri castum dedignata conplexum. Praefecerunt ergo Proserpinam frumentis germinantibus, geniculis nodisque culmorum deum Nodutum, inuolumentis folliculorum deam Volutinam; cum folliculi patescunt, ut spica exeat, deam Patelanam, cum segetes nouis aristis aequantur, quia ueteres aequare hostire dixerunt, deam Hosti-

2 et *om.* C^1 plenissimo, o *m. 2 in* ę *mutat.*, *C* 3 cluacinae $L\Lambda^1 C\,d$; clouac. *e*; Cloacinae $\Lambda^2\,a\,b\,p\,q\,v$ 4 luuentinae $L\Lambda$; lubent. $a\,b\,p^1$; ludentinae *C*; libentinae $d\,e\,p^2\,q\,v$ 5 uagitano *a* uatigibus C^1 8 et *codd.*; aut $q\,v$ grandi////b' *C* 10 nominum C^1 uni *om.* C^1 14 simul e^2 18 reseruar. *C* tullinam C^1; tutelinam *α*; tutilenam *q* 22 uerum *C* 24 nodutum $L\,\Lambda\,C^1\,b^1$ *Domb.*; nodotum $C^2\,b^2\,e\,v$; nudutum *d*; nodatum $a\,q$; noditium *p* (*cf. infra p. 156, 15. 161, 19*) 26 patelanam $L^2\,\Lambda\,C\,d\,p\,v$; patelinam $L^1\,a$; patelenam *e* nobis $L\,\Lambda$ 27 hostire—hostilinam *p*; ostire—ostil. $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,q\,k\,f$

linam; florentibus frumentis deam Floram, lactescentibus deum Lacturnum, maturescentibus deam Matutam; cum runcantur, id est a terra auferuntur, deam Runcinam. Nec omnia commemoro, quia me piget quod illos non pudet. Haec autem paucissima ideo dixi, ut intellegeretur nullo modo eos dicere audere ista numina imperium constituisse auxisse conseruasse Romanum, quae ita suis quaeque adhibebantur officiis, ut nihil uniuersum uni alicui crederetur. Quando ergo Segetia curaret imperium, cui curam gerere simul et segetibus et arboribus non licebat? Quando de armis Cunina cogitaret, cuius praepositura paruulorum cunas non permittebatur excedere? Quando Nodutus adiuuaret in bello, qui nec ad folliculum spicae, sed tantum ad nodum geniculi pertinebat? Unum quisque domui suae ponit ostiarium, et quia homo est, omnino sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus simul et cardinem limenque seruare.

CAPUT VIIII.

An imperii Romani amplitudo et diuturnitas Ioui fuerit adscribenda, quem summum deum cultores ipsius opinantur.

Omissa igitur ista turba minutorum deorum uel aliquantum intermissa officium maiorum deorum debemus inquirere, quo Roma tam magna facta est, ut tam diu tot gentibus imperaret. Nimirum ergo Iouis hoc opus est. Ipsum enim deorum omnium dearumque regem uolunt: hoc eius indicat sceptrum, hoc in alto colle Capitolium. De isto deo quamuis a poeta dictum conuenientissime praedicant:

Iouis omnia plena.

29 Verg. Ecl. 3, 60

7 athib. *L Λ* 10 praepoſituſa *C* 12 nodotus *L Λ a b d e p q;* nodus *C* 13 unus *C a*^{2} *b*^{2} *e* domui *L Λ a b*^{2} *e p q v;* domi *C b*^{1} *d Domb.* 15 cardeam *L Λ C a b*^{2} *d e p q v;* carneam *b*^{1} *k*^{1} *f* 25 iobis *L Λ* 26 regem *codd.;* regem esse *v* eius] enim *q*

Hunc Varro credit etiam ab his coli, qui unum Deum solum sine simulacro colunt, sed alio nomine nuncupari. Quod si ita est, quur tam male tractatus est Romae, sicut quidem et in ceteris gentibus, ut ei fieret simulacrum? Quod ipsi etiam Varroni ita displicet, ut, cum tantae ciuitatis peruersa consuetudine premeretur, nequaquam tamen dicere et scribere dubitaret, quod hi, qui populis instituerunt simulacra, et metum demserunt et errorem addiderunt.

CAPUT X.

Quas opiniones secuti sint, qui diuersos deos diuersis mundi partibus praefecerunt.

Quur illi etiam Iuno uxor adiungitur, quae dicatur 'soror et coniux'? Quia Iouem, inquiunt, in aethere accipimus, in aere Iunonem, et haec duo elementa coniuncta sunt, alterum superius, alterum inferius. Non est ergo ille, de quo dictum est 'Iouis omnia plena', si aliquam partem inplet et Iuno. An uterque utrumque inplet, et ambo isti coniuges et in duobus istis elementis et in singulis simul sunt? Quur ergo aether datur Ioui, aer Iunoni? Postremo ipsi duo satis essent: quid est quod mare Neptuno tribuitur, terra Plutoni? Et ne ipsi quoque sine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proserpina. Nam sicut inferiorem caeli partem, id est aerem, inquiunt, Iuno tenet, ita inferiorem maris Salacia et terrae inferiorem Proserpina. Quaerunt quem ad modum sarciant fabulas, nec inueniunt. Si enim haec ita essent, tria potius elementa mundi esse, non quattuor, eorum ueteres proderent, ut singula deorum coniugia diuiderentur singulis

12 Aen. I, 46

1 barro $L\Lambda$ 5 ba ꝛoni $L\Lambda^2$; barbaro Λ^1 6 praemer. L^1C^1 et *om.* C^1 8 et terrorem C 12 illi etiam *codd. v*; etiam illi *Domb.* uno C^1 dicatur *codd.*; dicitur *v* 13 inquit C^1 aere C^1 14 aethere C^1 et haec] et per ꝛ̊ haec *e* 17 inplet, n *m. 2*, C 19 iobi $L\Lambda$ postremū e^1 ipsi, *superscripto* si, C 21 ipsi *om. e* 24 inferiorem *om.* C^1 25 sarciṅant Λ; saciant *e* 27 in sing. $L\Lambda$

elementis. Nunc uero omni modo adfirmauerunt aliud esse aetherem, aliud aerem. Aqua uero siue superior siue inferior utique aqua est; puta quia dissimilis: numquid in tantum ut aqua non sit? Et inferior terra quid aliud potest esse quam terra quantalibet diuersitate distincta? Deinde ecce iam totus in his quattuor uel tribus elementis corporeus conpletus est mundus: Minerua ubi erit? quid tenebit? quid inplebit? Simul enim cum his in Capitolio constituta est, cum ista filia non sit amborum. Aut si aetheris partem superiorem Mineruam tenere dicunt et hac occasione fingere poetas quod de Iouis capite nata sit: quur non ergo ipsa potius deorum regina deputatur, quod sit Ioue superior? An quia indignum erat praeponere patri filiam? Quur non de Ioue ipso erga Saturnum iustitia ista seruata est? An quia uictus est? Ergo pugnarunt? Absit, inquiunt; fabularum est ista garrulitas. Ecce fabulis non credatur et de dis meliora sentiantur: quur ergo non data est patri Iouis, etsi non sublimior, aequalis certe sedes honoris? Quia Saturnus, inquiunt, temporis longitudo est. Tempus ergo colunt, qui Saturnum colunt, et rex deorum Iuppiter insinuatur natus ex tempore. Quid enim indignum dicitur, cum Iuppiter et Iuno nati dicuntur ex tempore, si caelum est ille et illa terra, cum facta sint utique caelum et terra? nam hoc quoque in libris suis habent eorum docti adque sapientes. Neque de figmentis poeticis, sed de philosophorum libris a Vergilio dictum est:

> Tum pater omnipotens fecundis imbribus aether
> Coniugis in gremium laetae descendit,

26 Georg. II, 325 sq.

5 distincta/, m *eras.*, *C* 6 inpletus *C* 7 minerba Λ (*in L litterae* erba *rescissae sunt*) quid implebit *in marg.* Λ impleuit *L* 10 minerbam *L* Λ 11 na^{ta} *C* 16 et de diis meliora sentiantur *corr. m. in marg. C* sent. meliora *v* sentiatur L^1 17 etsi] si *om.* C^1 a^1 19 ergo L^1 *p;* igitur L^2 *C rell. v;* igitur ergo Λ qui Sat. colunt *om.* b^1 27 gremium laetae *L* Λ *a b e p q α k f v;* grem. late *d;* laetae grem. *C Domb.*

id est in gremium telluris aut terrae; quia et hic aliquas differentias uolunt esse adque in ipsa terra aliud Terram, aliud Tellurem, aliud Tellumonem putant, et hos omnes deos habent suis nominibus appellatos, suis officiis distinctos, suis aris sacrisque ueneratos. Eandem terram etiam matrem deum uocant, ut iam poetae tolerabiliora confingant, si secundum istorum non poeticos, sed sacrorum libros non solum Iuno, 'soror et coniux', sed etiam mater est Iouis. Eandem terram Cererem, eandem etiam Vestam uolunt, cum tamen saepius Vestam non nisi ignem esse perhibeant pertinentem ad focos, sine quibus ciuitas esse non potest, et ideo illi uirgines solere seruire, quod sicut ex uirgine, ita nihil ex igne nascatur. Quam totam uanitatem aboleri et extingui utique ab illo oportuit, qui est natus ex uirgine. Quis enim ferat, quod, cum tantum honoris et quasi castitatis igni tribuerint, aliquando Vestam non erubescunt etiam Venerem dicere, ut uanescat in ancillis eius honorata uirginitas? Si enim Vesta Venus est, quo modo ei rite uirgines a Veneriis operibus abstinendo seruierunt? An Veneres duae sunt, una uirgo, altera mulier? An potius tres, una uirginum, quae etiam Vesta est, alia coniugatarum, alia meretricum? Cui etiam Phoenices donum dabant de prostitutione filiarum, antequam eas iungerent uiris. Quae illarum est matrona Vulcani? Non utique uirgo, quoniam habet maritum. Absit autem ut meretrix, ne filio Iunonis et cooperario Mineruae facere uideamur iniuriam. Ergo haec ad coniugatas intellegitur pertinere: sed eam nolumus imitentur in eo quod fecit illa cum Marte. Rursus, inquiunt, ad fabulas redis. Quae ista iustitia est, nobis suscen-

2 terra aliud terra $L\,\Lambda\,C$ 4 suis officiis distinctos, suis nominibus appellatos C 5 matrem etiam q deum $L\,\Lambda\,C\,d\,p^1\,q$; deorum $a\,b\,e\,p^2\,v$ 6 tolerauil. $L\,\Lambda$ configant L^1 8 coniunx $C\,a^2\,e$ 9 cū m. 2 *ex* qua *corr.* C 13 aboleri uanit. v 15 tribuerent C 18 esset q quo rite ei, *omisso* modo, q ueneriis $\Lambda^2\,C\,a\,b\,d\,e$; ueneris $L\,\Lambda^1\,p\,q$; Venereis v 22 iung. eas v 24 autem,eretrix C 27 imitari, ari m. 2 *in ras.* C

sere, quod talia dicimus de dis eorum, et sibi non suscensere, qui haec in theatris libentissime spectant crimina deorum suorum? Et (quod esset incredibile, nisi contestatissime probaretur) haec ipsa theatrica crimina deorum in honorem instituta sunt eorundem deorum.

CAPUT XI.

De multis dis, quos doctiores paganorum unum eundemque Iouem esse defendunt.

Quotlibet igitur physicis rationibus et disputationibus adserant: modo sit Iuppiter corporei huius mundi animus, qui uniuersam istam molem ex quattuor uel quot eis placet elementis constructam adque conpactam inplet et mouet, modo inde suas partes sorori et fratribus cedat; modo sit aether, ut aerem Iunonem subterfusam desuper amplectatur; modo totum simul cum aere sit ipse caelum, terram uero tamquam coniugem eandemque matrem (quia hoc in diuinis turpe non est) fecundis imbribus et seminibus fetet; modo autem (ne sit necesse per cuncta discurrere) deus unus, de quo multi a poeta nobilissimo dictum putant:

> deum namque ire per omnes
> Terrasque tractusque maris caelumque profundum;

ipse in aethere sit Iuppiter, ipse in aere Iuno, ipse in mari Neptunus, in inferioribus etiam maris ipse Salacia, in terra Pluto, in terra inferiore Proserpina, in focis domesticis Vesta, in fabrorum fornace Vulcanus, in sideribus sol et luna et stellae, in diuinantibus Apollo, in merce Mercurius, in Iano initiator, in Termino terminator, Saturnus in tempore, Mars

21 Verg. Georg. IIII, 221 sq.

2 expectant *e* 3 increduile *L Λ* constantissime *L Λ*^{1} *C*^{2} prouar. *L Λ* 4 deorum *codd.;* d. suorum *v* in honorem . . . deorum *in marg. e* 7 doctiores *C;* doctores *p q v* 9 quotlibet *L;* quodlibet *Λ C a*^{1} *d e p q a k f Domb.;* Quotquot libet *a*^{2} *v* 11 quod *Λ*^{1} *C d e* 14 supterfusam *C;* superfusam *L Λ*^{1} 17 secundis *e* 19 a *sup. lin. L* 22 *alterum* ipse *om. C*^{1} 24 inferior/e, f *ut uidetur eras., C;* inferiori *e*

et Bellona in bellis, Liber in uineis, Ceres in frumentis, Diana in siluis, Minerua in ingeniis; ipse sit postremo etiam in illa turba quasi plebeiorum deorum; ipse praesit nomine Liberi uirorum seminibus et nomine Liberae feminarum, ipse sit Diespater, qui partum perducat ad diem; ipse sit dea Mena, quam praefecerunt menstruis feminarum, ipse Lucina, quae a parturientibus inuocetur; ipse opem ferat nascentibus excipiendo eos sinu terrae et uocetur Opis, ipse in uagitu os aperiat et uocetur deus Vaticanus; ipse leuet de terra et uocetur dea Leuana, ipse cunas tueatur et uocetur Cunina; non sit alius, sed ipse in illis deabus, quae fata nascentibus canunt et uocantur Carmentes; praesit fortuitis uoceturque Fortuna; in diua Rumina mammam paruulo inmulgeat, quia rumam dixerunt ueteres mammam; in diua Potina potionem ministret, in diua Educa escam praebeat; de pauore infantum Pauentia nuncupetur, de spe, quae uenit, Venilia, de uoluptate Volupia, de actu Agenoria; de stimulis, quibus ad nimium actum homo inpellitur, dea Stimula nominetur; Strenia dea sit strenuum faciendo, Numeria, quae numerare doceat, Camena, quae canere; ipse sit et deus Consus praebendo consilia et dea Sentia sententias inspirando; ipse dea Iuuentas, quae post praetextam excipiat iuuenalis aetatis exordia; ipse sit et Fortuna barbata, quae adultos barba induat (quos honorare noluerunt, ut hoc qualecumque numen saltem masculum deum uel a barba Barbatum, sicut a nodis Nodutum, uel certe non Fortunam, sed quia barbas habet Fortunium nominarent);

1 liuer *L* Λ *et sic l.* 4 2 minerba *L* Λ in *ante* ingeniis *om.* C^1 3 pleueiorum *L* Λ 4 Liberi ... nomine *om. e* 5 diefpater, ef *ex* if *corr., C;* diis pater b^1 *d;* dispater *L* Λ b^2 *e;* dispīt a^1; diespiter a^2 *p q* α *v* 7 parientibus *C* 10 dea aleuana *L* A^1 leuana, leua *in ras. m. 2, C* Cunina *L* Λ *a b d p;* dea Cun. *C e q v Domb.* 11 in deab. illis *v* 13 rummina *C* 15 in diua edulii qđ escā *e* duca C^1 aefcā C^1; aefcaf C^2 praebebat *C* 19 strenum L^1 20 praeuendo *L* Λ 2. sententia *L*, sententiam A iubentas *L* Λ; iuuenta *a* 22 iuuenalis *codd.;* iuuenilis *v* ex/ordia, h *eras., C* 25 uarbatum *L* nodotum *L* Λ *C a b d e p;* nodatum *q*

ipse in Iugatino deo coniuges iungat, et cum uirgini uxori zona soluitur, ipse inuocetur et dea Virginensis uocetur; ipse sit Mutunus uel Tutunus, qui est aput Graecos Priapus: si non pudet, haec omnia quae dixi et quaecumque non dixi (non enim omnia dicenda arbitratus sum), hi omnes di deaeque sit unus Iuppiter, siue sint, ut quidam uolunt, omnia ista partes eius siue uirtutes eius, sicut eis uidetur, quibus eum placet esse mundi animum, quae sententia uelut magnorum multumque doctorum est. Haec si ita sunt (quod quale sit, nondum interim quaero), quid perderent, si unum Deum colerent prudentiore conpendio? Quid enim eius contemneretur, cum ipse coleretur? Si autem metuendum fuit, ne praetermissae siue neglectae partes eius irascerentur: non ergo, ut uolunt, uelut unius animantis haec tota uita est, quae omnes continet deos, quasi suas uirtutes uel membra uel partes; sed suam quaeque pars habet uitam a ceteris separatam, si praeter alteram irasci altera potest, et alia placari, alia concitari. Si autem dicitur omnes simul, id est totum ipsum Iouem, potuisse offendi, si partes eius non etiam singillatim minutatimque colerentur, stulte dicitur. Nulla quippe illarum praetermitteretur, cum ipse unus, qui haberet omnia, coleretur. Nam ut alia omittam, quae sunt innumerabilia, cum dicunt omnia sidera partes Iouis esse et omnia uiuere adque rationales animas habere, et ideo sine controuersia deos esse, non uident quam multos non colant, quam multis aedes non construant, aras non statuant, quas tamen paucissimis siderum statuendas esse putauerunt et singillatim sacrificandum. Si igitur irascuntur, qui non singillatim coluntur, non metuunt paucis placatis toto caelo irato uiuere? Si autem stellas omnes ideo colunt, quia in Ioue sunt quem colunt, isto conpendio possent in

2 uirginensis *L* Λ *p α;* uirginiensis *C rell. v Domb.* 4 pudeat Λ 6 siue *in marg. e* 8 sentia C^1 9 multorumque b^2 sunt *L* Λ *C b d e p q;* sint *a v Domb.* 16 sua/, m *eras., C* 20 illarum *codd.;* earum *v* 21 habet *C v* 23 esse,t *L* 23. 29. uibere *L* Λ 28 paucis *m. 1 sup. lin. L*

illo uno omnibus supplicare (sic enim nemo irasceretur, cum in illo uno nemo contemneretur) potius quam cultis quibusdam iusta irascendi causa illis, qui praetermissi essent, multo numerosioribus praeberetur, praesertim cum eis de superna sede fulgentibus turpi nuditate distentus praeponeretur Priapus.

CAPUT XII.

De opinione eorum, qui Deum animam mundi et mundum corpus Dei esse putauerunt.

Quid? illud nonne debet mouere acutos homines uel qualescumque homines (non enim ad hoc ingenii opus est excellentia), ut deposito studio contentionis adtendant, si mundi animus Deus est eique animo mundus ut corpus est, ut sit unum animal constans ex animo et corpore, adque iste Deus est sinu quodam naturae in se ipso continens omnia, ut ex ipsius anima, qua uiuificatur tota ista moles, uitae adque animae cunctorum uiuentium pro cuiusque nascendi sorte sumantur, nihil omnino remanere, quod non sit pars Dei. Quod si ita est, quis non uideat quanta inpietas et inreligiositas consequatur, ut, quod calcauerit quisque, partem Dei calcet, et in omni animante occidendo pars Dei trucidetur? Nolo omnia dicere, quae possunt occurrere cogitantibus, dici autem sine uerecundia non possunt.

CAPUT XIII.

De his, qui sola rationalia animantia partes esse unius Dei adserunt.

Si autem sola animalia rationalia, sicut sunt homines, partes Dei esse contendunt: non uideo quidem, si totus mundus Deus est, quo modo bestias ab eius partibus separent; sed

2 *post* uno *uett. editt. et Domb.*[1] *inserunt inuitis libris mss.* omnibus supplicaretur 4 qum *L* Λ 6 et priapus Λ^2 *e* 9 esse dei *p* putau. *om. p* 16 uibific. *L* 17 uibent. *L* nascendi *codd. excepto q;* nascentis *q v* 25 esse unius dei esse adserunt *C* 27 rationabilia *e* 29 deus est *L* Λ; e. d. *C rell. v*

obluctari quid opus est? De ipso rationali animante, id est homine, quid infelicius credi potest, quam Dei partem uapulare, cum puer uapulat? Iam uero partes Dei fieri lasciuas, iniquas, inpias adque omnino damnabiles quis ferre possit, nisi qui prorsus insanit? Postremo quid irascitur eis, a quibus non colitur, cum a suis partibus non colatur? Restat ergo ut dicant omnes deos suas habere uitas, sibi quemque uiuere, nullum eorum esse partem cuiusquam, sed omnes colendos qui cognosci et coli possunt, quia tam multi sunt, ut omnes non possint. Quorum Iuppiter quia rex praesidet, ipsum credo ab eis putari regnum constituisse uel auxisse Romanum. Nam si hoc ipse non fecit, quem alium deum opus tam magnum potuisse adgredi credant, cum omnes occupati sint officiis et operibus propriis, nec alter inruat in alterius? A rege igitur deorum regnum hominum potuit propagari et augeri.

CAPUT XIIII.

Augmenta regnorum Ioui incongruenter adscribi, cum, si Victoria ut uolunt dea est, ipsa huic negotio sola sufficeret.

Hic primum quaero, quur non etiam ipsum regnum aliquis deus est? Quur enim non ita sit, si Victoria dea est? Aut quid ipso Ioue in hac causa opus est, si Victoria faueat sitque propitia et semper eat ad illos, quos uult esse uictores? Hac dea fauente et propitia, etiam Ioue uacante uel aliud agente, quae gentes non subditae remanerent? quae regna non cederent? An forte displicet bonis iniquissima inprobitate pugnare et finitimos quietos nullamque iniuriam facientes ad

3 lascibas $L\Lambda$ 7 uibere L 11 romanorum Λ^1 13 dum *e* occupati sint] *inter haec uerba, quibus in L desinit fol. 92 p. v., et uerba* qui maiori, *quibus incipit fol. 93 (p. 192, 27) intercidisse quaternionem* XVI. *in praefatione monui* 17 inconuenienter *p* 18 si ut uolunt dea ē uictoria *p* 20 deus aliquis *v* 24 uel propitia Λ 26 inprouitate Λ

dilatandum regnum bello spontaneo prouocare? Plane si ita sentiunt adprobo et laudo.

CAPUT XV.

An congruat bonis latius uelle regnare.

Videant ergo ne forte non pertineat ad uiros bonos gaudere de regni latitudine. Iniquitas enim eorum, cum quibus iusta bella gesta sunt, regnum adiuuit ut cresceret, quod utique paruum esset, si quies et iustitia finitimorum contra se bellum geri nulla prouocaret iniuria ac sic felicioribus rebus humanis omnia regna parua essent concordi uicinitate laetantia et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus plurimae ciuium. Proinde belligerare et perdomitis gentibus dilatare regnum malis uidetur felicitas, bonis necessitas. Sed quia peius esset, ut iniuriosi iustioribus dominarentur, ideo non incongrue dicitur etiam ista felicitas. Sed procul dubio felicitas maior est uicinum bonum habere concordem quam uicinum malum subiugare bellantem. Mala uota sunt optare habere quem oderis uel quem timeas, ut possit esse quem uincas. Si ergo iusta gerendo bella, non inpia, non iniqua, Romani imperium tam magnum adquirere potuerunt, numquid tamquam aliqua dea colenda est eis etiam iniquitas aliena? Multum enim ad istam latitudinem imperii eam cooperatam uidemus, quae faciebat iniuriosos, ut essent cum quibus iusta bella gererentur et augeretur imperium. Quur autem et iniquitas dea non sit uel externarum gentium, si Pauor et Pallor et Febris di Romani esse meruerunt? His igitur duabus, id est aliena iniquitate et dea Victoria, dum bellorum causas iniquitas excitat, Victoria eadem bella feliciter terminat, etiam feriato Ioue creuit imperium. Quas enim hic partes Iuppiter haberet, cum ea, quae possent beneficia eius putari, di habentur, di uocantur, di coluntur, ipsi pro suis

9 rebus *om.* Λ 18 possit esse *v et codd. praeter C;* possis habere *C*

partibus inuocantur? Haberet hic autem etiam ille aliquam partem, si Regnum etiam ipse appellaretur, sicut appellatur illa Victoria. Aut si regnum munus est Iouis, quur non et uictoria munus eius habeatur? Quod profecto haberetur, si non lapis in Capitolio, sed uerus rex regum et dominus dominantium cognosceretur adque coleretur.

CAPUT XVI.

Quid fuerit quod Romani omnibus rebus et omnibus motibus deos singulos deputantes aedem Quietis extra portas esse uoluerunt.

Miror autem plurimum, quod, cum deos singulos singulis rebus et paene singulis motibus adtribuerent, uocauerunt deam Agenoriam, quae ad agendum excitaret, deam Stimulam, quae ad agendum ultra modum stimularet, deam Murciam, quae praeter modum non moueret ac faceret hominem, ut ait Pomponius, murcidum, id est nimis desidiosum et inactuosum, deam Streniam, quae faceret strenuum, his omnibus dis et deabus publica sacra facere susceperunt, Quietem uero appellantes, quae faceret quietum, cum aedem haberet extra portam Collinam, publice illam suscipere noluerunt. Utrum indicium fuit animi inquieti, an potius ita significatum est, qui illam turbam colere perseueraret non plane deorum, sed daemoniorum, eum quietem habere non posse? ad quam uocat uerus medicus dicens: Discite a me, quoniam mitis sum et humilis corde, et inuenietis requiem animabus uestris.

5 Apoc. 19, 16 24 Mt. 11, 29

1 haberet hic autem etiam ille *C rell. praeter Λ;* haberet etiam ille hic Λ; Hab. autem hic etiam ille *v* 9 depotantes *C* 13 exercitaret *C* 18 publica autem *C* 21 /quieti, ī *eraso, a* an potius] etiam potius *C* 23 ad quem Λ 24 accedite ad me, *in marg. m. 1:* discite a me, *e* quia *a q v*

CAPUT XVII.

An, si Iouis summa potestas est, etiam Victoria dea debuerit aestimari.

An forte dicunt, quod deam Victoriam Iuppiter mittat adque illa tamquam regi deorum obtemperans ad quos iusserit ueniat et in eorum parte considat? Hoc uere dicitur non de illo Ioue, quem deorum regem pro sua opinione confingunt, sed de illo uero rege saeculorum, quod mittat non Victoriam, quae nulla substantia est, sed angelum suum et faciat uincere quem uoluerit; cuius consilium occultum esse potest, iniquum non potest. Nam si uictoria dea est, quur non deus est et triumphus, et uictoriae iungitur uel maritus uel frater uel filius? Talia quippe isti de dis opinati sunt, qualia si poetae fingerent adque a nobis exagitarentur, responderent isti ridenda esse figmenta poetarum, non ueris adtribuenda numinibus; et tamen se ipsi non ridebant, cum talia deliramenta non aput poetas legebant, sed in templis colebant. Iouem igitur de omnibus rogarent, ei uni tantummodo supplicarent. Non enim, quo misisset Victoriam, si dea est et sub illo rege est, posset ei audere resistere et suam potius facere uoluntatem.

CAPUT XVIII.

Felicitatem et Fortunam qui deas putant, qua ratione secernunt.

Quid, quod et Felicitas dea est? Aedem accepit, aram meruit, sacra congrua persoluta sunt. Ipsa ergo sola coleretur. Ubi enim ipsa esset, quid boni non esset? Sed quid sibi uult,

3 aestimari *C q v;* existimari *Domb.;* dea extimari debuit *p* 6 partem *C* consedat C^2 8 uero *om. C* 10 iniquum esse Λ 11 deus est] est *om.* α^1 12 iungatur α 14 exagirarentur a^1, exaggerarentur a^2 15 adtribuendam *C* 16 ipsos e^2 uidebant Λ *C e* deleramenta Λ^1 18 ei] et Λ 19 quo misisset] cū misisset *e;* cōmisisset, *in marg.* ł q misissēt, *a* est et] eet *a* 20 possit *C* 25 et quod Λ 26 congrua Λ *C a* b^1 *d p* α^1 k^1 *f Domb.;* ei congr. b^2 *e q v*

quod et Fortuna dea putatur et colitur? An aliud est felicitas, aliud fortuna? Quia fortuna potest esse et mala; felicitas autem si mala fuerit, felicitas non erit. Certe omnes deos utriusque sexus (si et sexum habent) non nisi bonos existimare debemus. Hoc Plato dicit, hoc alii philosophi, hoc excellentes rei .publicae populorumque rectores. Quo modo ergo dea Fortuna aliquando bona est, aliquando mala? An forte quando mala est, dea non est, sed in malignum daemonem repente conuertitur? Quot sunt ergo deae istae? Profecto quotquot homines fortunati, hoc est bonae fortunae. Nam cum sint et alii plurimi simul, hoc est uno tempore, malae fortunae, numquid, si ipsa esset, simul et bona esset et mala; his aliud, illis aliud? An illa, quae dea est, semper est bona? Ipsa est ergo Felicitas: quur adhibentur diuersa nomina? Sed hoc ferendum est; solet enim et una res duobus nominibus appellari. Quid diuersae aedes, diuersae arae, diuersa sacra? Est causa, inquiunt, quia felicitas illa est, quam boni habent praecedentibus meritis; fortuna uero, quae dicitur bona, sine ullo examine meritorum fortuito accidit hominibus et bonis et malis, unde etiam Fortuna nominatur. Quo modo ergo bona est, quae sine ullo iudicio uenit et ad bonos et ad malos? Ut quid autem colitur, quae ita caeca est passim in quoslibet incurrens, ut suos cultores plerumque praetereat et suis contemtoribus haereat? Aut si aliquid proficiunt cultores eius, ut ab illa uideantur et amentur, iam merita sequitur, non fortuito uenit. Ubi est definitio illa Fortunae? Ubi est

3 erit] est Λ certe enim *k* 8 in *om.* Λ^1 9 quod Λ^1 C^1 10 quotquod C^1; quodquot Λ 12 et bona esset et mala Λ *a d e p Domb.*; et mala esset et bona *C v* 13 his aliud et his *C* bona est *v* 14 diuersa Λ *C d e p q α k f Domb.*; duo *v* *utraque lectio exstat in codd. a b, qui post* diuersa nomina *habent:* ipsa est ergo felicitas. cur duo nomina numina *d* sed et hoc b^2 *e*; se det hoc *α* 16 diuersa simulacra, *m. 2 in marg.* diuersa sacra, *C* 17 et causa *d* 19 fortuj.o, *ex* fortuno *ut uidetur corr.*, Λ; fortuitu *d v* accedit Λ C^1 21 et malos *α* 24 et si *e* 26 fortuito Λ *C a d e α* k^1; fortuitu *b p q* k^2 *f v* ubi . . . fortunae *om.* C^1 est def. *codd.*; est ergo def. *v*

quod a fortuitis etiam nomen accepit? Nihil enim prodest eam colere, si fortuna est. Si autem suos cultores discernit, ut prosit, fortuna non est. An et ipsam, quo uoluerit, Iuppiter mittit? Colatur ergo ipse solus; non enim potest ei iubenti et eam quo uoluerit mittenti Fortuna resistere. Aut certe istam mali colant, qui nolunt habere merita, quibus dea possit Felicitas inuitari.

CAPUT XVIIII.

De Fortuna muliebri.

Tantum sane huic uelut numini tribuunt, quam Fortunam uocant, ut simulacrum eius, quod a matronis dedicatum est et appellata est Fortuna muliebris, etiam locutum esse memoriae commendauerint adque dixisse non semel, sed iterum, quod eam rite matronae dedicauerint. Quod quidem si uerum sit, mirari nos non oportet. Non enim malignis daemonibus etiam sic difficile est fallere, quorum artes adque uersutias hinc potius isti aduertere debuerunt, quod illa dea locuta est, quae fortuito accidit, non quae meritis uenit. Fuit enim Fortuna loquax et muta Felicitas, ut quid aliud, nisi ut homines recte uiuere non curarent conciliata sibi Fortuna, quae illos sine ullis bonis meritis faceret fortunatos? Et certe si Fortuna loquitur, non saltem muliebris, sed uirilis potius loqueretur, ut non ipsae, quae simulacrum dedicauerunt, putarentur tantum miraculum muliebri loquacitate finxisse.

CAPUT XX.

De Virtute et Fide, quas pagani templis et sacris honorauerunt praetermittentes alia bona, quae similiter colenda fuerint, si recte aliis diuinitas tribuebatur.

Virtutem quoque deam fecerunt; quae quidem si dea esset, multis fuerat praeferenda. Et nunc quia dea non est, sed

6 ma,colant Λ dea possit *codd.*; p. d. *v* 10 nomini Λ^1 C^1 12 mulieris Λ^1 18 fortuitu *b q v* accedit Λ C^1 21 meritis bonis Λ 23 ut] et *e* dedicauerint Λ 24 fincxisse Λ 27 alia enim bona *C* 28 fuerint *C*; fuerunt *p q v* aliis *C p q v*; illis *Domb. ex coni. Dübneri* trubuebatur *C*

donum Dei est, ipsa ab illo inpetretur, a quo solo dari potest, et omnis falsorum deorum turba uanescet. Sed quur et Fides dea credita est et accepit etiam ipsa templum et altare? Quam quisquis prudenter agnoscit, habitaculum illi se ipsum facit. Unde autem sciunt illi quid sit fides, cuius primum et maximum officium est, ut in uerum credatur Deum? Sed quur non suffecerat et Virtus? Nonne ibi est et Fides? Quando quidem uirtutem in quattuor species distribuendam esse uiderunt, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam; et quoniam et istae singulae species suas habent, in partibus iustitiae fides est maximumque locum aput nos habet, quicumque scimus quid sit, quod iustus ex fide uiuit. Sed illos miror adpetitores multitudinis deorum, si fides dea est, quare aliis tam multis deabus iniuriam fecerint praetermittendo eas, quibus similiter aedes et aras dedicare potuerunt? Quur temperantia dea esse non meruit, cum eius nomine nonnulli Romani principes non paruam gloriam conpararint? Quur denique fortitudo dea non est, quae adfuit Mucio. cum dexteram porrexit in flammas; quae adfuit Curtio, cum se pro patria in abruptam terram praecipitem dedit; quae adfuit Decio patri et Decio filio, cum pro exercitu se uouerunt? si tamen his omnibus uera inerat fortitudo, unde modo non agitur. Quare prudentia, quare sapientia nulla numinum loca meruerunt? An quia in nomine generali ipsius uirtutis omnes coluntur? Sic ergo posset et unus Deus coli, cuius partes ceteri di putantur. Sed in illa una uirtute et fides est et pudicitia, quae tamen extra in aedibus propriis altaria meruerunt.

12 Abac. 2, 4

2 uanescet $C\,b^1\,p\,k^1\,f^2\,v$; uanescat $b^2\,e\,q\,\alpha^2\,k^2$; uanescit $\Lambda\,a\,\alpha^1\,f^1$ 7 et uirtus Λ; et *om.* C *rell.* v 9 et *om.* $\Lambda^1\,b$ 10 et istae $\Lambda\,C\,a^1\,p\,q\,\alpha\,k$; et *om.* $a^2\,e\,f\,v$ habent ... fides *om.* Λ^1 12 quid sit *om.* C^1 quod *om.* a^1 16 cum eius] cuius α 19 Curtio *om.* e 22 inherat C^1 25 possit $\Lambda^1\,\alpha$ ceteri deput. $\Lambda^1\,C^1\,\alpha^1$ 26 et *ante* fides *om.* Λ

CAPUT XXI.

Quod unum non intellegentes Deum Virtute saltem et Felicitate debuerint esse contenti.

Has deas non ueritas, sed uanitas facit; haec enim ueri Dei munera sunt, non ipsae sunt deae. Verum tamen ubi est uirtus et felicitas, quid aliud quaeritur? Quid ei sufficit, cui uirtus felicitasque non sufficit? Omnia quippe agenda conplectitur uirtus, omnia optanda felicitas. Si Iuppiter, ut haec daret, ideo colebatur, quia, si bonum aliquid est latitudo regni adque diuturnitas, ad eandem pertinet felicitatem: quur non intellectum est dona Dei esse, non deas? Si autem putatae sunt deae, saltem alia tanta deorum turba non quaereretur. Consideratis enim officiis deorum dearumque omnium, quae sicut uoluerunt pro sua opinatione finxerunt, inueniant si possunt aliquid, quod praestari ab aliquo deo possit homini habenti uirtutem, habenti felicitatem. Quid doctrinae uel a Mercurio uel a Minerua petendum esset, cum uirtus omnia secum haberet? Ars quippe ipsa bene recteque uiuendi uirtus a ueteribus definita est. Unde ab eo, quod Graece ἀρετὴ dicitur uirtus, nomen artis Latinos traduxisse putauerunt. Sed si uirtus non nisi ad ingeniosum posset uenire, quid opus erat deo Catio patre, qui catos, id est acutos faceret, cum hoc posset conferre felicitas? Ingeniosum quippe nasci felicitatis est, unde, etiamsi non potuit a nondum nato coli dea Felicitas, ut hoc ei conciliata donaret, conferret hoc parentibus eius cultoribus suis, ut eis ingeniosi filii nascerentur. Quid opus erat parturientibus inuocare Lucinam, cum, si adesset Felicitas, non solum bene parerent, sed etiam bonos? Quid necesse erat

2 Quod unum n. i. deum *C p q Domb.;* Quod dona n. i. dei *v* uirtutem *C q* 3 et *om. C q* 4 facit *codd.;* fecit *v* 11 non *codd. excepto* α^1, *qui m. 1* quam *habet, quod Domb.*^{2} *recepit* 14 opinatione *C a b d e p v;* opinione Λ *q* α 15 quod] quos *C* ab al. deo praest. *v* 17 menerba *C* 19 ἀρετὴ (arete *codd.*) *om. a* 20 latī nr̄ī duxisse, *in marg.:* ał. lib. latinos transduxisse, *e* traxisse α^1 21 possit Λ 27 erat] esset *q*

Opi deae commendare nascentes, deo Vaticano uagientes, deae Cuninae iacentes, deae Ruminae sugentes, deo Statilino stantes, deae Adeonae adeuntes, Abeonae abeuntes; deae Menti, ut bonam haberent mentem, deo Volumno et deae Volumnae, ut bona uellent; dis nuptialibus, ut bene coniugarentur, dis agrestibus, ut fructus uberrimos caperent, et maxime ipsi diuae Fructeseae; Marti et Bellonae, ut bene belligerarent, deae Victoriae, ut uincerent; deo Honori, ut honorarentur, deae Pecuniae, ut pecuniosi essent, deo Aesculano et filio eius Argentino, ut haberent aeream argenteamque pecuniam? Nam ideo patrem Argentini Aesculanum posuerunt, quia prius aerea pecunia in usu coepit esse, post argentea. Miror autem, quod Argentinus non genuit Aurinum, quia et aurea subsecuta est. Quem deum isti si haberent, sicut Saturno Iouem, ita et patri Argentino et auo Aesculano Aurinum praeponerent. Quid ergo erat necesse propter haec bona uel animi uel corporis uel externa tantam deorum turbam colere et inuocare (quos neque omnes commemoraui, nec ipsi potuerunt omnibus bonis humanis minutatim singillatimque digestis deos minutos et singulos prouidere), cum posset magno facilique conpendio una dea Felicitas cuncta conferre, nec solum ad bona capienda quisquam alius, sed neque ad depellenda mala quaereretur? Quur enim esset inuocanda propter fessos diua Fessona, propter hostes depellendos diua Pellonia, propter aegros medicus uel Apollo uel Aesculapius uel ambo simul, quando esset grande periculum? Nec deus Spiniensis, ut spinas ex agris eradicaret; nec dea Rubigo, ut non accederet, rogaretur: una Felicitate praesente et tuente uel nulla mala exorerentur, uel facillime

4 uolumino . . uoluminae α 7 fructeseae A^2 *C a d p;* fructae seae A^1 *b;* fructesae α; fructereae *e;* fructesse *q* 8 honorino Λ 9 *sqq.* aescolano C^1 aseculano *e* 12 in usum Λ esse coepit *v* 15 aeseculano *e* 20 possit Λ. 23 Quur] cum *C* fessona *C a b p* α^1; fessonia Λ *d e q v* 24 medicos *C* 25 aescolapius C^1 26 spinensis *a* α 27 rubigo Λ C^2 *a b d p q v;* robigo C^1 α *Domb.;* robiga, ga *m. 2 rescript., e* 28 etuente, e^1; et ueniente e^2 ut uel *e* exorerentur A^1 b^1 k^1; exhorerentur *p;* exorrentur C^1; exorirentur *erasis superscriptis litteris* re, C^2; exorirentur A^2 *rell. v*

pellerentur. Postremo quoniam de duabus istis deabus Virtute et Felicitate tractamus: si felicitas uirtutis est praemium, non dea, sed Dei donum est; si autem dea est, quur non dicatur et uirtutem ipsa conferre, quando quidem etiam uirtutem consequi felicitas magna est?

CAPUT XXII.

De scientia colendorum deorum, quam a se Varro gloriatur conlatam esse Romanis.

Quid est ergo, quod pro ingenti beneficio Varro iactat praestare se ciuibus suis, quia non solum commemorat deos, quos coli oporteat a Romanis, uerum etiam dicit quid ad quemque pertineat? Quoniam nihil prodest, inquit, hominis alicuius medici nomen formamque nosse, et quod sit medicus ignorare: ita dicit nihil prodesse scire deum esse Aesculapium, si nescias eum ualetudini opitulari, adque ita ignores quur ei debeas supplicare. Hoc etiam alia similitudine adfirmat dicens, non modo bene uiuere, sed uiuere omnino neminem posse, si ignoret quisnam sit faber, quis pistor, quis tector, a quo quid utensile petere possit, quem adiutorem adsumere, quem ducem, quem doctorem; eo modo nulli dubium esse adserens ita esse utilem cognitionem deorum, si sciatur quam quisque deus uim et facultatem ac potestatem cuiusque rei habeat. 'Ex eo enim poterimus, inquit, scire quem cuiusque causa deum aduocare adque inuocare debeamus, ne faciamus, ut mimi solent, et optemus a Libero aquam, a Lymphis uinum'. Magna sane utilitas. Quis non huic gratias ageret, si uera monstraret, et si unum uerum Deum, a quo essent omnia bona, hominibus colendum doceret?

1 pellentur C^1 4 ipsa Λ *ep Domb.;* ipsam *C a b d q v* 9 ergo est *v* benificio *C* 10 uici,bus Λ (uici *ui*) 12 quemquam Λ; quem α^1 12 inquid Λ^1 C^1; *in b adscriptum est* uarro homini *e* 14 essescola/phium *C* 15 i/ta, s *eras.*, *C* 16 affirmat al. simil. *v* 17 sed uiuere *sup. lin. C* 18 pictor *q;* piscator α^1 19 adsum. adiut. Λ 23 inquit poterimus Λ possimus scire inquit *q* aduocare atque inuocare *a b d e p q α k* $^{\text{-e}}$*v*, aduoc. et inuoc. Λ; inuoc. atque (adque C^1) aduoc. *C Domb.*

CAPUT XXIII.

De Felicitate, quam Romani, multorum ueneratores deorum, diu non coluerunt honore diuino, cum pro omnibus sola sufficeret.

Sed (unde nunc agitur) si libri et sacra eorum uera sunt et Felicitas dea est, quur non ipsa una quae coleretur constituta est, quae posset uniuersa conferre et conpendio facere felicem? Quis enim optat aliquid propter aliud quam ut felix fiat? Quur denique tam sero huic tantae deae post tot Romanos principes Lucullus aedem constituit? Quur ipse Romulus felicem cupiens condere ciuitatem non huic templum potissimum struxit nec propter aliquid dis ceteris supplicauit, quando nihil deesset, si haec adesset? Nam et ipse nec prius rex, nec ut putant postea deus fieret, si hanc deam propitiam non haberet. Ut quid ergo constituit Romanis deos Ianum, Iouem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem et si quos alios? Ut quid Titus Tatius addidit Saturnum, Opem, Solem, Lunam, Vulcanum, Lucem et quoscumque alios addidit, inter quos etiam deam Cloacinam, Felicitate neglecta? Ut quid Numa tot deos et tot deas sine ista? An eam forte in tanta turba uidere non potuit? Hostilius certe rex deos et ipse nouos Pauorem adque Pallorem propitiandos non introduceret, si deam istam nosset aut coleret. Praesente quippe Felicitate omnis pauor et pallor non propitiatus abscederet, sed pulsus aufugeret.

Deinde quid est hoc, quod iam Romanum imperium longe lateque crescebat, et adhuc nemo Felicitatem colebat? An ideo grandius imperium quam felicius fuit? Nam quo modo ibi esset uera felicitas, ubi uera non erat pietas? Pietas est enim uerax ueri Dei cultus, non cultus falsorum tot deorum,

7 possit A 10 romulus *m. 1 ex* romanus *corr. C* 12 instruxit A 19 cloacinam A *a p q v;* cluac. *C;* cluatinam *d;* clueacinam *e* felicitatem *C e* 20 forte in tanta *mei codd., v;* in tanta forte *α Domb.* 26 hoc *om. a*^{1} iam *om. o*^{1} 29 est *sup. lin.* A enim est *v* 30 uerax A^1*;* uere A^2

quot daemoniorum. Sed et postea iam in deorum numerum Felicitate suscepta magna bellorum ciuilium infelicitas subsecuta est. An forte iuste est indignata Felicitas, quod et tam sero et non ad honorem, sed ad contumeliam potius inuitata est, ut cum ea coleretur Priapus et Cloacina et Pauor et Pallor et Febris et cetera non numina colendorum, sed crimina colentium?

Ad extremum si cum turba indignissima tanta dea colenda uisa est, quur non uel inlustrius ceteris colebatur? Quis enim ferat, quod neque inter deos Consentes, quos dicunt in consilium Iouis adhiberi, nec inter deos, quos selectos uocant, Felicitas constituta est? Templum aliquod ei fieret, quod et loci sublimitate et operis dignitate praemineret. Quur enim non aliquid melius quam ipsi Ioui? Nam quae etiam Ioui regnum nisi Felicitas dedit? si tamen cum regnaret felix fuit. Et potior est felicitas regno. Nemo enim dubitat facile inueniri hominem, qui se timeat fieri regem; nullus autem inuenitur, qui se nolit esse felicem. Ipsi ergo di si per auguria uel quolibet modo eos posse consuli putant, de hac re consulerentur, utrum uellent Felicitati loco cedere, si forte aliorum aedibus uel altaribus iam fuisset locus occupatus, ubi aedes maior adque sublimior Felicitati construeretur; etiam ipse Iuppiter cederet, ut ipsum uerticem collis Capitolini Felicitas potius obtineret. Non enim quispiam resisteret Felicitati, nisi, quod fieri non potest, qui esse uellet infelix. Nullo modo omnino, si consuleretur, faceret Iuppiter, quod ei fecerunt tres di, Mars, Terminus et Iuuentas, qui maiori et regi suo nullo modo cedere loco uoluerunt. Nam sicut habent eorum litterae, cum rex Tarquinius Capitolium fabricari uellet eumque locum, qui ei dignior aptiorque uidebatur, ab dis aliis cerneret

1 quod Λ^1 3 felicit. indign. Λ 5 clociana Λ; cloacina C 6 nomina Λ^1 10 consentes C; consentientes a. 11 adiberi Λ^1 electos $\Lambda\, C^1 a^1 b^1 d e p \alpha k f$ 16 inuenire C^1 17 timeat se v 18 agoria Λ^1 21 aedis Λ 24 felicit. resist. Λ 25 uelit Λ 27 qui maiori] *hinc redit* L 29 fabricari $L\, \Lambda\, b e p$; fabricare C *rell. v Domb.*

praeoccupatum, non audens aliquid contra eorum facere arbitrium et credens eos tanto numini suoque principi uoluntate cessuros, quia multi erant illic, ubi Capitolium constitutum est, per augurium quaesiuit, utrum concedere locum uellent Ioui; adque ipsi inde cedere omnes uoluerunt praeter illos quos commemorauit, Martem, Terminum, Iuuentatem; adque ideo Capitolium ita constructum est, ut etiam isti tres intus essent tam obscuris signis, ut hoc uix homines doctissimi scirent. Nullo modo igitur Felicitatem Iuppiter ipse contemneret, sicut a Termino, Marte, Iuuentate contemtus est. Sed ipsi etiam, qui non cesserant Ioui, profecto cederent Felicitati, quae illis regem fecerat Iouem. Aut si non cederent, non id contemtu eius facerent, sed quod in domo Felicitatis obscuri esse mallent quam sine illa in locis propriis eminere.

Ita dea Felicitate in loco amplissimo et celsissimo constituta discerent ciues, unde omnis boni uoti petendum esset auxilium, ac sic ipsa suadente natura aliorum deorum superflua multitudine derelicta coleretur una Felicitas, uni supplicaretur, unius templum frequentaretur a ciuibus qui felices esse uellent, quorum esset nemo qui nollet, adque ita ipsa a se ipsa peteretur, quae ab omnibus petebatur. Quis enim aliquid ab aliquo deo nisi felicitatem uelit accipere uel quod ad felicitatem existimat pertinere? Proinde si felicitas habet in potestate cum quo homine sit (habet autem, si dea est): quae tandem stultitia est ab aliquo eam deo petere, quam possis a se ipsa inpetrare? Hanc ergo deam super deos ceteros honorare etiam loci dignitate debuerunt. Sicut enim aput ipsos legitur, Romani ueteres nescio quem Summanum, cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iouem, ad quem diurna fulmina

2 nomini αf principi, *m. rec. superscripto* ioui, Λ 4 loco L^1 5 commemorabi L 6 ideo] deo C^1; eidē e 7 instructum C^1 10 marte *om.* Λ^1 iubentate *m. 1 sup. lin.* L; iuuenta a^1; iuuentute a^2 11 profecto . . . . . Iouem *om.* b^1 fecerit *d*; faceret p 12 non ideo Λ non ad contemptū e^2 facerent] fugerent p 13 uel obscuri $e\,q$ 19 cibibus L 22 uelit . . . . felicitatem *om.* C^1 ad infelicitatem *d* 25 possit C ipsa/, m *eras.*, C 27 romanos C^1 29 flumina Λ^1

pertinerent. Sed postquam Ioui templum insigne ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit, ut uix inueniatur qui Summani nomen, quod audire iam non potest, se saltem legisse meminerit. Si autem felicitas dea non est, quoniam, quod uerum est, munus est Dei: ille Deus quaeratur, qui eam dare possit, et falsorum deorum multitudo noxia relinquatur, quam stultorum hominum multitudo uana sectatur, Dei dona deos sibi faciens et ipsum, cuius ea dona sunt, obstinatione superbae uoluntatis offendens. Sic enim carere non potest infelicitate, qui tamquam deam felicitatem colit et Deum datorem felicitatis relinquit, sicut carere non potest fame, qui panem pictum lingit et ab homine, qui uerum habet, non petit.

CAPUT XXIIII.

Qua ratione defendant pagani, quod inter deos colant ipsa dona diuina.

Libet autem eorum considerare rationes. Usque adeone, inquiunt, maiores nostros insipientes fuisse credendum est, ut haec nescirent munera diuina esse, non deos? Sed quoniam sciebant nemini talia nisi aliquo deo largiente concedi, quorum deorum nomina non inueniebant, earum rerum nominibus appellabant deos, quas ab eis sentiebant dari, aliqua uocabula inde flectentes, sicut a bello Bellonam nuncupauerunt, non Bellum; sicut a cunis Cuninam, non Cunam; sicut a segetibus Segetiam, non Segetem, a pomis Pomonam, non Pomum; sicut a bubus Bubonam, non Bouem: aut certe nulla uocabuli declinatione sicut res ipsae nominantur, ut Pecunia dicta est dea, quae dat pecuniam, non omnino pecunia dea ipsa putata est; ita Virtus, quae dat uirtutem, Honor, qui honorem, Concordia, quae con-

1 ac] adque Λ 6 deor. falsor. *v* 8 dona Dei *v* 9 ea *om.* C^1 12 lingit Λ 13 petet C^1 21 adpellauant *L*; adpellebant Λ^1 22 deos ... sentiebant *om.* Λ^1 uocauula *L* 25 a pomis *L* Λ *b e p*; sicut a pom. *C rell. v Domb.* 26 bobonam *e* bobem *L* 29 quia dat Λ

cordiam, Victoria, quae dat uictoriam. Ita, inquiunt, cum Felicitas dea dicitur, non ipsa quae datur, sed numen illud adtenditur a quo felicitas datur.

CAPUT XXV.

De uno tantum colendo Deo, qui licet nomine ignoretur, tamen felicitatis dator esse sentitur.

Ista nobis reddita ratione multo facilius eis, quorum cor non nimis obduruit, persuadebimus fortasse quod uolumus. Si enim iam humana infirmitas sensit non nisi ab aliquo deo dari posse felicitatem, et hoc senserunt homines, qui tam multos colebant deos, in quibus et ipsum eorum regem Iouem: quia nomen eius, a quo daretur felicitas, ignorabant, ideo ipsius rei nomine, quam credebant ab illo dari, eum appellare uoluerunt, satis ergo indicarunt nec ab ipso Ioue dari posse felicitatem, quem iam colebant, sed utique ab illo, quem nomine ipsius felicitatis colendum esse censebant. Confirmo prorsus a quodam deo, quem nesciebant, eos credidisse dari felicitatem: ipse ergo quaeratur, ipse colatur, et sufficit. Repudietur strepitus innumerabilium daemoniorum; illi non sufficiat hic deus, cui non sufficit munus eius. Illi, inquam, non sufficiat ad colendum Deus dator felicitatis, cui non sufficit ad accipiendum ipsa felicitas. Cui autem sufficit (non enim habet homo quid amplius optare debeat), seruiat uni Deo datori felicitatis. Non est ipse, quem nominant Iouem. Nam si eum datorem felicitatis agnoscerent, non utique alium uel aliam, a qua daretur felicitas, nomine ipsius felicitatis inquirerent, neque ipsum Iouem cum tantis iniuriis colendum putarent. Iste alienarum dicitur adulter uxorum, iste pueri pulchri inpudicus amator et raptor.

1 quum L^1 8 obdurauit Λ persuadeuimus L 9 iam *m. 1 sup. lin. L* 12 eius nomen *v* et ideo *edd. uett. inuitis codicibus* 13 quamquam *C* appellare *L a b d e p q v;* appellari Λ *C* 14 indicarunt *a et sic ex coni. Domb.;* indicant *q;* iudicarunt *L* Λ *C rell. v* 19 repudientur *e* deorum L^1 28 adultor *d;* adulterator *edd. uett.*

CAPUT XXVI.

De ludis scaenicis, quos sibi di celebrari a suis cultoribus exegerunt.

Sed 'fingebat haec Homerus, ait Tullius, et humana ad deos transferebat: diuina mallem ad nos.' Merito displicuit uiro graui diuinorum criminum poeta confictor. Quur ergo ludi scaenici, ubi haec dictitantur cantitantur actitantur, deorum honoribus exhibentur, inter res diuinas a doctissimis conscribuntur? Hic exclamet Cicero non contra figmenta poetarum, sed contra instituta maiorum; an exclamarent et illi: Quid nos fecimus! Ipsi di ista suis honoribus exhibenda flagitauerunt, atrociter imperarunt, cladem nisi fieret praenuntiarunt, quia neglectum est aliquid, seuerissime uindicarunt, quia id quod neglectum fuerat factum est, placatos se esse monstrarunt. Inter eorum commemoratur uirtutes et miranda facta quod dicam. Tito Latinio rustico Romano patri familias dictum est in somnis, in senatum nuntiaret, ut ludi Romani instaurarentur, quod primo eorum die in quodam scelerato, qui populo spectante ad supplicium duci iussus est, numinibus uidelicet ex ludis hilaritatem quaerentibus triste displicuisset imperium. Cum ergo ille qui somnio commonitus erat postero die iussa facere non ausus esset, secunda nocte hoc idem rursus seuerius imperatum est: amisit filium, quia non fecit. Tertia nocte dictum est homini, quod maior ei poena, si non faceret, inmineret. Cum etiam sic non auderet, in morbum incidit acrem et horribilem. Tum uero ex amicorum sententia ad magistratus rem detulit adque in lectica adlatus est in sena-

4 Tusc. I, 26

5 mallem, *in margine* male, *e* 6 confictor *L* 8 exibentur Λ 10 an non *q v* 11 Ipsi *om.* Λ di *sup. lin. L* 12 fierent *a e* praenuntiarunt *codd. v;* praenuntiauerunt *Domb.* 14 platos *C* monstrarunt *L* Λ *C rell. v;* monstrauerunt *Domb.* 16 latino *C q* 18 populos peccante e^1 20 ludiſceleratatem, ſce *m. 2 in ras.*, Λ 21 postero *codd.;* postera *v* 25 quum *L* 27 magistratum Λ

tum expositoque somnio recepta continuo ualetudine pedibus suis sanus abscessit. Tanto stupefactus miraculo senatus quadruplicata pecunia ludos censuit instaurari. Quis non uideat, qui sanum sapit, subditos homines malignis daemonibus, a quorum dominatione non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum, ui conpulsos esse exhibere talibus dis, quae recto consilio poterant turpia iudicari? In illis certe ludis poetica numinum crimina frequentantur, qui ludi cogentibus numinibus iussu senatus instaurabantur. In illis ludis corruptorem pudicitiae Iouem turpissimi histriones cantabant agebant placebant. Si illud fingebatur, ille irasceretur; si autem suis criminibus etiam fictis delectabatur, quando coleretur, nisi diabolo seruiretur? Itane iste Romanum conderet dilataret conseruaret imperium, quouis Romano, cui talia displicebant, homine abiectior? Iste daret felicitatem, qui tam infeliciter colebatur, et nisi ita coleretur, infelicius irascebatur?

CAPUT XXVII.

De tribus generibus deorum, de quibus Scaeuola pontifex disputauit.

Relatum est in litteras doctissimum pontificem Scaeuolam disputasse tria genera tradita deorum: unum a poetis, alterum a philosophis, tertium a principibus ciuitatis. Primum genus nugatorium dicit esse, quod multa de dis fingantur indigna; secundum non congruere ciuitatibus, quod habeat aliqua superuacua, aliqua etiam quae obsit populis nosse. De superuacuis non magna causa est; solet enim et a iuris peritis dici: Superflua non nocent. Quae sunt autem illa, quae prolata in multitudinem nocent? 'Haec, inquit, non esse deos

3 instaurare Λ^1 qui C^1 4 maligni e^1 6 exibere Λ 11 placebant $L\,\Lambda\,C\,a^2\,b\,d\,e^1\,p\,q\,\alpha^1\,k\,f\,v$; placabant $a^1\,e^2\,\alpha^2$ 12 fictis L; factis b 13 diabulo C. sub diabulo α serbiretur L 14 displ. tal. v 16 ita *om.* C 19 de *ante* quibus *om.* C 21 litteras $L\,\Lambda^1\,C\,b^1\,d\,p\,q\,v$; litteris $\Lambda^2\,a\,b^2\,e$ 25 habet C^1 28 nocet L^1 29 inquid $L\,\Lambda\,C^1$

Herculem, Aesculapium, Castorem, Pollucem; proditur enim a doctis, quod homines fuerint et humana condicione defecerint.' Quid aliud? 'Quod eorum qui sint di non habeant ciuitates uera simulacra, quod uerus Deus nec sexum habeat nec aetatem nec definita corporis membra.' Haec pontifex nosse populos non uult; nam falsa esse non putat. Expedire igitur existimat falli in religione ciuitates. Quod dicere etiam in libris rerum diuinarum Varro ipse non dubitat. Praeclara religio, quo confugiat liberandus infirmus, et cum ueritatem qua liberetur inquirat, credatur ei expedire quod fallitur. Poeticum sane deorum genus quur Scaeuola respuat, eisdem litteris non tacetur: quia sic uidelicet deos deformant, ut nec bonis hominibus conparentur, cum alium faciant furari, alium adulterare, sic item aliquid aliter turpiter adque inepte dicere ac facere; tres inter se deas certasse de praemio pulchritudinis, uictas duas a Venere Troiam euertisse; Iouem ipsum conuerti in bouem aut cygnum, ut cum aliqua concumbat; deam homini nubere; Saturnum liberos deuorare: nihil denique posse confingi miraculorum adque uitiorum, quod non ibi reperiatur adque ab deorum natura longe absit. O Scaeuola pontifex maxime, ludos tolle, si potes; praecipe populis, ne tales honores dis inmortalibus deferant, ubi crimina deorum libeat mirari et quae fieri possunt placeat imitari. Si autem tibi responderit populus: Vos nobis inportastis ista pontifices: deos ipsos roga, quibus instigantibus ista iussistis, ne talia sibi iubeant exhiberi. Quae si mala sunt et propterea nullo modo de deorum maiestate credenda, maior est deorum iniuria, de quibus inpune finguntur. Sed non te audiunt, dae-

1 proditor C^1 2 a *sup. lin. L;* ab Λ 3 sunt *e* habebant *e* 7 regione C^1 ciuitatis *C d; om.* a^1 8 uarro ipse *codd.;* ipse V. *v* 9 liuerandus *L* Λ 12 uidilicet *C* 13 faciant *L* Λ *p;* faciunt *C rell. v Domb.* 14 adulterari $C^1 p^1$ 15 ac] aut *q* α 17 cycnum *C* concunbat C^1 20 repperiatur Λ *C e* ab eorum Λ^1, a deorum Λ^2 *e* 21 nealef, ne *et* l *in ras. L* 22 deferent C^1 24 respondeat *á;* respondet *a* inportatis L^1

mones sunt, praua docent, turpibus gaudent: non solum non deputant iniuriam, si de illis ista fingantur, sed eam potius iniuriam ferre non possunt, si per eorum sollemnia non agantur. Iam uero si aduersus eos Iouem iuterpelles, maxime ob eam causam, quia eius plura crimina ludis scaenicis actitantur: nonne etiamsi Deum Iouem nuncupatis, a quo regitur totus adque administratur hic mundus, eo illi fit a uobis maxima iniuria, quod eum cum istis colendum putatis eornmque regem esse perhibetis?

CAPUT XXVIII.

An ad obtinendum dilatandumque regnum profuerit Romanis cultus deorum.

Nullo igitur modo di tales, qui talibus placantur uel potius accusantur honoribus, ut maius sit crimen quod eis falsis oblectantur, quam si de illis uera dicerentur, Romanum imperium augere et conseruare potuissent. Hoc enim si possent, Graecis potius donum tam grande conferrent, qui eos in huiusce modi rebus diuinis, hoc est ludis scaenicis, honorabilius digniusque coluerunt, quando et a morsibus poetarum, quibus deos dilacerari uidebant, se non subtraxerunt, dando eis licentiam male tractandi homines quos liberet, et ipsos scaenicos non turpes iudicauerunt, sed dignos etiam praeclaris honoribus habuerunt. Sicut autem potuerunt auream pecuniam habere Romani, quamuis deum Aurinum non colerent: sic et argenteam habere potuerunt et aeream, si nec Argentinum nec eius patrem colerent Aesculanum, et sic omnia quae retexere piget. Sic ergo et regnum inuito quidem Deo uero nullo modo habere possent; dis uero istis falsis et multis ignoratis siue contemtis adqne illo uno cognito et fide sincera ac moribus culto et melius hic regnum haberent, quantumcumque habe-

1 non *ante* deputant *om.* L^1 C^1 4 iobem $L\,\Lambda$ 5 plurima α 6 Iouem *om. e* a *sup. lin. L* 8 quo *e* colendum cum istis *a* 19 colerunt L^1 20 tanto Λ^1 25 si non *q* 26 patrem *om.* q^1 aesculanum $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,q^2\,v$; Aescol. *Domb.*; esculanium q^1

rent, et post haec acciperent sempiternum, siue hic haberent siue non haberent.

CAPUT XXVIIII.

De falsitate auspicii, quo Romani regni fortitudo et stabilitas uisa est indicari.

Nam illud quale est quod pulcherrimum auspicium fuisse dixerunt, quod paulo ante commemoraui, Martem et Terminum et Iuuentatem nec Ioui regi deorum loco cedere uoluisse? Sic enim, inquiunt, significatum est, Martiam gentem, id est Romanam, nemini locum quem teneret daturam, Romanos quoque terminos propter deum Terminum neminem commoturum, iuuentutem etiam Romanam propter deam Iuuentatem nemini esse cessuram. Videant ergo quo modo habeant istum regem deorum suorum et datorem regni sui, ut eum auspicia ista pro aduersario ponerent, cui non cedere pulchrum esset. Quamquam haec si uera sunt, non habent omnino quid timeant. Non enim confessuri sunt, quod di cesserint Christo, qui Ioui cedere noluerunt; saluis quippe imperii finibus Christo cedere potuerunt et de sedibus locorum et maxime de corde credentium. Sed antequam Christus uenisset in carne, antequam denique ista scriberentur, quae de libris eorum proferimus, sed tamen postea quam factum est sub rege Tarquinio illud auspicium, aliquotiens Romanus exercitus fusus est, hoc est uersus in fugam, falsumque ostendit auspicium, quo Iuuentas illa non cesserat Ioui, et gens Martia superantibus adque inrumpentibus Gallis in ipsa Urbe contrita est, et termini imperii deficientibus multis ad Hannibalem ciuitatibus in angustum fuerant coartati. Ita euacuata est pulchritudo auspiciorum, remansit contra Iouem contumacia, non deorum, sed

4 felicitate *p* 5 et stabil. *om. p* 6 pulcerrimum *C* 9 artiam *C* 10 tenerent *e* 12 Iuuentatem] inueritatē *e* 14 eum *radendo in* ei *mutatum C;* ei *e* 16 quod *e* 20 uenisset L^2 A *C a b d e p α k f Domb.;* ueniret L^1 *q v* 24 uersus *om. e* quod, d *m. rec.*, A 27 ab hannibale *e* 28 pulcritudo *C*

daemoniorum. Aliud est enim non cessisse, aliud unde cesseras redisse. Quamquam et postea in orientalibus partibus Hadriani uoluntate mutati sunt termini imperii Romani. Ille namque tres prouincias nobiles, Armeniam, Mesopotamiam, Assyriam, Persarum concessit imperio, ut deus ille Terminus, qui Romanos terminos secundum istos tuebatur et per illud pulcherrimum auspicium loco non cesserat Ioui, plus Hadrianum regem hominum quam regem deorum timuisse uideatur. Receptis quoque alio tempore prouinciis memoratis nostra paene memoria retrorsus Terminus cessit, quando Iulianus deorum illorum oraculis deditus inmoderato ausu naues iussit incendi, quibus alimonia portabatur; qua exercitus destitutus mox etiam ipso hostili uulnere extincto in tantam est redactus inopiam, ut inde nullus euaderet undique hostibus incursantibus militem imperatoris morte turbatum, nisi placito pacis illic imperii fines constituerentur, ubi hodieque persistunt, non quidem tanto detrimento, quantum concesserat Hadrianus, sed media tamen conpositione defixi. Uano igitur augurio deus Terminus non cessit Ioui, qui cessit Hadriani uoluntati, cessit etiam Iuliani temeritati et Iouiani necessitati. Uiderunt haec intellegentiores grauioresque Romani; sed contra consuetudinem ciuitatis, quae daemonicis ritibus fuerat obligata, parum ualebant, quia et ipsi, etiamsi illa uana esse sentiebant, naturae tamen rerum sub unius ueri Dei regimine adque imperio constitutae religiosum cultum, qui Deo debetur, exhibendum putabant, seruientes, ut ait apostolus, creaturae potius quam creatori, qui est benedictus in saecula. Huius Dei ueri erat auxilium necessarium, a quo mitterentur sancti

26 Rom. 1, 25

1 necesseras Λ^1, concesseras Λ^2 12 portauatur *L* 14 militem... turbatum *L* Λ C^1 *b d e p* k^1 *v*; milite... turbato C^2 *a q* α k^2 *f Domb.* 21 grauioresque *om. e* 22 daemonicis *codd.*; daemoniacis *v* 23 etiamſi, ſi *sup. lin.*, *L* 25 debe//tur, ba (?) *eras.*, *C* 28 a quo] ut α

uiri et ueraciter pii, qui pro uera religione morerentur, ut falsae a uiuentibus tollerentur.

CAPUT XXX.

Qualia de dis gentium etiam cultores eorum se sentire fateantur.

Cicero augur inridet auguria et inridet homines cornix et corniculae uocibus uitae consilia moderantes. Sed iste Academicus, qui omnia esse contendit incerta, indignus est qui habeat ullam in his rebus auctoritatem. Disputat aput eum Quintus Lucilius Balbus in secundo de deorum natura libro, et cum ipse superstitiones ex natura rerum uelut physicas et philosophicas inserat, indignatur tamen institutioni simulacrorum et opinionibus fabulosis ita loquens: 'Videtisne igitur, ut a physicis rebus bene adque utiliter inuentis ratio sit tracta ad commenticios et fictos deos? Quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles. Et formae enim nobis deorum et aetates et uestitus ornatusque noti sunt, genera praeterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem inbecillitatis humanae. Nam et perturbatis animis inducuntur; accepimus enim deorum cupiditates aegritudines iracundias. Nec uero, ut fabulae ferunt, di bellis proeliisque caruerunt; nec solum, ut aput Homerum, cum duos exercitus contrarios alii di ex alia parte defenderent, sed etiam (ut cum Titanis aut cum Gigantibus) sua propria

6 Diuin. II, 37 10 C. 28 22 Il. XX, 67 sqq.

1 Vt falsa uiuentibus *C in initio capitis XXX.;* falsa ea uiuent. *e;* false uiuent. a^1*;* falsa a uiuent. a^2 2 uibentibus *L* 6 *ante* Cicero *in* C *correctoris manu sup. lin. exstat* dv̄, *superscriptum fortasse ut sequentia cum antecedentibus uerbis* ut falsa cett., *coniungerentur* auguris ridet *e* inridet auguria et inridet *L* Λ^1 *p;* inrid. aug. et reprehendit Λ^2 *C rell. v Domb.* 10 Quintus *mei codd.;* Q. *v Domb.* ualbus *L* 15 fictos *L*, finctos Λ 17 Formae etenim *a* et *ante* uestitus *sup. lin. L* 19 inuechilitatis *L* Λ^1 20 perturuatis *L* 22 omerum *L* Λ^1 23 ex alia *L* Λ *C a b d e p v;* alia ex *Domb.;* ex altera *q*

bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt uanitatis summaeque leuitatis.' Ecce interim quae confitentur qui defendunt deos gentium. Deinde cum haec ad superstitionem pertinere dicat, ad religionem uero, quae ipse secundum Stoicos uidetur docere: 'non enim philosophi solum, inquit, uerum etiam maiores nostri superstitionem a religione separauerunt; nam qui totos dies precabantur, inquit, et immolabant, ut sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati.' Quis non intellegat eum conari, dum consuetudinem ciuitatis timet, religionem laudare maiorum eamque a superstitione uelle seiungere, sed quo modo id possit non inuenire? Si enim a maioribus illi sunt appellati superstitiosi, qui totos dies precabantur et immolabant, numquid et illi, qui instituerunt (quod iste reprehendit) deorum simulacra diuersa aetate et ueste distincta, deorum genera coniugia cognationes? Haec utique cum tamquam superstitiosa culpantur, inplicat ista culpa maiores talium simulacrorum institutores adque cultores; inplicat et ipsum, qui, quantolibet eloquio se in libertatem nitatur euoluere, necesse habebat ista uenerari; nec quod in hac disputatione disertus insonat, muttire auderet in populi contione. Agamus itaque Christiani Domino Deo nostro gratias, non caelo et terrae, sicut iste disputat, sed ei qui fecit caelum et terram, qui has superstitiones, quas iste Balbus uelut balbutiens uix reprehendit, per altissimam Christi humilitatem, per apostolorum praedicationem, per fidem martyrum pro ueritate morientium et cum ueritate uiuentium non solum in cordibus religiosis, uerum etiam in aedibus superstitiosis libera suorum seruitute subuertit.

2 banitatis L^1 7 separauerunt *a b d e p q v Domb.* separauerant $L\,A^1\,C$; praecab. $L^1\,C$ 10 a *sup. lin.* L 13 immolauant L 14 repraehendit $L\,C$; repraendit A 15 genera *sup. lin.* L 16 cum *sup. lin.* C 19 liuertatem L habebat $L^1\,A^2$; habebit $L^2\,A^1$ 23 terra L^1 24 ualbus $L\,A$ ualbutiens $L\,A$ repraeh. $L\,A\,C$ 25 marthyrum L 26 uibentium L 27 supterstitiosis A 28 uirtute *e*

CAPUT XXXI.

De opinionibus Varronis, qui reprobata persuasione populari, licet ad notitiam ueri Dei non peruenerit, unum tamen Deum colendum esse censuerit.

Quid ipse Varro, quem dolemus in rebus diuinis ludos scaenicos, quamuis non indicio proprio, posuisse, cum ad deos colendos multis locis uelut religiosus hortetur, nonne ita confitetur non se illa iudicio suo sequi, quae ciuitatem Romanam instituisse commemorat, ut, si eam ciuitatem nouam constitueret, ex naturae potius formula deos nominaque eorum se fuisse dedicaturum non dubitet confiteri? Sed iam quoniam in uetere populo esset, acceptam ab antiquis nominum et cognominum historiam tenere, ut tradita est, debere se dicit, et ad eum finem illa scribere ac perscrutari, ut potius eos magis colere quam despicere uulgus uelit. Quibus uerbis homo acutissimus satis indicat non se aperire omnia, quae non sibi tantum contemtui essent, sed etiam ipsi uulgo despicienda uiderentur, nisi tacerentur. Ego ista conicere putari debui, nisi euidenter alio loco ipse diceret de religionibus loquens multa esse uera, quae non modo uulgo scire non sit utile, sed etiam, tametsi falsa sunt, aliter existimare populum expediat, et ideo Graecos teletas ac mysteria taciturnitate parietibusque clausisse. Hic certe totum consilium prodidit uelut sapientium, per quos ciuitates et populi regerentur. Hac tamen fallacia miris modis maligni daemones delectantur, qui et deceptores et deceptos pariter possident, a quorum dominatione non liberat nisi gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum.

Dicit etiam idem auctor acutissimus adque doctissimus,

2 opinibus *C* suasione *p* 5 ludos // scaen., et *eras.*, *C* 10 eorum] deorum *α* 11 dicaturum *e* 12 numinum *α* 13 hystoriam *L* Λ; istor. C^1 15 dispicere *et l. 17* dispicienda *C* 18 pu tari, *ex* portari *ut uidetur correctum*, *C* debuit Λ^2 19 multa loquens multa *e* 24 ac C^1 25 miseris *α* 29 idem *om.* L^1

quod hi soli ei uideantur animum aduertisse quid esset Deus, qui crediderunt eum esse animam motu ac ratione mundum gubernantem, ac per hoc, etsi nondum tenebat quod ueritas habet (Deus enim uerus non anima, sed animae quoque est effector et conditor), tamen si contra praeiudicia consuetudinis liber esse posset, unum Deum colendum fateretur adque suaderet, motu ac ratione mundum gubernantem, ut ea cum illo de hac re quaestio remaneret, quod eum diceret esse animam, non potius et animae creatorem. Dicit etiam antiquos Romanos plus annos centum et septuaginta deos sine simulacro coluisse. 'Quod si adhuc, inquit, mansisset, castius di obseruarentur.' Cui sententiae suae testem adhibet inter cetera etiam gentem Iudaeam; nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat, qui primi simulacra deorum populis posuerunt, eos ciuitatibus suis et metum demsisse et errorem addidisse, prudenter existimans deos facile posse in simulacrorum stoliditate contemni. Quod uero non ait 'errorem tradiderunt', sed 'addiderunt', iam utique fuisse etiam sine simulacris uult intellegi errorem. Quapropter cum solos dicit animaduertisse quid esset Deus, qui eum crederent animam mundum gubernantem, castiusque existimat sine simulacris obseruari religionem, quis non uideat quantum propinquauerit ueritati? Si enim aliquid contra uetustatem tanti posset erroris, profecto et unum Deum, a quo mundum crederet gubernari, et sine simulacro colendum esse censeret; adque in tam proximo inuentus facile fortasse de animae mutabilitate commoneretur, ut naturam potius incommutabilem, quae ipsam quoque animam condidisset, Deum uerum esse sentiret. Haec cum ita sint, quaecumque tales

1 ei *om.* $\Lambda^2 p\, \alpha$ uidebantur $L\,\Lambda$ animum aduertisse $L\,\Lambda^1$; animo adu. *p;* animaduertisse Λ^2 *C rell. v Domb.* 2 crediderint Λ^1 3 guernantem *L* //si, et *eras.*, Λ 4 haberet *p* est quoque $L\,\Lambda$ 5 affector *C* 6 liuer *L* 7 guuern. *L* cum *radendo ex* quum *corr. L* 10 LXX. $L\,\Lambda$ 12 cuius *q* athibet $L\,\Lambda$ etiam *om.* L^1 13 loquum L^1 14 primi/, f *eras.*, *C* 16 in *om. e* 18 intellegi uult *v* 20 guuern. *L* 23 possit Λ^1 24 simulacrum C^1 colendum, *in marg.* credendum, *e*

uiri in suis litteris multorum deorum ludibria posuerunt, confiteri ea potius occulta Dei uoluntate conpulsi sunt quam persuadere conati. Si qua igitur a nobis inde testimonia proferuntur, ad eos redarguendos proferuntur, qui nolunt aduertere de quanta et quam maligna daemonum potestate nos liberet singulare sacrificium tam sancti sanguinis fusi et donum spiritus inpertiti.

CAPUT XXXII.

Ob quam speciem utilitatis principes gentium aput subiectos sibi populos falsas religiones uoluerunt permanere.

Dicit etiam de generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos, et ideo et sexum et generationes deorum maiores suos, id est ueteres credidisse Romanos et eorum constituisse coniugia. Quod utique non aliam ob causam factum uidetur, nisi quia hominum uelut prudentium et sapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, et in eo ipso non solum colere sed imitari etiam daemones, quibus maxima est fallendi cupiditas. Sicut enim daemones nisi eos, quos fallendo deceperint, possidere non possunt, sic et homines principes, non sane iusti, sed daemonum similes, ea, quae uana esse nouerant, religionis nomine populis tamquam uera suadebant, hoc modo eos ciuili societati uelut aptius adligantes, quo similiter subditos possiderent. Quis autem infirmus et indoctus euaderet simul fallaces et principes ciuitatis et daemones?

CAPUT XXXIII.

Quod iudicio et potestate Dei ueri omnium regum adque regnorum ordinata sint tempora.

Deus igitur ille felicitatis auctor et dator, quia solus est uerus Deus, ipse dat regna terrena et bonis et malis, neque

3 inde a nobis *v* 5 liuer. *L* 10 religionis *C* noluerint *p* 18 et *sup. lin.* Λ 24 aptius *L* Λ *C a* b^1 *d p k* f^r *Domb.;* artius b^2 *e q α v* 29 sunt *p*

hoc temere et quasi fortuito, quia Deus est, non fortuna, sed pro rerum ordine ac temporum occulto nobis, notissimo sibi; cui tamen ordini temporum non subditus seruit, sed eum ipse tamquam dominus regit moderatorque disponit; felicitatem uero non dat nisi bonis. Hanc enim possunt et non habere et habere seruientes, possunt et non habere et habere regnantes; quae tamen plena in ea uita erit, ubi nemo iam seruiet. Et ideo regna terrena et bonis ab illo dantur et malis, ne eius cultores adhuc in prouectu animi paruuli haec ab eo munera quasi magnum aliquid concupiscant. Et hoc est sacramentum ueteris testamenti, ubi occultum erat nouum, quod illic promissa et dona terrena sunt, intellegentibus et tunc spiritalibus, quamuis nondum in manifestatione praedicantibus, et quae illis temporalibus rebus significaretur aeternitas, et in quibus Dei donis esset uera felicitas.

CAPUT XXXIIII.

De regno Iudaeorum, quod ab uno et uero Deo institutum adque seruatum est, donec in uera religione manserunt.

Itaque ut cognosceretur etiam illa terrena bona, quibus solis inhiant qui meliora cogitare non possunt, in ipsius unius Dei esse posita potestate, non in multorum falsorum, quos colendos Romani antea crediderunt, populum suum in Aegypto de paucissimis multiplicauit et inde signis mirabilibus liberauit. Nec

1 fortuito *L* Λ¹ *C b*¹ *d e p α k;* fortuitu *a b*² *q v* 3 temporis *e* 6 et habere *om.* Λ¹ et hab. seru. poss. et non *om. e*¹ seru. *usque ad* et habere *om. a* h[abere se]ruientes, *litt. inclus. m. 2 in ras., C* et non habere et habere *L* Λ *C b d p q Dübn. Domb.;* et habere *om. v* 8 seruiet, *m. rec. superscripto* illis, *C* regna mundi huius dš bonis et malis cōmuniter prȩstat ne boni ea tamquam dī magna munera concupiscant. et ideo regna terrena, *glossa marginali inserta, e* 10 haec ab eo *om. C*¹ 13 et thunc *L;* &hi/nc, i *ex* u *radendo corr.*, Λ et tunc *superscripto* iam *b* 17 dō *ex* dm̄ *corr. C* 20 cognosceretur *L* Λ *C d p;* cognoscerentur *a b e q v Domb.* 23 ante Λ¹ 24 liuer. *L*

Lucinam mulieres illae inuocauerunt, quando earum partus, ut miris modis multiplicarentur et gens illa incredibiliter cresceret, ab Aegyptiorum persequentium et infantes omnes necare uolentium manibus ipse seruauit. Sine dea Rumina suxerunt, sine Cunina in cunis fuerunt, sine Educa et Potina escam potumque sumserunt, sine tot dis puerilibus educati sunt, sine dis coniugalibus coniugati, sine cultu Priapi coniugibus mixti; sine inuocatione Neptuni mare transeuntibus diuisum patuit et sequentes eorum inimicos fluctibus in se redeuntibus obruit. Nec consecrauerunt aliquam deam Manniam, quando de caelo manna sumserunt; nec quando sitientibus aquam percussa petra profudit, Nymphas Lymphasque coluerunt. Sine insanis sacris Martis et Bellonae bella gesserunt, et sine uictoria quidem non uicerunt, non eam tamen deam, sed Dei sui munus habuerunt. Sine Segetia segetes sine Bubona boues, mella sine Mellona poma sine Pomona, et prorsus omnia, pro quibus tantae falsorum deorum turbae Romani supplicandum putarunt, ab uno uero Deo multo felicius acceperunt. Et si non in eum peccassent, inpia curiositate tamquam magicis artibus seducti ad alienos deos et ad idola defluendo, et postremo Christum occidendo: in eodem regno etsi non spatiosiore, tamen feliciore mansissent. Et nunc quod per omnes fere terras gentesque dispersi sunt, illius unius ueri Dei prouidentia est, ut, quod deorum falsorum usquequaque simulacra arae, luci templa euertuntur et sacrificia prohibentur, de codicibus eorum probetur, quem ad modum hoc fuerit tanto ante prophetatum; ne forte, cum legeretur in nostris, a nobis putaretur esse confictum. Iam

2 increduil. *L* 4 manibus ipse seruauit *L* Λ *C* a^1 *b p q et omisso* manibus *e;* man. ipse liberauit, ipse seruauit a^2 *v Domb.* 5 cunica *e* 6 aescam *L* Λ 8 uocatione C^1 14 non *ante* uicerunt *om. e* 15 segites C^1 16 bobes *L* Λ 17 falsorum *om.* C^1 18 putarunt *L* Λ *Domb.;* putauerunt *C v* 21 postremum *C* christum *sup. lin. C* 23 gentisque C^1 illi *e* 28 confinctum Λ

quod sequitur in uolumine sequenti uidendum est, et hic dandus huius prolixitatis modus.

LIBER V.

PRAEFATIO.

Quoniam constat omnium rerum optandarum plenitudinem esse felicitatem, quae non est dea, sed donum Dei, et ideo nullum deum colendum esse ab hominibus, nisi qui potest eos facere felices (unde si illa dea esset, sola colenda merito diceretur): iam consequenter uideamus, qua causa Deus, qui potest et illa bona dare, quae habere possunt etiam non boni ac per hoc etiam non felices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum esse uoluerit. Quia enim hoc deorum falsorum illa quam colebant multitudo non fecit, et multa iam diximus, et ubi uisum fuerit opportunum esse dicemus.

CAPUT I.

Causam Romani imperii omniumque regnorum nec fortuitam esse nec in stellarum positione consistere.

Causa ergo magnitudinis imperii Romani nec fortuita est nec fatalis secundum eorum sententiam siue opinionem, qui ea dicunt esse fortuita, quae uel nullas causas habent uel non ex aliquo rationabili ordine uenientes, et ea fatalia, quae praeter Dei et hominum uoluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt. Prorsus diuina prouidentia regna constituuntur humana. Quae si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei uoluntatem uel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Quur enim non hoc primum

1 sequendi *C* 2 EXPL. LB. IIII. INC. V *L A* AURL. AUG. EPI. | ADVERSVM. PAGANOS DE CIVITATE DI. FINIT LIB. IIII | INC. LIB. QVINTVS. | AMEN. *C* 10 possunt habere *Ce* 17 stillarum *C* 22 rationauili *L*

dicit, quod postea dicturus est, cum ab illo quisquam quaesierit quid dixerit fatum? Nam id homines quando audiunt, usitata loquendi consuetudine non intellegunt nisi uim positionis siderum, qualis est quando quis nascitur siue concipitur; quod aliqui alienant a Dei uoluntate, aliqui ex illa etiam hoc pendere confirmant. Sed illi, qui sine Dei uoluntate decernere opinantur sidera quid agamus uel quid bonorum habeamus malorumue patiamur, ab auribus omnium repellendi sunt, non solum eorum qui ueram religionem tenent sed qui deorum qualiumcumque, licet falsorum, uolunt esse cultores. Haec enim opinio quid agit aliud, nisi ut nullus omnino colatur aut rogetur Deus? Contra quos modo nobis disputatio non est instituta, sed contra hos qui pro defensione eorum, quos deos putant, Christianae religioni aduersantur. Illi uero, qui positionem stellarum quodam modo decernentium qualis quisque sit et quid ei proueniat boni quidue mali accidat ex Dei uoluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi a summa illius potestate, ut uolentes ista decernant: magnam caelo faciunt iniuriam, in cuius uelut clarissimo senatu ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus caelestis necessitas adhibetur, cum dominus ille sit et siderum et hominum? Aut si non dicunt stellas, accepta quidem potestate a summo Deo, arbitrio suo ista decernere, sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omnino iussa conplere: itane de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum uisum est de stellarum uoluntate sentire? Quod si dicuntur stellae significare potius ista quam facere, ut quasi locutio quaedam sit illa positio praedicens futura, non agens (non enim medio-

6 pondere e^1 9 sed qui $L^1 \Lambda^1 C a b d e k \, r; v$; sed et qui $L^2 \Lambda^2 p q \alpha$ *Domb.* 11 aliud agit *v* 13 est non $L^1 \Lambda$ eos $b^2 q v$ 16 accedat C^1 18 a fum malliuf potestatem Λ 24 adhibe//tur *syllaba* re *erasa* C 26 suo *om.* C^1 30 loquutio $L \Lambda$

criter doctorum hominum fuit ista sententia): non quidem ita solent loqui mathematici, ut uerbi gratia dicant: 'Mars ita positus homicidam significat', sed: 'homicidam facit'; uerumtamen ut concedamus non eos ut debent loqui et a philosophis accipere oportere sermonis regulam ad ea praenuntianda, quae in siderum positione reperire se putant: quid fit, quod nihil umquam dicere potuerunt, quur in uita geminorum, in actionibus, in euentis, in professionibus, artibus, honoribus ceterisque rebus ad humanam uitam pertinentibus adque in ipsa morte sit plerumque tanta diuersitas, ut similiores eis sint, quantum ad haec adtinet, multi extranei quam ipsi inter se gemini perexiguo temporis interuallo in nascendo separati, in conceptu autem per unum concubitum uno etiam momento seminati?

CAPUT II.

De geminorum simili dissimilique ualetudine.

Cicero dicit Hippocratem, nobilissimum medicum, scriptum reliquisse, quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent et eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos suspicatum; quos Posidonius Stoicus, multum astrologiae deditus, eadem constitutione astrorum natos eademque conceptos solebat adserere. Ita quod medicus pertinere credebat ad simillimam temperiem ualetudinis, hoc philosophus astrologus ad uim constitutionemque siderum, quae fuerat quo tempore concepti natique sunt. In hac causa multo est acceptabilior et de proximo credibilior coniectura medicinalis, quoniam parentes ut erant corpore adfecti, dum concum-

17 de Fato?

3 significat sed] significaset C^1 4 eos non C eos *m. 1 sup. lin.* L 6 repperire se *codd.;* se reperire v quid $L\,\Lambda\,C\,a\,b\,d\,e\,p\,q\,\alpha\,k$; quod ꝙ qui v fit b; sit $a\,e\,q$; est p quod] de quo a^2; ut q 10 eis *om.* L^1 16 De simili dissimilique ualit. gem. p dissimiliae ualet. C 17 hyppocratem $L\,\Lambda$; hippocraten C, yppocraten d, ippocraten 20 istoicus $L\,\Lambda^1$, stoicis C^1 22 soleuat L 26 acceptauilior L crediuilior L 27 concumuerent L

berent, ita primordia conceptorum adfici potuerunt, ut consecutis ex materno corpore prioribus incrementis paris ualetudinis nascerentur; deinde in una domo eisdem alimentis nutriti, ubi aerem et loci positionem et uim aquarum plurimum ualere ad corpus uel bene uel male accipiendum medicina testatur, eisdem etiam exercitationibus adsuefacti tam similia corpora gererent, ut etiam ad aegrotandum uno tempore eisdemque causis similiter mouerentur. Constitutionem uero caeli ac siderum, quae fuit quando concepti siue nati sunt, uelle trahere ad istam aegrotandi parilitatem, cum tam multa diuersissimi generis diuersissimorum effectuum et euentorum eodem tempore in unius regionis terra eidem caelo subdita potuerint concipi et nasci, nescio cuius sit insolentiae. Nos autem nouimus geminos non solum actus et peregrinationes habere diuersas, uerum etiam dispares aegritudines perpeti. De qua re facillimam, quantum mihi uidetur, rationem redderet Hippocrates, diuersis alimentis et exercitationibus, quae non de corporis temperatione, sed de animi uoluntate ueniunt, dissimiles eis accidere potuisse ualetudines. Porro autem Posidonius uel quilibet fatalium siderum adsertor mirum si potest hic inuenire quid dicat, si nolit inperitorum mentibus in eis quas nesciunt rebus inludere. Quod enim conantur efficere de interuallo exiguo temporis, quod inter se gemini dum nascerentur habuerunt, propter caeli particulam, ubi ponitur horae notatio, quem horoscopum uocant: aut non tantum ualet, quanta inuenitur in geminorum uoluntatibus actibus moribus casibusque diuersitas, aut plus etiam ualet, quam est geminorum uel humilitas generis eadem uel nobi-

3 noscerentur *L* Λ[1] 5 accipiendum *codd.;* afficiendum *v* 8 eisdemque *L* Λ *C b d e p q;* eisdem *a v* 9 sunt siue nati *C;* natique sunt *a* 11 effectuum *L* Λ *C b d p* α *k*[1] *Domb.;* affectuum *a e q k*[2] *f v* 17 si *ante* diuersis *m. 2 C* 19 autem] quidem *q* 20 possidonius *L* Λ *e q* siderum, e (?) *craso, C* miror *d* α 23 de *sup. lin.* Λ 25 oroscopum, cant *C* 26 uoluptatibus *C* 27 actibus *sup. lin. C* morbus *e* 28 humilitates *e*[1]

litas, cuius maximam diuersitatem non nisi in hora, qua quisque nascitur, ponunt. Ac per hoc si tam celeriter alter post alterum nascitur, ut eadem pars horoscopi maneat, paria cuncta quaero, quae in nullis possunt geminis inueniri; si autem sequentis tarditas horoscopum mutat, parentes diuersos quaero, quos gemini habere non possunt.

CAPUT III.

De argumento, quod ex rota figuli Nigidius mathematicus adsumsit in quaestione geminorum.

Frustra itaque adfertur nobile illud commentum de figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium hac quaestione turbatum, unde et Figulus appellatus est. Dum enim rotam figuli ui quanta potuit intorsisset, currente illa bis numero de atramento tamquam uno eius loco summa celeritate percussit; deinde inuenta sunt signa, quae fixerat, desistente motu, non paruo interuallo in rotae illius extremitate distantia. 'Sic, inquit, in tanta rapacitate caeli, etiamsi alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in caeli spatio plurimum est: hinc sunt, inquit, quaecumque dissimillima perhibentur in moribus casibusque geminorum.' Hoc figmentum fragilius est quam uasa, quae illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in caelo interest, quod constellationibus conprehendi non potest, ut alteri geminorum hereditas obueniat, alteri non obueniat: quur audent ceteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronuntiare, quae ad illud secretum pertinent, quod nemo potest conprehendere et momentis adnotare nascentium? Si autem propterea talia dicunt in aliorum genituris, quia haec ad productiora spatia temporum pertinent; momenta uero illa partium minutarum, quae inter se gemini possunt habere na-

1 quuius $L\Lambda^1$ cuius rei *e* 2 ponit $L\Lambda$ 3 paria cuncta *codd.*; cuncta par. *v* 4 quae.... inueniri *om.* Λ^1 17 rapacitate caeli *codd.*; caeli rap. *v* 20 motibus $L\Lambda dp$; moïtibus *e*; casibus motibusque *C* 24 alteri non obueniat *om.* Λ^1 30 possint *C*

scentes, rebus minimis tribuuntur, de qualibus mathematici non solent consuli (quis enim consulat quando sedeat, quando deambulet, quando uel quid prandeat?): numquid ista dicimus, quando in moribus operibus casibusque geminorum plurima plurimumque diuersa monstramus?

CAPUT IIII.

De Esau et Jacob geminis multum inter se morum et actionum qualitate disparibus.

Nati sunt duo gemini antiqua patrum memoria (ut de insignibus loquar) sic alter post alterum, ut posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum uita fuerunt moribusque diuersa, tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, ut etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia. Numquid hoc dicitur, quia uno ambulante alius sedebat, et alio dormiente alius uigilabat, et alio loquente tacebat alius; quae pertinent ad illas minutias, quae non possunt ab eis conprehendi, qui constitutionem siderum, qua quisque nascitur, scribunt, unde mathematici consulantur? Unus duxit mercennariam seruitutem, alius non seruiuit; unus a matre diligebatur, alius non diligebatur; unus honorem, qui magnus aput eos habebatur, amisit, indeptus est alter. Quid de uxoribus, quid de filiis, quid de rebus, quanta diuersitas! Si ergo haec ad illas pertinent minutias temporum, quae inter se habent gemini, et constellationibus non adscribuntur: quare aliorum constellationibus inspectis ista dicuntur? Si autem ideo dicuntur, quia non ad minuta inconprehensibilia, sed ad temporum spatia pertinent, quae obseruari notarique possunt:

2 consoli C^1 11 maioris α in *m. 1 sup. lin.* L 15 uigilabat alius b et alio $L\Lambda C a b d e p$; et *om. q v Domb.* 16 tacebat alius *codd.* (tacebat et alius d); al. tac. v 17 sidereum C^1 18 consolantur C^1 19 seruibit L 20 alius non dilig. *om.* b^1 non diligebatur, *m. rec. superscripto* a patre, a 21 indeptus est alter $L^1\Lambda$; alter ind. est $C a b d e^1 v$; alter adeptus est $e^2 p q$ 22 tanta, *in marg. m. 1* quanta, e 25 ita $L\Lambda^1$ 27 temporalia C

quid hic agit rota illa figuli, nisi ut homines luteum cor habentes in gyrum mittantur, ne mathematicorum uaniloquia conuincantur?

CAPUT V.

Quibus modis conuincantur mathematici uanam scientiam profiteri.

Quid idem ipsi, quorum morbum, quod eodem tempore grauior leuiorque apparebat amborum, medicinaliter inspiciens Hippocrates geminos suspicatus est, nonne satis istos redarguunt, qui uolunt sideribus dare, quod de corporum simili temperatione ueniebat? Quur enim similiter eodemque tempore, non alter prior, alter posterior aegrotabant, sicut nati fuerant, quia utique simul nasci ambo non poterant? Aut si nihil momenti adtulit, ut diuersis temporibus aegrotarent, quod diuersis temporibus nati sunt: quare tempus in nascendo diuersum ad aliarum rerum diuersitates ualere contendunt? Quur potuerunt diuersis temporibus peregrinari, diuersis temporibus ducere uxores, diuersis temporibus filios procreare et multa alia, propterea quia diuersis temporibus nati sunt, et non potuerunt eadem causa diuersis etiam temporibus aegrotare? Si enim dispar nascendi mora mutauit horoscopum et disparilitatem intulit ceteris rebus: quur illud in aegritudinibus mansit, quod habebat in temporis aequalitate conceptus? Aut si fata ualetudinis in conceptu sunt, aliarum uero rerum in ortu esse dicuntur, non deberent inspectis natalium constellationibus de ualetudine aliquid dicere, quando eis inspicienda conceptionalis hora non datur. Si autem ideo praenuntiant aegritudines non inspecto conceptionis horoscopo, quia indicant eas momenta nascentium: quo modo dicerent cuilibet eorum geminorum ex natiuitatis hora, quando aegro-

7 morbus *p α Domb.* 15 quid *e;* qui C^2 16 diuersitatisuale Λ 21 mora Λ *C a b d e p q k f v;* //ıora, *prima littera mutilata, L;* ora *α;* hora *Domb.* 23 habeat L^1 24 inceptu, con *m. 1 superscripto, C* 26 constill. *C d* 27 de *L* 28 inpecto C^1 30 natibit. *L*

taturus esset, cum et alter, qui non habebat eandem horam natiuitatis, necesse haberet pariter aegrotare? Deinde quaero: si tanta distantia est temporis in natiuitate geminorum, ut per hanc oporteat eis constellationes fieri diuersas propter diuersum horoscopum et ob hoc diuersos omnes cardines, ubi tanta uis ponitur, ut hinc etiam diuersa sint fata: unde hoc accidere potuit, cum eorum conceptus diuersum tempus habere non possit? Aut si duorum uno momento temporis conceptorum potuerunt esse ad nascendum fata disparia, quur non et duorum uno momento temporis natorum possint esse ad uiuendum adque moriendum fata disparia? Nam si unum momentum, quo ambo concepti sunt, non inpediuit, ut alter prior, alter posterior nasceretur: quur, uno momento si duo nascantur, inpedit aliquid, ut alter prior, alter posterior moriatur? Si conceptio momenti unius diuersos casus in utero geminos habere permittit, quur natiuitas momenti unius non etiam quoslibet duos in terra diuersos casus habere permittat, ac sic omnis huius artis uel potius uanitatis commenta tollantur? Quid est hoc, quur uno tempore, momento uno, sub una eademque caeli positione concepti diuersa habent fata, quae illos perducant ad diuersarum horarum natiuitatem, et uno momento temporis sub una eademque caeli positione de duabus matribus duo pariter nati diuersa fata habere non possint, quae illos perducant ad diuersam uiuendi uel moriendi necessitatem? An concepti nondum habent fata, quae nisi nascantur habere non poterunt? Quid est ergo quod dicunt,

1 habeat *L* Λ¹ 6 ///tanta, *litt.* tan *erasis*, *C* 11 uibend. *L* 13 nasceretur . . . . . prior *om.* *b*¹ cur . . . . nascantur *om.* *e*¹ 14 nascantur *codd.*; nascuntur *v* inpedit *codd.*; impediat *v* 17 permittit *b*² 18 si *e* omnis *L* Λ *C d e* α *k*¹ *Domb.*; omnia *a v* 19 quur (cur) *codd. praeter q*; quod *q v* tempore mom. ụṇọ *b* uno mom. *v* 20 *uerba* concepti *usque ad l. 22* caeli positione *m. 2 in infer. marg. d* 21 orarum *sup. lin. C* 23 duo pariter matribus *e* 24 possint *L* Λ *a b e p* α *k*; possint, int *m. 1 in ras.*, *C*; possunt *q f v* uibendi *L* 26 non *om.* *e* potuerunt Λ

si hora conceptionalis inueniatur, multa ab istis dici posse diuinius? Unde etiam illud a nonnullis praedicatur, quod quidam sapiens horam elegit, qua cum uxore concumberet, unde filium mirabilem gigneret. Unde postremo et hoc est, quod de illis pariter aegrotantibus geminis Posidonius, magnus astrologus idemque philosophus, respondebat, ideo fieri, quod eodem tempore fuissent nati eodemque concepti. Nam utique propter hoc addebat conceptionem, ne diceretur ei non ad liquidum eodem tempore potuisse nasci, quos constabat omnino eodem tempore fuisse conceptos, ut hoc, quod similiter simulque aegrotabant, non daret de proximo pari corporis temperamento, sed eandem quoque ualetudinis parilitatem sidereis nexibus adligaret. Si igitur in conceptu tanta uis est ad aequalitatem fatorum, non debuerunt nascendo eadem fata mutari. Aut si propterea mutantur fata geminorum, quia temporibus diuersis nascuntur, quur non potius intellegamus iam fuisse mutata, ut diuersis temporibus nascerentur? Itane non mutat fata natiuitatis uoluntas uiuentium, cum mutet fata conceptionis ordo nascentium?

CAPUT VI.

De geminis disparis sexus.

Quamquam et in ipsis geminorum conceptibus, ubi certe amborum eadem momenta sunt temporum, unde fit ut sub eadem constellatione fatali alter concipiatur masculus, altera femina? Nouimus geminos diuersi sexus, ambo adhuc uiuunt, ambo aetate adhuc uigent; quorum cum sint inter se similes

1 dici///, mus *eras.*, *e* 2 diuinius *L Λ C a b*^{1} *d e p q k f Domb.;* diuinos *α;* diuinis *b*^{2} *v* 3 concumueret *L Λ* 5 astralogus *Λ* 13 *uerba inde ab* ad aequitatem *usque ad* ipsis quidem *p. 218, 25 unius folii iactura in L excidisse et hanc lacunam in apographo ab alio demum scriba inserto singulari folio expletam esse, in praef. monui* 14 eadem *sup. lin. l* facta *l* si propterea *in ras. C* 17 mutata *l* 18 commutet *C;* commot& *l* 22 conceptionibus *l* 25 Nouimus, *init. c. VI, C* adhuc uigent *codd.;* uigent adhuc *v*

corporum species, quantum in diuerso sexu potest, instituto tamen et proposito uitae ita sunt dispares, ut praeter actus, quos necesse est a uirilibus distare femineos (quod ille in officio comitis militat et a sua domo paene semper peregrinatur, illa de solo patrio et de rure proprio non recedit), insuper (quod est incredibilius, si astralia fata credantur; non autem mirum, si uoluntates hominum et Dei munera cogitentur) ille coniugatus, illa uirgo sacra est; ille numerosam prolem genuit, illa nec nupsit. At enim plurimum uis horoscopi ualet. Hoc quam nihil sit, iam satis disserui. Sed qualecumque sit, in ortu ualere dicunt; numquid et in conceptu? ubi et unum concubitum esse manifestum est, et tanta naturae uis est, ut, cum conceperit femina, deinde alterum concipere omnino non possit; unde necesse est eadem esse in geminis momenta conceptus. An forte quia diuerso horoscopo nati sunt, aut ille in masculum, dum nascerentur, aut illa in feminam commutata est? Cum igitur non usquequaque absurde dici posset ad solas corporum differentias adflatus quosdam ualere sidereos, sicut in solaribus accessibus et decessibus uidemus etiam ipsius anni tempora uariari et lunaribus incrementis adque detrimentis augeri et minui quaedam genera rerum, sicut echinos et conchas et mirabiles aestus oceani; non autem et animi uoluntates positionibus siderum subdi: nunc isti, cum etiam nostros actus inde religare conantur, admonent ut quaeramus, unde ne in ipsis quidem corporibus eis possit ratio ista constare. Quid enim tam ad corpus pertinens quam corporis sexus? et tamen sub eadem positione siderum diuersi sexus gemini concipi potuerunt. Unde quid

1 instituto ..... sunt dis] *om.* C^1 2 et *om.* l^1 3 uilibus l^1 quod *ex* cum *corr.* C 9 ius $C\,d$ 12 u/bi, t *eras.*, C unam C 13 cum *sup. lin.* C 15 OPOCKOΠO b 16 cū *in ras.* l nasceretur α^1 17 abs. d. posset *sup. lin.* e 18 possit l adflatos $C^1\,l$ 19 solere l 21 detrimentis $C\,l\,a^1\,b\,d\,e\,p\,q\,\alpha\,k\,f$ *Domb.*^{2}; decrementis $a^2\,v$ 22 rarum C^1 concas $l\,e$ 23 et *om.* α^1 sider/um, *eraso* e, C 24 fuę fubdi l quia *ex* quū *corr.* e actos C^1 relegare l^1 25 ut *om.* C^1

insipientius dici aut credi potest, quam siderum positionem, quae ad horam conceptionis eadem ambobus fuit, facere non potuisse, ut, cum quo habebat eandem constellationem, sexum diuersum a fratre non haberet; et positionem siderum, quae fuit ad horam nascentium, facere potuisse, ut ab eo tam multum uirginali sanctitate distaret?

CAPUT VII.

De electione diei, quo uxor ducitur quoue in agro aliquid plantatur aut seritur.

Iam illud quis ferat, quod in eligendis diebus noua quaedam suis actibus fata moliuntur? Non erat uidelicet ille ita natus, ut haberet admirabilem filium, sed ita potius, ut contemtibilem gigneret, et ideo uir doctus elegit horam qua misceretur uxori. Fecit ergo fatum, quod non habebat, et ex ipsius facto coepit esse fatale, quod in eius natiuitate non fuerat. O stultitiam singularem! Eligitur dies ut ducatur uxor; credo propterea, quia potest in diem non bonum, nisi eligatur, incurri et infeliciter duci. Ubi est ergo quod nascenti iam sidera decreuerunt? An potest homo, quod ei iam constitutum est, diei electione mutare, et quod ipse in eligendo die constituerit, non poterit ab alia potestate mutari? Deinde si soli homines, non autem omnia quae sub caelo sunt, constellationibus subiacent, quur aliter eligunt dies adcommodatos ponendis uitibus uel arboribus uel segetibus, alios dies pecoribus uel domandis uel admittendis maribus, quibus equarum uel boum fetentur armenta, et cetera huius modi? Si autem propterea ualent ad has res dies electi, quia terrenis omnibus corporibus siue animantibus secundum diuersitates tempo-

1 *et* 4 sider/um, *eraso* e, *C* 2 oram L^1 3 eadem L^1 10 legendis $\Lambda^1 e^1$ 11 uide]licet ille ita natus *om.* C^1 15 fato *e* quępit $L\,\Lambda^1$; coepesse *C* 17 elegatur *C* 18 nascentia e^1 20 electione/, m *eraso*, *C* 23 aliter *codd. praeter q Domb.*; alios *q v* 25 amittendis *L*, inmittendis Λ 28 siue animantibus *codd.*; siue anim. siue non animantibus *v*

ralium momentorum siderum positio dominatur; considerent quam innumerabilia sub uno temporis puncto uel nascantur uel oriantur uel inchoentur, et tam diuersos exitus habeant, ut istas obseruationes cuiuis puero ridendas esse persuadeant. Quis enim est tam excors, ut audeat dicere omnes arbores, omnes herbas, omnes bestias serpentes aues pisces uermiculos momenta nascendi singillatim habere diuersa? Solent tamen homines ad tentandam peritiam mathematicorum adferre ad eos constellationes mutorum animalium, quorum ortus propter hanc explorationem domi suae diligenter obseruant, eosque mathematicos praeferunt ceteris, qui constellationibus inspectis dicunt non esse hominem natum, sed pecus. Audent etiam dicere quale pecus, utrum aptum lanitio, an uectationi, an aratro, an custodiae domus. Nam et ad canina fata tentantur et cum magnis admirantium clamoribus ista respondent. Sic desipiunt homines, ut existiment, cum homo nascitur, ceteros rerum ortus ita inhiberi, ut cum illo sub eadem caeli plaga nec musca nascatur. Nam si hanc admiserint, procedit ratiocinatio, quae gradatim accessibus modicis eos a muscis ad camelos elephantosque perducat. Nec illud uolunt aduertere, quod electo ad seminandum agrum die tam multa grana in terram simul ueniunt, simul germinant, exorta segete simul herbescunt pubescunt flauescunt, et tamen inde spicas ceteris coaeuas adque, ut ita dixerim, congerminales alias robigo interimit, alias aues depopulantur, alias homines auellunt. Quo modo istis alias constellationes fuisse dicturi sunt, quas tam diuersos exitus habere conspiciunt? An eos paenitebit his rebus dies eligere easque ad caeleste negabunt pertinere decretum, et solos sideribus subdent homines, quibus solis in

1 sider/um, *eraso* e, *C* 2 nascuntur *e* 3 inchoantur *e* 4 istas, *in margine* ipsas, *e* cuius e^1 6 uestias *L* 10 obserbant *L*, obseruabant Λ 14 de canino *e* 15 *sqq.* cum *radendo ex* quum *corr. L* 18 ammiserint *L* Λ 22 terra Λ^2 23 heruescunt puuescunt *L* Λ 24 spicas, c *in ras., L* ceteris *om.* C^1 25 interimit, *prius* i *in ras., L* 26 sint Λ^1 28 negabunt ad caeleste *C*

terra Deus dedit liberas uoluntates? His omnibus consideratis non inmerito creditur, cum astrologi mirabiliter multa uera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas et noxias opiniones de astralibus fatis inserere humanis mentibus adque firmare, non horoscopi notati et inspecti aliqua arte, quae nulla est.

CAPUT VIII.

De his, qui non astrorum positionem, sed conexionem causarum ex Dei uoluntate pendentem fati nomine appellant.

Qui uero non astrorum constitutionem, sicuti est cum quidque concipitur uel nascitur uel inchoatur, sed omnium conexionem seriemque causarum, qua fit omne quod fit, fati nomine appellant: non multum cum eis de uerbi controuersia laborandum adque certandum est, quando quidem ipsum causarum ordinem et quandam conexionem Dei summi tribuunt uoluntati et potestati, qui optime et ueracissime creditur et cuncta scire antequam fiant, et nihil inordinatum relinquere; a quo sunt omnes potestates, quamuis ab illo non sint omnium uoluntates. Ipsam itaque praecipue Dei summi uoluntatem, cuius potestas insuperabiliter per cuncta porrigitur, eos appellare fatum sic probatur. Annaei Senecae sunt, nisi fallor, hi uersus:

Duc, summe pater altique dominator poli,
Quocumque placuit, nulla parendi mora est.
Adsum inpiger: fac nolle, comitabor gemens
Malusque patiar, facere quod licuit bono.
Ducunt uolentem fata, nolentem trahunt.

24 Ep. 107

1 liueras *L* 2 non inmerito] merito *C* 3 spiritum C^1 15 lauor. *L* Λ est adque cert. *C* 19 non sint ab illo α *Domb.*[1] 21 cui *C* 22 prouatur *L* Λ anne *b;* amici *q* 23 hi *om.* α^1 24 *in margine m. uet. adscriptum est* enniuf *C* dux e^1 α *f;* dux ē *k, e in marg.;* duc me *q* 26 assum *L* Λ *e* 27 libuit Cq^2

Nempe euidentissime hoc ultimo uersu ea fata appellauit, quam supra dixerat summi patris uoluntatem; cui paratum se oboedire dicit, ut uolens ducatur, ne nolens trahatur; quoniam scilicet

Ducunt uolentem fata, nolentem trahunt.

Illi quoque uersus Homerici huic sententiae suffragantur, quos Cicero in Latinum uertit:

Tales sunt hominum mentes, quali pater ipse
Iuppiter auctiferas lustrauit lumine terras.

Nec in hac quaestione auctoritatem haberet poetica sententia; sed quoniam Stoicos dicit uim fati adserentes istos ex Homero uersus solere usurpare, non de illius poetae, sed de istorum philosophorum opinione tractatur, cum per istos uersus, quos disputationi adhibent quam de fato habent, quid sentiant esse fatum apertissime declaratur, quoniam Iouem appellant, quem summum deum putant, a quo conexionem dicunt pendēre fatorum.

CAPUT VIIII.

De praescientia Dei et libera hominis uoluntate contra Ciceronis definitionem.

Hos Cicero ita redarguere nititur, ut non existimet aliquid se aduersus eos ualere, nisi auferat diuinationem. Quam sic conatur auferre, ut neget esse scientiam futurorum, eamque omnibus uiribus nullam esse omnino contendat, uel in homine uel in deo, nullamque rerum praedictionem. Ita et Dei praescientiam negat et omnem prophetiam luce clariorem conatur euertere uanis argumentationibus et obponendo sibi quaedam

6 Od. XVIII, 136 sq. 7 Acad.? 21 Diuin. II

2 quam] cum *α*; quae *b q* α^2 *k, in margine e* se paratum *v* 3 ne *sup. lin. L* 6 suffagantur, su *m. 2 in ras., C* 8 tale C^1 qualis *e*; quales *a* 9 terra C^1 11 istis *e* 12 illis *e* 13 quod Λ^1 14 athibent *L* Λ 20 diffin. *p* 21 nitur C^1 24 uel in Deo uel in homine *v*

oracula, quae facile possunt refelli; quae tamen nec ipsa conuincit. In his autem mathematicorum coniecturis refutandis eius regnat oratio, quia uere tales sunt, ut se ipsae destruant et refellant. Multo sunt autem tolerabiliores, qui uel siderea fata constituunt, quam iste qui tollit praescientiam futurorum. Nam et confiteri esse Deum et negare praescium futurorum apertissima insania est. Quod et ipse cum uideret, etiam illud tentauit quod scriptum est: Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus; sed non ex sua persona. Vidit enim quam esset inuidiosum et molestum, ideoque Cottam fecit disputantem de hac re aduersus Stoicos in libris de deorum natura et pro Lucilio Balbo, cui Stoicorum partes defendendas dedit, maluit ferre sententiam quam pro Cotta, qui nullam diuinam naturam esse contendit. In libris uero de diuinatione ex se ipso apertissime obpugnat praescientiam futurorum. Hoc autem totum facere uidetur, ne fatum esse consentiat et perdat liberam uoluntatem. Putat enim concessa scientia futurorum ita esse consequens fatum, ut negari omnino non possit. Sed quoquo modo se habeant tortuosissimae concertationes et disputationes philosophorum, nos ut confitemur summum et uerum Deum, ita uoluntatem summamque potestatem ac praescientiam eius confitemur; nec timemus ne ideo non uoluntate faciamus, quod uoluntate facimus, quia id nos facturos ille praesciuit, cuius praescientia falli non potest; quod Cicero timuit, ut obpugnaret praescientiam, et Stoici, ut non omnia necessitate fieri dicerent, quamuis omnia fato fieri contenderent.

Quid est ergo, quod Cicero timuit in praescientia futurorum, ut eam labefactare disputatione detestabili niteretur? Videlicet

8 Ps. 13, 1 11 Lib. III

2 coniect. mathem. *C* 4 autem sunt *C* 6 praescientiam *C* 8 temtauit quod *L Λ C d e p*^{1} *α k f*; temt. asserere quod *a b p*^{2} *q v* 11 aduersus *L Λ C a b d e p*; aduersum *v Domb.* istoicos *L Λ*^{1} 14 diuinam nat. *codd.*; nat. diu. *v* esse . . . . . diuinatione *in marg. e* de *sup. lin. C* diuinatione/, m *eraso, L* 17 liueram *L* 20 et uerum *om. C*^{1} 25 istoici *L*^{1} *Λ*^{1} 27 ergo est *q* 28 lauefactare *et* detestauili *L Λ*

quia, si praescita sunt omnia futura, hoc ordine uenient, quo uentura esse praescita sunt; et si hoc ordine uenient, certus est ordo rerum praescienti Deo; et si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum; non enim fieri aliquid potest, quod non aliqua efficiens causa praecesserit; si autem certus est ordo causarum, quo fit omne quod fit, fato, inquit, fiunt omnia quae fiunt. Quod si ita est, nihil est in nostra potestate nullumque est arbitrium uoluntatis; quod si concedimus, inquit, omnis humana uita subuertitur, frustra leges dantur, frustra obiurgationes laudes, uituperationes exhortationes adhibentur, neque ulla iustitia bonis praemia et malis supplicia constituta sunt. Haec ergo ne consequantur indigna et absurda et pernicioɜa rebus humanis, non uult esse praescientiam futurorum; adque in has angustias coartat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra uoluntate, aut esse praescientiam futurorum, quoniam utrumque arbitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli; si elegerimus praescientiam futurorum, tolli uoluntatis arbitrium; si elegerimus uoluntatis arbitrium, tolli praescientiam futurorum. Ipse itaque, ut uir magnus et doctus et uitae humanae plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus elegit liberum uoluntatis arbitrium; quod ut confirmaretur, negauit praescientiam futurorum adque ita, dum uult facere liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur et fide pietatis utrumque confirmat. Quo modo? inquit; nam si est praescientia futurorum, sequentur illa omnia, quae conexa sunt, donec eo perueniatur, ut nihil sit in nostra uoluntate. Porro si est aliquid

13 Fat. 10 sqq.

2 uentura] futura *e* 4 aliquid fieri *v* 6 inquid $L^1\Lambda$ 11 suplicia $L^1\Lambda$ 12 constita C^1 ne] ñ *e* 14 coartat *codd.;* coarctat *v* 15 ut] et *e* e] de *e α* 16 non esse *e* 18 praesc. fut. tolli *om.* e^1 tolli *ex* illi *corr. C* 19 si el. uol. arbitr. *om.* e^1 20 futuram C^1 21 plurimąe Λ ac *om.* Λ 22 eligit C^1 liuerum *et* 24 liueros *L* 24 fecit *L* Λ *C a b d e p v*; facit *q Domb.* 25 eligit utrumque *om.* Λ

in nostra uoluntate, eisdem recursis gradibus eo peruenitur, ut non sit praescientia futurorum. Nam per illa omnia sic recurritur: si est uoluntatis arbitrium, non omnia fato fiunt; si non omnia fato fiunt, non est omnium certus ordo causarum; si certus ordo causarum non est, nec rerum certus est ordo praescienti Deo, quae fieri non possunt, nisi praecedentibus et efficientibus causis; si rerum ordo praescienti Deo certus non est, non omnia sic ueniunt, ut ea uentura praesciuit; porro si non omnia sic ueniunt, ut ab illo uentura praescita sunt, non est, inquit, in Deo praescientia omnium futurorum.

Nos aduersus istos sacrilegos ausus adque inpios et Deum dicimus omnia scire antequam fiant. et uoluntate nos facere, quidquid a nobis non nisi uolentibus fieri sentimus et nouimus. Omnia uero fieri fato non dicimus, immo nulla fieri fato dicimus; quoniam fati nomen ubi solet a loquentibus poni, id est in constitutione siderum cum quisque conceptus aut natus est, quoniam res ipsa inaniter adseritur, nihil ualere monstramus. Ordinem autem causarum, ubi uoluntas Dei plurimum potest, neque negamus, neque fati uocabulo nuncupamus, nisi forte ut fatum a fando dictum intellegamus, id est a loquendo; non enim abnuere possumus esse scriptum in litteris sanctis: Semel locutus est Deus, duo haec audiui, quoniam potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia, qui reddis unicuique secundum opera eius. Quod enim dictum est: Semel locutus est,

23 Ps. 61, 12 sq.

5 si certus ordo causarum *L* Λ *superscriptis transpositionis signis;* si cert. caus. ordo *C a b d e q v;* si non est certus ordo causarum *p* 8 /ueniunt, e *eras.*, *L;* eueniunt *α* ut ea] ut ab illo *q* ea *om. α* 9 praescibit *L* Λ eueniunt *α* 15 fieri fato *L* Λ, *in L m. 2 superscripta sunt transpositionis signa;* fato fieri *rell. v* (*opponuntur:* omnia fieri fato *et* nulla fieri fato) 20 uocauulo *L* Λ 21 ductum Λ^1 24 audibi L^1 quoniam *L* Λ *a b d e p q v;* quia *Ç Domb.* est Dei *v* 25 qui reddis L^1 Λ^1 C^1 *b q α* k^1*;* qui reddes L^2 C^2 *e p;* quia reddes k^2 *f;* quia tu reddis Λ^2*;* quia tu reddes *v Domb.*

intellegitur 'inmobiliter', hoc est incommutabiliter, 'est locutus', sicut nouit incommutabiliter omnia quae futura sunt et quae ipse facturus est. Hac itaque ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen iam in alia re soleret intellegi, quo corda hominum nolumus inclinari. Non est autem consequens, ut, si Deo certus est omnium ordo causarum, ideo nihil sit in nostrae uoluntatis arbitrio. Et ipsae quippe nostrae uoluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo eiusque praescientia continetur, quoniam et humanae uoluntates humanorum operum causae sunt. Adque ita, qui omnes rerum causas praesciuit, profecto in eis causis etiam nostras uoluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esse praesciuit.

Nam et illud, quod idem Cicero concedit, nihil fieri si causa efficiens non praecedat, satis est ad eum in hac quaestione redarguendum. Quid enim eum adiuuat, quod dicit nihil quidem fieri sine causa, sed non omnem causam esse fatalem, quia est causa fortuita, est naturalis, est uoluntaria? Sufficit, quia omne, quod fit, non nisi causa praecedente fieri confitetur. Nos enim eas causas, quae dicuntur fortuitae, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas, sed latentes, easque tribuimus uel Dei ueri uel quorumlibet spirituum uoluntati, ipsasque naturales nequaquam ab illius uoluntate seiungimus, qui est auctor omnis conditorque naturae. Iam uero causae uoluntariae aut Dei sunt aut angelorum aut hominum aut quorumque animalium, si tamen uoluntates appellandae sunt animarum rationis expertium motus illi, quibus aliqua faciunt secundum naturam suam, cum quid uel adpetunt uel euitant. Angelorum autem uoluntates dico seu bonorum,

14 Fat. 10 sqq.

1 immouiliter *L* Λ 2 incommutauiliter *L* 3 possumus $\Lambda^2 e^2$ a *m. 1 sup. lin. L* 4 solet C^1 5 inclinare *C* 19 quia omne quod fit *sup. lin. C* praecedente . . . . . causas *in marg. e* 26 uolunt. appell. sunt *codd.;* appell. sunt uol. *v* 27 animarum *codd. praeter q;* animalium *q v* 29 seu . . seu *codd.;* siue . . siue *v*

quos angelos Dei dicimus, seu malorum, quos angelos diaboli uel etiam daemones appellamus: sic et hominum, et bonorum scilicet et malorum. Ac per hoc colligitur non esse causas efficientes omnium quae fiunt nisi uoluntarias, illius naturae scilicet, quae spiritus uitae est. Nam et aer iste seu uentus dicitur spiritus; sed quoniam corpus est, non est spiritus uitae. Spiritus ergo uitae, qui uiuificat omnia creatorque est omnis corporis et omnis creati spiritus, ipse est Deus, spiritus utique non creatus. In eius uoluntate summa potestas est, quae creatorum spirituum bonas uoluntates adiuuat, malas iudicat, omnes ordinat et quibusdam tribuit potestates, quibusdam non tribuit. Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non uoluntatum. Malae quippe uoluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt, quae ab illo est. Corpora igitur magis subiacent uoluntatibus, quaedam nostris, id est omnium animantium mortalium et magis hominum quam bestiarum; quaedam uero angelorum; sed omnia maxime Dei uoluntati subdita sunt, cui etiam uoluntates omnes subiciuntur, quia non habent potestatem nisi quam ille concedit. Causa itaque rerum, quae facit nec fit, Deus est; aliae uero causae et faciunt et fiunt, sicut sunt omnes creati spiritus, maxime rationales. Corporales autem causae, quae magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes adnumerandae, quoniam hoc possunt, quod ex ipsis faciunt spirituum uoluntates. Quo modo igitur ordo causarum, qui praescienti certus est Deo, id efficit, ut nihil sit in nostra uoluntate, cum in ipso causarum ordine magnum habeant locum nostrae uoluntates? Contendat ergo Cicero cum eis, qui hunc causarum ordinem dicunt esse fatalem uel potius ipsum fati nomine appellant, quod nos abhor-

1 quos ... seu malorum *corr. manu in margine infer.*, *b* 2 et bonorum *mss.*; et *om.* *v* 4 ęst omnium *C* 5 seuentus *C* 7 creatorque, que *sup. lin.* *C* 8 et] ut *e* 10 bon. uolunt. *codd.*; uol. bon. *v* adiubat *L Λ* 17 uestiarum *L Λ* 28 habeant *om.* *e* 29 quum L^1

remus praecipue propter uocabulum, quod non in re uera consueuit intellegi. Quod uero negat ordinem omnium causarum esse certissimum et Dei praescientiae notissimum, plus eum quam Stoici detestamur. Aut enim esse Deum negat, quod quidem inducta alterius persona in libris de deorum natura facere molitus est; aut si esse confitetur Deum, quem negat praescium futurorum, etiam sic nihil dicit aliud, quam quod ille dixit insipiens in corde suo: Non est Deus. Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus. Quapropter et uoluntates nostrae tantum ualent, quantum Deus eas ualere uoluit adque praesciuit; et ideo quidquid ualent, certissime ualent, et quod facturae sunt, ipsae omnino facturae sunt, quia ualituras adque facturas ille praesciuit, cuius praescientia falli non potest. Quapropter si mihi fati nomen alicui rei adhibendum placeret, magis dicerem fatum esse infirmioris potentioris uoluntatem, qui eum habet in potestate, quam illo causarum ordine, quem non usitato sed suo more Stoici fatum appellant, arbitrium nostrae uoluntatis auferri.

CAPUT X.

An uoluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas.

Unde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laborauerunt causas rerum distinguere ita, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent, adque in his, quas esse sub necessitate uoluerunt, posuerunt etiam nostras uoluntates, ne uidelicet non essent liberae, si subderentur ne-

8 Ps. 13, 1

1 consuebit *L* Λ 3 et . . notissimum *om.* Λ¹ 4 esse deum *codd.;* Deum esse *v* 7 dicit nihil *v* 13 ualeturas *C*¹ 15 adhibendum . . . . . in *L m. 1 in infer. margine; inde factum est ut haec uerba in apographo* Λ *male insererentur v. 13 ante* quia; *correctoris deinde manu lineolis deleta et in margine inferiore scripta sunt notato loco ubi sint inserenda* 17 usitato] iusto *e*¹ 24 lauor. *L* Λ distinguere ita *L* Λ¹*; in L m. 2 transpositio notata est;* ita dist. *C rell. v* 27 liuerae *L*

cessitati. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quae non est in nostra potestate, sed etiam si nolimus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est uoluntates nostras, quibus recte uel perperam uiuitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quae si nollemus, non utique faceremus. Quo primitus pertinet ipsum uelle; nam si uolumus, est, si nolumus, non est; non enim uellemus, si nollemus. Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse ut ita sit aliquid uel ita fiat, nescio quur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat uoluntatis. Neque enim et uitam Dei et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper uiuere et cuncta praescire; sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius, si posset, minoris esset utique potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori et falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod uult, non patiendo quod non uult; quod ei si accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea quaedam non potest, quia omnipotens est. Sic etiam cum dicimus necesse esse, ut, cum uolumus, libero uelimus arbitrio: et uerum procul dubio dicimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subicimus, quae adimit libertatem. Sunt igitur nostrae uoluntates et ipsae faciunt, quidquid uolendo facimus, quod non fieret, si nollemus. Quidquid autem aliorum hominum uoluntate nolens quisque patitur, etiam sic uoluntas ualet, etsi non illius, tamen hominis uoluntas; sed potestas Dei. Nam si uoluntas tantum esset nec posset quod uellet, potentiore uoluntate inpediretur; nec sic tamen uoluntas nisi uoluntas esset, nec alterius, sed

2 ino/ftra, n *eras.*, *C* nolimus *L* Λ C^1 *a b e q v*; nolumus C^2 *d p α k Domb.* 4 uibitur *L* 6 facemus *C* 10 liuert. *L* 11 sub..... deum *L m. 1 in marg. infer.* 12 necesse est *C* 15 ut si potius hoc posse *C* esse *L* 18 si *sup. lin. L* 21 liuero *et sic l. sq. L* 22 quae, *in marg. adscript.* quia, *e* 29 si $Λ^1$ nec..... posset *m. 1 in marg. infer. L*

eius esset qui uellet, etsi non posset inplere quod uellet. Unde quidquid praeter suam uoluntatem patitur homo, non debet tribuere humanis uel angelicis uel cuiusquam creati spiritus uoluntatibus, sed eius potius, qui dat potestatem uolentibus.

Non ergo propterea nihil est in nostra uoluntate, quia Deus praesciuit quid futurum esset in nostra uoluntate. Non enim, qui hoc praesciuit, nihil praesciuit. Porro si ille, qui praesciuit quid futurum esset in nostra uoluntate, non utique nihil, sed aliquid praesciuit: profecto et illo praesciente est aliquid in nostra uoluntate. Quocirca nullo modo cogimur aut retenta praescientia Dei tollere uoluntatis arbitrium aut retento uoluntatis arbitrio Deum (quod nefas est) negare praescium futurorum; sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter et ueraciter confitemur; illud, ut bene credamus; hoc, ut bene uiuamus. Male autem uiuitur, si de Deo non bene creditur. Unde absit a nobis eius negare praescientiam, ut libere uelimus, quo adiuuante sumus liberi uel erimus. Proinde non frustra sunt leges obiurgationes exhortationes laudes et uituperationes, quia et ipsas futuras esse praesciuit, et ualent plurimum, quantum eas ualituras esse praesciuit, et preces ualent ad ea inpetranda, quae se precantibus concessurum esse praesciuit, et iuste praemia bonis factis et peccatis supplicia constituta sunt. Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum esse praesciuit; immo ideo non dubitatur ipsum peccare cum peccat, quia ille, cuius praescientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse praesciuit. Qui si nolit, utique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille praesciuit.

1 bellet *L* si Λ^1 8 nihil praescibit *L* prae,uit, *superscripto* sci, Λ 10 sed *sup. lin.* Λ 13 aruitrio *L;* arbitrium e^1. *post* arbitrium *in e crasa sunt repetita uerba* aut retento uoluntatis arbitrio 16 uibamus *L* uibitur *L* 17 libere (liuere *L*) uelimus *codd. excepto p;* liberi esse uelimus *p v* 18 liueri *L* 21 quantum, *ex* quantas *ut uidetur correctum, C* ualeturas C^1 24 nec *q* peccat *L* Λ^1 *C d p q v;* non peccat Λ^2 *a b e α k f Domb.* 25 eum *e*

CAPUT XI.

De uniuersali prouidentia Dei, cuius legibus omnia continentur.

Deus itaque summus et uerus cum Uerbo suo et Spiritu sancto, quae tria unum sunt, Deus unus omnipotens, creator et factor omnis animae adque omnis corporis, cuius sunt participatione felices, quicumque sunt ueritate, non uanitate felices, qui fecit hominem rationale animal ex anima et corpore, qui eum peccantem nec inpunitum esse permisit nec sine misericordia dereliquit; qui bonis et malis essentiam etiam cum lapidibus, uitam seminalem etiam cum arboribus, uitam sensualem etiam cum pecoribus, uitam intellectualem cum solis angelis dedit; a quo est omnis modus omnis species omnis ordo; a quo est mensura numerus pondus; a quo est quidquid naturaliter est, cuiuscumque generis est, cuiuslibet aestimationis est; a quo sunt semina formarum formae seminum motus seminum adque formarum; qui dedit et carni originem pulchritudinem ualetudinem, propagationis fecunditatem membrorum dispositionem salutem concordiae; qui et animae inrationali dedit memoriam sensum adpetitum, rationali autem insuper mentem intellegentiam uoluntatem; qui non solum caelum et terram, nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemtibilis animantis uiscera nec auis pinnulam, nec herbae flosculum nec arboris folium sine suarum partium conuenientia et quadam ueluti pace dereliquit: nullo modo est credendus regna hominum eorumque dominationes et seruitutes a suae prouidentiae legibus alienas esse uoluisse.

4 spirito C^1 5 sunt *om.* C^1 6 quius L^1 7 e ueritate, e *m. 2 insert.*, *e* 8 rationabile, bi *punctis deleta*, *C* 10 derelinquit $L\,\Lambda^1$ 15 generi C^1 16 formae .... formarum *om. e* 18 fecunditate $L^1\,C$ 19 compositionem *e* concordiam *b*; concordiā *q* 20 inrationabili *k f* rationabili *f* 22 caelum .. nec *om.* C^1 23 contemti L^1 animatis L^1 24 pinnulam $L\,\Lambda\,C^1$ *Domb.*; pennulam C^2 *rell. v* 25 derelinquit $L\,\Lambda^1$

CAPUT XII.

Quibus moribus antiqui Romani meruerint, ut Deus uerus, quamuis non eum colerent, eorum augeret imperium.

Proinde uideamus, quos Romanorum mores et quam ob causam Deus uerus ad augendum imperium adiuuare dignatus est, in cuius potestate sunt etiam regna terrena. Quod autem ut absolutius disserere possemus, ad hoc pertinentem etiam superiorem librum conscripsimus, quod in hac re potestas nulla sit eorum deorum, quos etiam rebus nugatoriis colendos putarunt, et praesentis uoluminis partes superiores, quas huc usque perduximus, de fati quaestione tollenda, ne quisquam, cui iam persuasam esset non illorum deorum cultu Romanum imperium propagatum adque seruatum, nescio cui fato potius id tribueret quam Dei summi potentissimae uoluntati. Ueteres igitur primique Romani, quantum eorum docet et commendat historia, quamuis ut aliae gentes excepta una populi Hebraeorum deos falsos colerent et non Deo uictimas, sed daemoniis immolarent, tamen 'laudis auidi, pecuniae liberales erant, gloriam ingentem, diuitias honestas uolebant'; hanc ardentissime dilexerunt, propter hanc uiuere uoluerunt, pro hac emori non dubitauerunt; ceteras cupiditates huius unius ingenti cupiditate presserunt. Ipsam denique patriam suam, quoniam seruire uidebatur inglorium, dominari uero adque imperare gloriosum, prius omni studio liberam, deinde domi-

19 Sall. Cat. 7

2 meruerunt *p* 3 eum non *p* 7 regna/terrena, n *eraso*, *C* Quod autem ut *C;* quod autem *L* Λ[1]; quod ut Λ[2] *a b d e p q v Domb.* 8 discere *L*[1] possemus *L* Λ *a b d e p q k*[1] *v;* possimus *C α k*[2] *f Domb.* etiam *L* Λ *p;* et *C rell. v Domb.* 9 potes///tas, *erasis ut uidetur bis positis litteris* tas, *C* 10 deorum *om. C* 14 qui *L*[1] 15 id trib. *C*[1]; attrib. *C*[2] 18 crederent, *in margine* colerent, *e* 19 abidi *L* Λ liuer. *L* 21 uibere *L;* uincere *a;* uincere *superscripto* ł uinere *b* pro hac emori *L*[1] *C v;* pro hac et mori *L*[2] Λ *b e p;* propter hanc emori *a;* propter hanc et mori *d*

nam esse concupiuerunt. Hinc est quod regalem dominationem non ferentes 'annua imperia binosque imperatores sibi fecerunt, qui consules appellati sunt a consulendo, non reges aut domini a regnando adque dominando'; cum et reges utique a regendo dicti melius uideantur, ut regnum a regibus, reges autem, ut dictum est, a regendo; sed fastus regius non disciplina putata est regentis uel beneuolentia consulentis, sed superbia dominantis. Expulso itaque rege Tarquinio et consulibus institutis secutum est, quod idem auctor in Romanorum laudibus posuit, quod 'ciuitas incredibile memoratu est adepta libertate quantum breui creuerit; tanta cupido gloriae incesserat.' Ista ergo laudis auiditas et cupido gloriae multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet adque gloriosa secundum hominum existimationem.

Laudat idem Sallustius temporibus suis magnos et praeclaros uiros, Marcum Catonem et Gaium Caesarem, dicens quod diu illa res publica non habuit quemquam uirtute magnum, sed sua memoria fuisse illos duos ingenti uirtute, diuersis moribus. In laudibus autem Caesaris posuit, quod sibi magnum imperium, exercitum, bellum nouum exoptabat, ubi uirtus enitescere posset. Ita fiebat in uotis uirorum uirtute magnorum, ut excitaret in bellum miseras gentes et flagello agitaret Bellona sanguineo, ut esset ubi uirtus eorum enitesceret. Hoc illa profecto laudis auiditas et gloriae cupido faciebat. Amore itaque primitus libertatis, post etiam dominationis et cupiditate laudis et gloriae multa magna fecerunt. Reddit eis utriusque rei testimonium etiam poeta insignis illorum; inde quippe ait:

2 Cic. rep. II, 31 10 Sall. Cat. 7 15 Cat. 53 sq.

1 concupiuerunt *codd.*; concupierunt *v* 2 fecerunt *L Λ C a b d e p q k f v*; fecere *α Domb.* 3 aut] ac *α* 6 regius *m. 2 in fine uersus C* 7 beniuolentia *L Λ C e* sed *om. l*[1] 9 sequtum *L Λ* est *sup. lin. C* 10 incrediuile *L* memoratus *C*[1]; memoratū *C*[2] est *om. C a*[2] liuert. *C* 13 laudauilia *L* 16 M. *C* G. *C* 20 exoptauat *L Λ* 21 fiebat, d *m. 2 superscript. C*; fidebat *uett. editt.* 25 liuert. *L* 27 reddi *C* rei *om. q*[1] poeta testimonium etiam *q*

Nec non Tarquinium eiectum Porsenna iubebat
Accipere ingentique urbem obsidione premebat;
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.

Tunc itaque magnum illis fuit aut fortiter mori aut liberos uiuere. Sed cum esset adepta libertas, tanta cupido gloriae incesserat, ut parum esset sola libertas, nisi et dominatio quaereretur, dum pro magno habetur, quod uelut loquente Ioue idem poeta dicit:

Quin aspera Iuno,
Quae mare nunc terrasque metu caelumque fatigat,
Consilia in melius referet mecumque fouebit
Romanos rerum dominos gentemque togatam.
Sic placitum. Ueniet lustris labentibus aetas,
Cum domus Assaraci Phthiam clarasque Mycenas
Seruitio premet ac uictis dominabitur Argis.

Quae quidem Vergilius Iouem inducens tamquam futura praedicentem ipse iam facta recolebat cernebatque praesentia; uerum propterea commemorare illa uolui, ut ostenderem dominationem post libertatem sic habuisse Romanos, ut in eorum magnis laudibus poneretur. Hinc est et illud eiusdem poetae, quod, cum artibus aliarum gentium eas ipsas proprias Romanorum artes regnandi adque imperandi et subigendi ac debellandi populos anteponeret, ait:

Excudent alii spirantia mollius aera,
Cedo equidem, uiuos ducent de marmore uultus,
Orabunt causas melius caelique meatus
Describent radio et surgentia sidera dicent:

1 Aen. VIII, 646 sqq. 9 Aen. I, 279 sqq. 24 Aen. VI, 847 sqq.

1 iubebat accipere *erasa sunt in e et m. 2 superscriptum* restituere nolebat 3 ene[ades ad ferrum *m. 2 in ras. e* 4 mori $L\,\Lambda^1 p$; emori *rell. v Domb.* liueros uibere L 5 *et* 6 liuertas L 7 habetur $L\,\Lambda\,C$ $d\,e\,p\,\alpha^1\,k^1$; haberetur $a\,b\,q\,\alpha^2\,k^2\,f\,v$ 13 lauentibus $L\,\Lambda$ 14 pthiam $L\,\Lambda\,C$; phythiã *e* 17 facta *ex* fato *corr. b* 18 propterea *om.* C^1 19 liuert. L 21 al. gent. art. *v* 22 subigendi Λ^2, C^2 *in marg.*, $a\,b\,d\,p\,q\,k\,v$; subigiendi $L\,\Lambda^1$; subiendi *f*; subiugandi *e* (*in marg.* subigendi), α *Domb.*; *om.* C^1 25 cedo equidem $L\,\Lambda^2\,C\,d\,e\,k$ *Domb.*; cedequidem $\Lambda^1 p$ *f*; caedo eq. α^1; credo eq. $a\,b\,q\,\alpha^2\,v$ 26 melius] alii *a* 27 fulgentia *C*

Tu regere imperio populos, Romane, memento
(Hae tibi erunt artes) pacique inponere mores,
Parcere subiectis et debellare superbos.

Has artes illi tanto peritius exercebant, quanto minus se uoluptatibus dabant et eneruationi animi et corporis in concupiscendis et augendis diuitiis et per illas moribus corrumpendis, rapiendo miseris ciuibus, largiendo scaenicis turpibus. [Unde] Qui tales iam morum labe superabant adque abundabant, quando scribebat ista Sallustius canebatque Vergilius, non illis artibus ad honores et gloriam, sed dolis adque fallaciis ambiebant. Unde idem dicit: 'Sed primo magis ambitio quam auaritia animos hominum exercebat, quod tamen uitium propius uirtutem erat. Nam gloriam honorem imperium bonus et ignauus aeque sibi exoptant; sed ille, inquit, uera uia nititur, huic quia bonae artes desunt, dolis adque fallaciis contendit.' Hae sunt illae bonae artes, per uirtutem scilicet, non per fallacem ambitionem ad honorem et gloriam et imperium peruenire; quae tamen bonus et ignauus aeque sibi exoptant; sed ille, id est bonus, uera uia nititur. Via uirtus est, qua nititur tamquam ad possessionis finem, id est ad gloriam honorem imperium. Hoc insitum habuisse Romanos etiam deorum aput illos aedes indicant, quas coniunctissimas constituerunt, Virtutis et Honoris, pro dis habentes quae

11 Cat. 11, 1

1 populo Ce^1 2 hae $L\Lambda Cabdepq\alpha v$; haec k^1 *Domb.*; hac f artes] partes *m. 1 sup. lin. L*, Λ mores $L\Lambda abdepq\alpha kf$; morem Cv *Domb.* 5 dabant. postea (posteri *m. 2*) uero paulatim degenerauerunt. uoluptatibus se dando. et eneruatione (*sic*) animi, *glossa marginali haud dubie in textum recepta*, p eneruatione $\alpha^1 k$; neruationi e 6 illa C^1 7 cibibus $L\Lambda$ 8 unde qui tales iam morum labe (laue $L\Lambda$) *mss., inclusi* unde, *quod ex initio sequentis sententiae huc irrepsisse uidetur. quae Domb. Morelium secutus edidit:* Undique tales iam morum labes superabant, *iam eo displicent, quod sequens pars sententiae* non illis artibus—ambiebant *et subiecto et uinculo caret* 11 inde α 12 animas b 13 proprius C^1 uirtute/, m *deleto, C;* uirtuti e 15 doli C^1 18 ignabus $L\Lambda$ 21 //imperium, et *eras., L* 23 uirtutes et honores C^1; Virtutis *om. e*

dantur a Deo. Unde intellegi potest quem finem uolebant esse uirtutis et quo eam referebant qui boni erant, ad honorem scilicet; nam mali nec habebant eam, quamuis honorem habere cuperent, quem malis artibus conabantur adipisci, id est dolis adque fallaciis.

Melius laudatus est Cato. De illo quippe ait: 'Quo minus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur.' Quando quidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant, iudicium hominum bene de hominibus opinantium; et ideo melior est uirtus, quae humano testimonio contenta non est nisi conscientiae suae. Unde dicit apostolus: Nam gloria nostra haec est: testimonium conscientiae nostrae; et alio loco: Opus autem suum probet unusquisque, et tunc in semet ipso tantum gloriam habebit et non in altero. Gloriam ergo et honorem et imperium, quae sibi exoptabant et quo bonis artibus peruenire nitebantur boni, non debet sequi uirtus, sed ipsa uirtutem. Neque enim est uera uirtus, nisi quae ad eum finem tendit, ubi est bonum hominis, quo melius non est. Unde et honores, quos petiuit Cato, petere non debuit, sed eos ciuitas ob eius uirtutem non petenti dare.

Sed cum illa memoria duo Romani essent uirtute magni, Caesar et Cato, longe uirtus Catonis ueritati uidetur propinquior fuisse quam Caesaris. Proinde qualis esset illo tempore ciuitas et antea qualis fuisset, uideamus in ipsa sententia Catonis: 'Nolite, inquit, existimare maiores nostros armis rem publicam ex parua magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus. Quippe sociorum adque ciuium, praeterea armorum et equorum maior copia nobis quam illis

6 Cat. 54, 6 11 2. Cor. 1, 12 12 Gal. 6, 4 25 Cat. 52, 19

1 uoleuant *L* 4 cupient $L^1 \Lambda^1$ que malis *C;* quē in malis *e* 7 peteuat *L* 10 testimonio *L* Λ *a b d e p q α k f v;* iudicio *C Domb.* 11 Nam et *b* 12 alio loco, *m. 2 superscripto* in, Λ 13 suum autem *L* Λ 19 petibit *L;* petiuit *m. 2 superscripto* ſpuit (*i. e.* spraeuit) *e* 20 cibitas *L*

est. Sed alia fuere quae illos magnos fecerunt, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam adque auaritiam, publice egestatem, priuatim opulentiam; laudamus diuitias, sequimur inertiam; inter bonos et malos discrimen nullum; omnia uirtutis praemia ambitio possidet. Neque mirum: ubi uos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi uoluptatibus, hic pecuniae aut gratiae seruitis, eo fit ut impetus fiat in uacuam rem publicam.'

Qui audit haec Catonis uerba siue Sallustii, putat, quales laudantur Romani ueteres, omnes eos tales tunc fuisse uel plures. Non ita est; alioquin uera non essent, quae ipse item scribit, ea quae commemoraui in secundo libro huius operis, ubi dicit, iniurias ualidiorum et ob eas discessionem plebis a patribus aliasque dissensiones domi fuisse iam inde a principio, neque amplius aequo et modesto iure actum quam expulsis regibus quamdiu metus a Tarquinio fuit, donec bellum graue, quod propter ipsum cum Etruria susceptum fuerat, finiretur; postea uero seruili imperio patres exercuisse plebem, regio more uerberasse, agro pepulisse et ceteris expertibus solos egisse in imperio; quarum discordiarum, dum illi dominari uellent, illi seruire nollent, finem fuisse bello Punico secundo, quia rursus grauis metus coepit urguere adque ab illis perturbationibus alia maiore cura cohibere animos inquietos et ad concordiam reuocare ciuilem. Sed per quosdam paucos, qui pro suo modo boni erant, magna administrabantur

14 c. 18

1 fecerunt *L Λ C a b d e p q k f v*; fecere *α* (*ut apud Sall.*) *Domb.* 3 liuid. *L* 6 uirtutum praemia ... mirum *m. uet. in marg. infer. C* 7 siui *L Λ* 9 impetus fiat, *in marg.* imperatur *e* 11 cathonis C^1 12 romani *om.* C^1 ueteres *om.* *a* tunc tales *C* 13 ita *om.* C^1 14 eaq; *L Λ* 21 morem C^1 ueruerasse *L Λ* 23 bellent *L* bellum punicum secundum b^1 *e k v* 24 urgere *Λ*; urgere *C* 26 cibilem *L Λ* 27 amminist. *L Λ*

adque illis toleratis ac temperatis malis paucorum bonorum prouidentia res illa crescebat; sicut idem historicus dicit multa sibi legenti et audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari adque terra praeclara facinora fecerit, libuisse adtendere quae res maxime tanta negotia sustinuisset; quoniam sciebat saepenumero parua manu cum magnis legionibus hostium contendisse Romanos, cognouerat paruis copiis bella gesta cum opulentis regibus; sibique multa agitanti constare dixit, paucorum ciuium egregiam uirtutem cuncta patrauisse, eoque factum ut diuitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. 'Sed postquam luxu adque desidia, inquit, ciuitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sui imperatorum adque magistratuum uitia sustentabat.' Paucorum igitur uirtus ad gloriam honorem imperium uera uia, id est ipsa uirtute, nitentium etiam a Catone laudata est. Hinc erat domi industria, quam commemorauit Cato, ut aerarium esset opulentum, tenues res priuatae. Unde corruptis moribus uitium e contrario posuit, publice egestatem, priuatim opulentiam.

CAPUT XIII.

De amore laudis, qui, cum sit uitium, ob hoc uirtus putatur, quia per ipsam uitia maiora cohibentur.

Quam ob rem quam diu fuissent regna Orientis inlustria, uoluit Deus et Occidentale fieri, quod tempore esset posterius, sed imperii latitudine et magnitudine inlustrius, idque talibus potissimum concessit hominibus ad domanda grauia mala multarum gentium, qui causa honoris laudis et gloriae consuluerunt patriae, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque

2 Cat. 53, 1 11 Cat. 52

1 tempera/tis, n *eraso, C* 3 legenti *L Λ C rell.;* et legenti *α Domb.* 4 licuisse Λ 5 adtendere *qa²k¹ Domb.;* se adtend. *LΛCa¹bcdepαk² fv* 8 quum L^1 opulentibus *α* 9 cibium *L Λ* 12 sua L^1 13 magistratum L^1 15 a *om.* L^1 21 ipsam *C;* ipsum *rell. v Domb.* 22 quam diu *L* Λ^1 *p;* cum diu *C rell. v Domb.* 25 multorum *C* 27 ipsa C^1; '*malim* ipsorum' *Domb.*

eius saluti suae praeponere non dubitauerunt, pro isto uno uitio, id est amore laudis, pecuniae cupiditatem et multa alia uitia conprimentes. Nam sanius uidet, qui et amorem laudis uitium esse cognoscit, quod nec poetam fugit Horatium, qui ait:

> Laudis amore tumes: sunt certa piacula, quae te
> Ter pure lecto poterunt recreare libello.

Idemque in carmine lyrico ad reprimendam dominandi libidinem ita cecinit:

> Latius regnes auidum domando
> Spiritum, quam si Libyam remotis
> Gadibus iungas et uterque Poenus
> Seruiat uni.

Uerum tamen qui libidines turpiores fide pietatis inpetrato Spiritu sancto et amore intellegibilis pulchritudinis non refrenant, melius saltem cupiditate humanae laudis et gloriae non quidem iam sancti, sed minus turpes sunt. Etiam Tullius hinc dissimulare non potuit in eisdem libris quos de re publica scripsit, ubi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum esse gloria, et consequenter commemorat maiores suos multa mira adque praeclara gloriae cupiditate fecisse. Huic igitur uitio non solum non resistebant, uerum etiam id excitandum et accendendum esse censebant, putantes hoc utile esse rei publicae. Quamquam nec in ipsis philosophiae libris Tullius ab hac peste dissimulet, ubi eam luce

6 Ep. 1, 1, 36 sq. 10 C. II, 2, 9 sqq. 19 Lib. V

1 uno uitio *m. 1 sup. lin. C* 2 pecunae *C* 3 sanus *a* 4 poeta C^1 orat. *C d e* 6 tumes: sunt] tumescunt *d e* 7 cum ter *C* tempore, *in marg.* al. q̄ te ter pure, *b* 10 latium *C* abidum *L* Λ^1 dominando Λ *C* e^2 q^1 *f*; dommandi e^1 14 liuid. *L* 15 intelligiuilis *L*; intelligẽtibilis *e* refrenat L^1 18 hinc] homo *q* deisdem *C* 19 statuendo *a* 21 multa gloriae mira adq. praeclara cupiditate *L* Λ, *transpositionis signa in L m. 2 superscripta sunt; in* Λ gloriae *m. 2 lineola deleta et super* cupiditate *scripta est* 22 igitur] ergo *p v* resistebat C^1 uerum ..... censebant *om. e* 23 accedendum *C*

clarius confitetur. Cum enim de studiis talibus loqueretur, quae utique sectanda sunt fine ueri boni, non uentositate laudis humanae, hanc intulit uniuersalem generalemque sententiam: 'Honos alit artes, omnesque accenduntur ad studia gloria iacentque ea semper, quae aput quosque inprobantur.'

CAPUT XIIII.

De resecando amore laudis humanae, quoniam iustorum gloria omnis in Deo sit.

Huic igitur cupiditati melius resistitur sine dubitatione quam ceditur. Tanto enim quisque est Deo similior, quanto et ab hac inmunditia mundior. Quae in hac uita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriae superetur dilectione iustitiae: ut, si alicubi iacent quae aput quosque inprobantur, si bona, si recta sunt, etiam ipse amor humanae laudis erubescat et cedat amori ueritatis. Tam enim est hoc uitium inimicum piae fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriae quam Dei timor uel amor, ut Dominus diceret: Quo modo potestis credere gloriam ab inuicem expectantes et gloriam quae a solo Deo est non quaerentes? Item de quibusdam, qui in eum crediderant et uerebantur palam confiteri, ait euangelista: Dilexerunt gloriam hominum magis quam Dei. Quod sancti apostoli non fecerunt; qui cum in his locis praedicarent Christi nomen, ubi non solum inprobabatur (sicut ille ait: iacentque ea semper, quae aput quosque inprobantur), uerum etiam summae dete-

4 Tusc. I, 2 19 Io. 5, 44 22 Io. 12, 43

1 qum L^1 4 acceduntur $L\,\Lambda^1\,C\,e^1$ 5 gloria *e* L, gloriae Λ, gloriam *e* C iacentque, n *m. 2 in ras.*, C improuantur $L\,\Lambda^1$ *et sic u. 26* 8 est p 11 et $L\,\Lambda\,e\,p\,q$; est C *rell.* v si, *et m. 1 sup. lin.*, L 14 ut *ex* et *corr.* Λ 15 humana *e* laudi *f* C 16 eruuesc. $L\,\Lambda$ hoc est C 19 potestes C^1 ab .. expectantes *om. e* 20 expec///tantes, *erasa syllaba* tan, C 24 in *om.* α 25 *et* 26 inprouab. $L\,\Lambda$

stationis habebatur, tenentes quod audierant a bono magistro eodemque medico mentium: Si quis me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo, qui in caelis est, uel coram angelis Dei, inter maledicta et obprobria, inter grauissimas persecutiones crudelesque poenas non sunt deterriti a praedicatione salutis humanae tanto fremitu offensionis humanae. Et quod eos diuina facientes adque dicentes diuineque uiuentes debellatis quodam modo cordibus duris adque introducta pace iustitiae ingens in ecclesia Christi gloria consecuta est: non in ea tamquam in suae uirtutis fine quieuerunt, sed eam quoque ipsam ad Dei gloriam referentes, cuius gratia tales erant, isto quoque fomite eos, quibus consulebant, ad amorem illius, a quo et ipsi tales fierent, accendebant. Namque ne propter humanam gloriam boni essent, docuerat eos magister illorum dicens: Cauete facere iustitiam uestram coram hominibus, ut uideamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis aput patrem uestrum, qui in caelis est. Sed rursus ne hoc peruerse intellegentes hominibus placere metuerent minusque prodessent latendo, quod boni sunt, demonstrans quo fine innotescere deberent: Luceant, inquit, opera uestra coram hominibus, ut uideant bona facta uestra et glorificent patrem uestrum, qui in caelis est. Non ergo ut uideamini ab eis, id est hac intentione, ut eos ad uos conuerti uelitis, quia non per uos aliquid estis; sed ut glorificent patrem uestrum, qui in caelis est, ad quem conuersi fiant quod estis. Hos secuti sunt martyres, qui Scaeuolas et Curtios et Decios non

2 Mt. 10, 33; Lc. 12, 9 15 Mt. 6, 1 21 Mt. 5, 16

2 eoque, dem *m. 1 superscript.*, *L* 3 est in celis *p* 4 uel *codd.*, et *v* 5 persequut. *L* Λ 6 fraemitu *C* 8 bibentes *L* 9 pace, ac *in ras.*, *C* 10 consequuta *L* Λ 12 cuius *radendo ex* quuius *corr. L* consuleuant *L* 13 accedebant *e* 14 nam//, *eraso* que, *b* ne *m. 1 sup. lin. L* 15 eos] ergo *L* cauete *e* 19 proessent *C* 20 demonstrat C^1 23 non *m. 1 sup. lin. L* 26 hos *b*; hoc *q α* 27 sequuti *L* Λ

sibi inferendo poenas, sed inlatas ferendo et uirtute uera, quoniam uera pietate, et innumerabili multitudine superarunt. Sed cum illi essent in ciuitate terrena, quibus propositus erat omnium pro illa officiorum finis incolumitas eius et regnum non in caelo, sed in terra; non in uita aeterna, sed in decessione morientium et successione morituroram: quid aliud amarent quam gloriam, qua uolebant etiam post mortem tamquam uiuere in ore laudantium?

CAPUT XV.

De mercede temporali, quam Deus reddidit bonis moribus Romanorum.

Quibus ergo non erat daturus Deus uitam aeternam cum sanctis angelis suis in sua ciuitate caelesti, ad cuius societatem pietas uera perducit, quae non exhibet seruitutem religionis, quam λατρείαν Graeci uocant, nisi uni uero Deo, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet: non redderetur merces bonis artibus eorum, id est uirtutibus, quibus ad tantam gloriam peruenire nitebantur. De talibus enim, qui propter hoc boni aliquid facere uidentur, ut glorificentur ab hominibus, etiam Dominus ait: Amen dico uobis, perceperunt mercedem suam. Sic et isti priuatas res suas pro re communi, hoc est re publica, et pro eius aerario contemserunt, auaritiae restiterunt, consuluerunt patriae consilio libero, neque delicto secundum suas leges neque libidini obnoxii; his omnibus artibus tamquam uera uia nisi sunt ad honores imperium gloriam; honorati sunt in omnibus fere gentibus, imperii sui leges inposuerunt multis

20 Mt. 6, 2

3 illi *om.* C^1 7 tamqua^{m} *C* 10 reddet *C* 12 era/t, n *eraso*, *C* deus dat. *v* 13 suis *m. 1 sup. lin. C* ciuit. sua *v* 14 exhiebet *C* 15 latrian *a;* latriam *L Λ C d e* 20 ominíbus *C* 21 receperunt a^2 *e* 22 pro re pub. *C* 23 acerario *d;* aerio e^1 24 liuero *et* 25 liuidini *L* 25 Sed his *e* 27 imperii .... gentibus *in marg. e*

gentibus, hodieque litteris et historia gloriosi sunt paene in omnibus gentibus: non est quod de summi et ueri Dei iustitia conquerantur; perceperunt mercedem suam.

CAPUT XVI.

De mercede sanctorum ciuium ciuitatis aeternae, quibus utilia sunt Romanorum exempla uirtutum.

Merces autem sanctorum longe alia est etiam hic obprobria sustinentium pro ueritate Dei, quae mundi huius dilectoribus odiosa est. Illa ciuitas sempiterna est; ibi nullus oritur, quia nullus moritur; ibi est uera et plena felicitas, non dea, sed donum Dei; inde fidei pignus accepimus, quamdiu peregrinantes eius pulchritudini suspiramus; ibi non oritur sol super bonos et malos, sed sol iustitiae solos protegit bonos; ibi non erit magna industria ditare publicum aerarium priuatis rebus angustis, ubi thensaurus communis est ueritatis. Proinde non solum ut talis merces talibus hominibus redderetur Romanum imperium ad humanam gloriam dilatatum est; uerum etiam ut ciues aeternae illius ciuitatis, quamdiu hic peregrinantur, diligenter et sobrie illa intueantur exempla et uideant quanta dilectio debeatur supernae patriae propter uitam aeternam, si tantum a suis ciuibus terrena dilecta est propter hominum gloriam.

12 Mt. 5, 45

2. 3 summi,dem, *omissa uerba* ad (*sic pro* et) ueri ... perceperunt *in marg., e* 7 mercis *d* 8 ueritate *codd.;* ciuitate $q^2 v$ 9 Illa .. est *om. e* 11 fide L^1 12 respiramus *b* 14 publ. aer. *codd.;* aer. (herar. *q*) publ. *q v* 15 thensaurus $L \Lambda^1 p \alpha$; tenſauruſ *C* 18 aeternae *om.* C^1 19 sobri/e, a *eras., L;* subrie *C* 20 debetur C^1

CAPUT XVII.

Quo fructu Romani bella gesserint et quantum his quos uicere contulerint.

Quantum enim pertinet ad hanc uitam mortalium, quae paucis diebus ducitur et finitur, quid interest sub cuius imperio uiuat homo moriturus, si illi qui imperant ad inpia et iniqua non cogant? Aut uero aliquid nocuerunt Romani gentibus, quibus subiugatis inposuerunt leges suas, nisi quia id factum est ingenti strage bellorum? Quod si concorditer fieret, id ipsum fieret meliore successu; sed nulla esset gloria triumphantium. Neque enim et Romani non uiuebant sub legibus suis, quas ceteris inponebant. Hoc si fieret sine Marte et Bellona, ut nec Victoria locum haberet, nemine uincente ubi nemo pugnauerat: nonne Romanis et ceteris gentibus una esset eademque condicio? praesertim si mox fieret, quod postea gratissime adque humanissime factum est, ut omnes ad Romanum imperium pertinentes societatem acciperent ciuitatis et Romani ciues essent, ac sic esset omnium, quod erat ante paucorum; tantum quod plebs illa, quae suos agros non haberet, de publico uiueret; qui pastus eius per bonos administratores rei publicae gratius a concordibus praestaretur quam uictis extorqueretur.

Nam quid intersit ad incolumitatem bonosque mores, ipsas certe hominum dignitates, quod alii uicerunt, alii uicti sunt, omnino non uideo, praeter illum gloriae humanae inanissimum fastum, in quo perceperunt mercedem suam, qui eius ingenti cupidine arserunt et ardentia bella gesserunt. Numquid enim illorum agri tributa non soluunt? Numquid eis licet discere, quod aliis non licet? Numquid non multi senatores sunt in

1 *in C capitis XVII numerus adscriptus est uerbis* Nam quid *l. 23* 2 gesserunt *p* 3 quas *C* uincere *p;* dicere *C* contulerunt *p* 6 uibat *L* 8 subiungatis *C* 11 uibebant *L* 12 inponebat C^1 14 none C^1 gentibus *om. a* 18 ibes *L;* ciuis C^1 si C^1 *a d* 20 uiberet *L* pastos C^1 25 omno *C* 27 ardentia] ingentia $b^2 e^2 k^1$ 28 solbunt *L* namquid C^1

aliis terris, qui Romam ne facie quidem norunt? Tolle iactantiam, et omnes homines quid sunt nisi homines? Quod si peruersitas saeculi admitteret, ut honoratiores essent quique meliores: nec sic pro magno haberi debuit honor humanus, quia nullius est ponderis fumus. Sed utamur etiam in his rebus beneficio Domini Dei nostri; consideremus quanta contemserint, quae pertulerint, quas cupiditates subegerint pro humana gloria, qui eam tamquam mercedem talium uirtutum accipere meruerunt, et ualeat nobis etiam hoc ad obprimendam superbiam, ut, cum illa ciuitas, in qua nobis regnare promissum est, tantum ab hac distet, quantum distat caelum a terra, a temporali laetitia uita aeterna, ab inanibus laudibus solida gloria, a societate mortalium societas angelorum, a lumine solis et lunae lumen eius qui solem fecit et lunam, nihil sibi magnum fecisse uideantur tantae patriae ciues, si pro illa adipiscenda fecerint boni operis aliquid uel mala aliqua sustinuerint, cum illi pro hac terrena iam adepta tanta fecerint, tanta perpessi sint, praesertim quia remissio peccatorum, quae ciues ad aeternam colligit patriam, habet aliquid, cui per umbram quandam simile fuit asylum illud Romuleum, quo multitudinem, qua illa ciuitas conderetur, quorumlibet delictorum congregauit inpunitas.

CAPUT XVIII.

Quam alieni a iactantia esse debeant Christiani, si aliquid fecerint pro dilectione patriae aeternae, cum tanta Romani gesserint pro humana gloria et ciuitate terrena.

Quid ergo magnum est pro illa aeterna caelestique patria cuncta saeculi huius quamlibet iucunda blandimenta contem-

1 faciae *C* 3 ammitt. *L* 6 quantas $k^2 f$ 7 cupeditates subigerent C^1 10 superuiam *L* ut] et *e* 14 solem fecit *codd.*, fec. sol. *v* 17 *et* p. 246. l. 7 terraena *L* 20 simile, m *eras.*, *C* 21 quod mult. *e* quo illa *L* A^1 24 debent esse *q* 25 aeternae patriae *v*

nere, si pro hac temporali adque terrena filios Brutus potuit et occidere, quod illa facere neminem cogit? Sed certe difficilius est filios interimere, quam quod pro ista faciendum est, ea, quae filiis congreganda uidebantur adque seruanda, uel donare pauperibus uel, si existat tentatio, quae id pro fide adque iustitia fieri conpellat, amittere. Felices enim uel nos uel filios nostros non diuitiae terrenae faciunt aut nobis uiuentibus amittendae aut nobis mortuis a quibus nescimus uel forte a quibus nolumus possidendae; sed Deus felices facit, qui est mentium uera opulentia. Bruto autem, quia filios occidit, infelicitatis perhibet testimonium etiam poeta laudator. Ait enim:

> Natosque pater noua bella mouentes
> Ad poenam pulchra pro libertate uocabit
> Infelix, utcumque ferent ea facta minores.

Sed uersu sequenti consolatus est infelicem:

> Uincit amor patriae laudumque inmensa cupido.

Haec sunt duo illa, libertas et cupiditas laudis humanae, quae ad facta conpulit miranda Romanos. Si ergo pro libertate morituorum et cupiditate laudum, quae a mortalibus expetuntur, occidi filii a patre potuerunt: quid magnum est, si pro uera libertate, quae nos ab iniquitatis et mortis et diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarum laudum, sed caritate liberandorum hominum, non a Tarquinio rege, sed a daemonibus et daemonum principe, non filii occiduntur, sed Christi pauperes inter filios conputantur?

13 Aen. VI, 820 sqq.

4 conseruanda α 7 dibitiae *L* uibentibus *L* 8 mortuus e^1; morientibus α nescimus—a quibus *om. p* 9 forte] certe α 10 quia] qui *C* 14 ad paenā pro libertatem pulchra uocabit *L et* A *nisi quod* libertate *habet* pulchra/, m *eraso, C* uocabit, b *radendo in* u *mutato, C* uocauit *a d e p* 15 ferant *p* 16 consulatus C^1 17 uinci.t, *ex* uincent *corr., C;* uicit *p* 18 hae *L* 19 compulere *p v* 19. 22 liuert. *L* 20 pro cupid. *e* laudumq; *L* 23 liueros *L* 24 liuerand. *L*

Si alius etiam Romanus princeps, cognomine Torquatus, filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria, tamen quia contra imperium suum, id est contra quod imperauerat pater imperator, ab hoste prouocatus iuuenali ardore pugnauerat, licet uicisset, occidit, ne plus mali esset in exemplo imperii contemti quam boni in gloria hostis occisi: ut quid se iactent, qui pro inmortalis patriae legibus omnia, quae multo minus quam filii diliguntur, bona terrena contemnunt? Si Furius Camillus etiam ingratam patriam, a cuius ceruicibus acerrimorum hostium Veientium iugum depulerat damnatusque ab aemulis fuerat, a Gallis iterum liberauit, quia non habebat potiorem, ubi posset uiuere gloriosius: quur extollatur, uelut grande aliquid fecerit, qui forte in ecclesia ab inimicis carnalibus grauissimam exhonorationis passus iniuriam non se ad eius hostes haereticos transtulit aut aliquam contra illam ipse haeresem condidit, sed eam potius quantum ualuit ab haereticorum perniciosissima prauitate defendit, cum alia non sit, non ubi uiuatur in hominum gloria, sed ubi uita adquiratur aeterna? Si Mucius, ut cum Porsenna rege pax fieret, qui grauissimo bello Romanos premebat, quia Porsennam ipsum occidere non potuit et pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram ante eius oculos dexteram extendit, dicens multos tales, qualem illum uideret, in eius exitium coniurasse

1 etiam *om.* *q* tarquatus C^1 2 patria/, m *eras.*, *C* 3 impera// uerat *C* 4 imperator pater *L* iuuenili $e^2 p\ q\ v$ 7 de se *e;* de *m. rec. sup. lin. C* pro *om.* *e* 8 terraena *L* 9 cerbicibus *L* 10 ac. errimorum, c *eraso, C* ueientium, h *m. uet. superscript., C;* beientium $L\ \Lambda^1$; uegentium *e* depullerat $L\ \Lambda$ damnatusque ..... liberauit *om.* p^1 11 liuerauit *L* 12 possit *C* uibere *L* gloriosius $L\ \Lambda\ p$; gloriosus *rell. v* qur *L* 13 ecclesab C^1 16 haeresem $L\ \Lambda\ a\ d\ e\ p\ q$ *Domb.;* haeresim $C\ b\ v$ ad heret. perniciosissimam prauitatem *p* 17 pernitiosa *b* prau.] uanitate $b\ e^1\ k^1$ 18 sint $L\ \Lambda\ p$ uibatur *L* 20 prąemebat Λ porsinnam C^1 22 oculos eius *v* 23 multos tales C^1 *dett. v;* multos se tales C^2 *e;* m. esse tales $L\ \Lambda\ p$ illum] *'malim* ipsum' *Domb.* qui in eius exit. iurassent *a*

cuius ille fortitudinem et coniurationem talium perhorrescens sine ulla dubitatione se ab illo bello facta pace conpescuit: quis regno caelorum inputaturus est merita sua, si pro illo non unam manum neque hoc sibi ultro faciens, sed persequente aliquo patiens totum flammis corpus inpenderit? Si Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terrae se praecipitem dedit, deorum suorum oraculis seruiens, quoniam iusserant, ut illuc id quod Romani haberent optimum mitteretur, nec aliud intellegere potuerunt, quam uiris armisque se excellere, unde uidelicet oportebat, ut deorum iussis in illum interitum uir praecipitaretur armatus: quid se magnum pro aeterna patria fecisse dicturus est, qui aliquem fidei suae passus inimicum non se ultro in talem mortem mittens, sed ab illo missus obierit; quando quidem a Domino suo eodemque rege patriae suae certius oraculum accepit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere? Si se occidendos certis uerbis quodam modo consecrantes Decii deuouerunt, ut illis cadentibus et iram deorum sanguine suo placantibus Romanus liberaretur exercitus: nullo modo superbient sancti martyres, tamquam dignum aliquid pro illius patriae participatione fecerint, ubi aeterna est et uera felicitas, si usque ad sui sanguinis effusionem non solum suos fratres, pro quibus fundebatur, uerum et ipsos inimicos, a quibus fundebatur, sicut eis praeceptum est, diligentes caritatis fide et fidei caritate certarunt? Si Marcus Puluillus dedicans aedem Iouis Iunonis Mineruae falso sibi ab inuidis morte filii nuntiata, ut illo nuntio perturbatus abscederet adque ita dedicationis gloriam collega eius consequeretur, ita

15 Mt. 10, 28

1 et *om.* *C* perorresc. *L* Λ¹ 2 dubitatione *codd. praeter q;* dilatione *q*^{b}*v* 4 persequ/ente, a (?) *eraso, C* 5 alio *L* Λ¹ 6 abrutum *e* 13 mtte^{i}f^{n} *C* 14 a *sup. lin. L; extra lin. C*² quidem *om. e* 15 timere *sup. lin. C* 18 debouerunt *L* 19 liuer. *L* 20 superuient *L* 22 si *om. L* Λ *C e* 25 pulbillus *L;* piluill. *e* 26 iobis *L* Λ¹ Iunonis] uimonis *e*¹ minerbae *L* Λ¹; et mineruae *α*

contemsit, ut eum etiam proici insepultum iuberet (sic in eius corde orbitatis dolorem gloriae cupiditas uicerat): quid magnum se pro euangelii sancti praedicatione, qua ciues supernae patriae de diuersis liberantur et colliguntur erroribus, fecisse dicturus est, cui Dominus de sepultura patris sui sollicito ait: Sequere me et sine mortuos sepelire mortuos suos? Si Marcus Regulus, ne crudelissimos hostes iurando falleret, ad eos ab ipsa Roma reuersus est, quoniam, sicut Romanis eum tenere uolentibus respondisse fertur, postea quam Afris seruierat, dignitatem illic honesti ciuis habere non posset, eumque Carthaginienses, quoniam contra eos in Romano senatu egerat, grauissimis suppliciis necauerunt: qui cruciatus non sunt pro fide illius patriae contemnendi, ad cuius beatitudinem fides ipsa perducit? aut quid retribuetur Domino pro omnibus quae retribuit, si pro fide quae illi debetur talia fuerit homo passus, qualia pro fide quam perniciosissimis inimicis debebat passus est Regulus? Quo modo se audebit extollere de uoluntaria paupertate Christianus, ut in huius uitae peregrinatione expeditior ambulet uiam, quae perducit ad patriam, ubi uerae diuitiae Deus ipse est, cum audiat uel legat Lucium Valerium, qui in suo defunctus est consulatu, usque adeo fuisse pauperem, ut nummis a populo conlatis eius sepultura curaretur? audiat uel legat Quintium Cincinnatum, cum quattuor iugera possideret et ea suis manibus coleret, ab aratro esse adductum, ut dictator fieret,

6 Mt. 8, 22 14 Ps. 115, 3

1 proici etiam *b* in sepulchrum *p* sic *L* Λ *C* a^1 *e;* et sic a^2 *b p q v Domb.* 3 sanctificatione, p̄di *corr. m. superscr., C* 4 patrae C^1 liuer. *L* 6 sepellire *L* Λ *d e* 7 Marcus *L* Λ *b e p q;* M. *C a v Domb.* crudelissimos, os *ut uidetur ex* um *corr., C* 10 cibis *L* 12 negauerunt L^1 $Λ^1$ 14 perducet C^1 15 pro *ante* fide *om. C* 18 *ut editur* taria pauper *L* Λ C^1 *a b d e p f Domb.;* se autem C^2 *α k;* autem se *q v* uolun,tate, *corr. m. emend., C* 20 ipse Deus *q v* 21 lucium *codd. praeter C;* L. *sup. lin. C;* L. *v* ualerio *C* 23 legat *om. a* Quintium *codd.;* Q. *v* 25 adductum *L* Λ *C a d e Domb.;* abductum *b p q v*

maior utique honore quam consul, uictisque hostibus ingentem gloriam consecutum in eadem paupertate mansisse? Aut quid se magnum fecisse praedicabit, qui nullo praemio mundi huius fuerit ab aeternae illius patriae societate seductus, cum Fabricium didicerit tantis muneribus Pyrrhi, regis Epirotarum, promissa etiam quarta parte regni, a Romana ciuitate non potuisse deuelli ibique in sua paupertate priuatum manere maluisse? Nam illud quod rem publicam, id est rem populi, rem patriae, rem communem, cum haberent opulentissimam adque ditissimam, sic ipsi in suis domibus pauperes erant, ut quidam eorum, qui iam bis consul fuisset, ex illo senatu hominum pauperum pelleretur notatione censoria, quod decem pondo argenti in uasis habere conpertus est; ita idem ipsi pauperes erant, quorum triumphis publicum ditabatur aerarium: nonne omnes Christiani, qui excellentiore proposito diuitias suas communes faciunt secundum id quod scriptum est in actibus apostolorum, ut distribuatur unicuique sicut cuique opus est, et nemo dicat aliquid proprium, sed sint illis omnia communia, intellegunt se nulla ob hoc uentilari oportere iactantia, id faciendo pro obtinenda societate angelorum, cum paene tale aliquid illi fecerint pro conseruanda gloria Romanorum?

Haec et alia, si qua huius modi reperiuntur in litteris eorum, quando sic innotescerent, quando tanta fama praedicarentur, nisi Romanum imperium longe lateque porrectum magnificis successibus augeretur? Proinde per illud imperium tam latum tamque diuturnum uirorumque tantorum uirtutibus praeclarum

17 Act. 2, 45; 4, 32

3 praedicauit *C* qui *L* Λ *C a b d e p q* α *k f Domb.*; quod *v* 4 fu-ri e//t *C* subductus *e* 7 deuelli (debelli *L* Λ) *L* Λ C^1; diuelli C^2 *a b d e p q v* 8 illud quod, *m. 2 ex* illum cum *corr.*, *C* 9 haberet C^1 10 detiss. C^1 11 consul bis *L* Λ 12 paup. hom. *v* 14 ditauatur *L* Λ^1 17 actis *v* 19 oportere] debere *C* 20 optinenda *L* Λ *C* 23 huius modi *L* Λ *C a d e p;* huiusce m. *b v Domb.*; om. *q* repper. *L* Λ C^1 25 romanum. ro *ex* hu *corr.*, *C* latequ/e, a *eras.*, *C*

adque gloriosum et illorum intentioni merces quam quaerebant est reddita, et nobis proposita necessariae commonitionis exempla, ut, si uirtutes, quarum istae utcumque sunt similes, quas isti pro ciuitatis terrenae gloriae tenuerunt, pro Dei gloriosissima ciuitate non tenuerimus, pudore pungamur; si tenuerimus, superbia non extollamur; quoniam, sicut dicit apostolus, indignae sunt passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nobis. Ad humanam uero gloriam praesentisque temporis satis digna uita aestimabatur illorum. Unde etiam Iudaei, qui Christum occiderunt, reuelante testamento nouo quod in uetere uelatum fuit, ut non pro terrenis et temporalibus beneficiis, quae diuina prouidentia permixte bonis malisque concedit, sed pro aeterna uita muneribusque perpetuis et ipsius supernae ciuitatis societate colatur Deus unus et uerus, rectissime istorum gloriae donati sunt, ut hi, qui qualibuscumque uirtutibus terrenam gloriam quaesiuerunt et adquisiuerunt, uincerent eos, qui magnis uitiis datorem uerae gloriae et ciuitatis aeternae occiderunt adque respuerunt.

CAPUT XVIIII.

Quo inter se differant cupiditas gloriae et cupiditas dominationis.

Interest sane inter cupiditatem humanae gloriae et cupiditatem dominationis. Nam licet procliue sit, ut, qui humana gloria nimium delectatur, etiam dominari ardenter adfectet, tamen qui ueram licet humanarum laudum gloriam concupiscunt, dant operam bene iudicantibus non displicere. Sunt enim multa in moribus bona, de quibus multi bene iudicant,

7 Rom. 8, 18

1 quaerebat *C* 2 communitionis C^1 *e; in marg.* communionis *e* 4 quas isti *m. 1 sup. lin. L* terrenae ciuitatis *C* 6 superuia *L* 8 rebelauitur *L;* reuelauitur C^1 inobif *C* 9 extimabatur *L* Λ 11 uetere//uelatum, re *eras. C* 17 quaesiuerunt *L* Λ *a b e p;* quaesierunt *C q v Domb.* et adquisiuerunt *om. a* 21 differunt *p* 24 proclibe *L* $Λ^1$

quamuis ea multi non habeant; per ea bona morum nituntur ad gloriam et imperium uel dominationem, de quibus ait Sallustius: 'Sed ille uera uia nititur.' Quisquis autem sine cupiditate gloriae, qua ueretur homo bene iudicantibus displicere, dominari adque imperare desiderat, etiam per apertissima scelera quaerit plerumque obtinere quod diligit. Proinde qui gloriam concupiscit, aut uera uia nititur aut certe dolis adque fallaciis contendit, uolens bonus uideri esse, quod non est. Et ideo uirtutes habenti magna uirtus est contemnere gloriam, quia contemtus eius in conspectu Dei est, iudicio autem non aperitur humano. Quidquid enim fecerit ad oculos hominum, quo gloriae contemtor appareat, ad maiorem laudem, hoc est ad maiorem gloriam, facere si credatur, non est unde se suspicantium sensibus aliter esse, quam suspicantur, ostendat. Sed qui contemnit iudicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem, quorum tamen, si uere bonus est, non contemnit salutem, quoniam tantae iustitiae est qui de spiritu Dei uirtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos, et ita diligat, ut suos osores uel detractores uelit correctos habere consortes non in terrena patria, sed superna; in laudatoribus autem suis, quamuis paruipendat quod eum laudant, non tamen paruipendit quod amant, nec eos uult fallere laudantes, ne decipiat diligentes; ideoque instat ardenter, ut potius ille laudetur, a quo habet homo quidquid in eo iure laudatur. Qui autem gloriae contemtor dominationis est auidus, bestias superat siue crudelitatis uitiis siue luxuriae. Tales

3 Cat. 11, 1

1 per ea$^{q;}$ *a* morum *om. C* nitantur *a* 3 illa e^1 5 disiderat C^1 7 bera *L* 8 bonus, u *m. 2 ex* o *corr., C* 11 humanum C^1 12 ad] et *C* 13 se *m. 1 sup. lin. L* 16 bere *L* 17 tanta eius iustitia *α* est *om.* p^1 18 uirtute^{r} *C* 19 ut, u *m. 2 in ras. C* ſuoſ ſu|ſurroneſ, ſu *in fine uersus et* ſurroneſ *m. 2 in ras. C, m. 1 scriptum fuisse uidetur* ſuoſororeſ, *priore* r *ut saepe pro* ſ *scripto* 20 ſupena *C* 22 amant *L* A *C a b e v;* eum amant *p q Domb.* n^{ec},eoſ *L m. uet. corr.* 24 illo C^1 laudetur α^1 25 contemptor gloriae *v* abidus uestias *L*

quidam Romani fuerunt. Non enim cura existimationis amissa dominationis cupiditate caruerunt. Multos tales fuisse prodit historia; sed huius uitii summitatem et quasi arcem quandam Nero Caesar primus obtinuit, cuius fuit tanta luxuries, ut nihil ab eo putaretur uirile metuendum; tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur. Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur nisi summi Dei prouidentia, quando res humanas iudicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re uox diuina est loquente Dei sapientia: Per me reges regnant et tyranni per me tenent terram. Sed ne tyranni non pessimi adque inprobi reges, sed uetere nomine fortes dicti existimentur (unde ait Vergilius:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni):

apertissime alio loco de Deo dictum est: Quia regnare facit hominem hypocritam propter peruersitatem populi. Quam ob rem, quamuis ut potui satis exposuerim qua causa Deus unus uerus et iustus Romanos secundum quandam formam terrenae ciuitatis bonos adiuuerit ad tanti imperii gloriam consequendam: potest tamen et alia causa esse latentior propter diuersa merita generis humani, Deo magis nota quam nobis, dum illud constet inter omnes ueraciter pios, neminem sine uera pietate, id est ueri Dei uero cultu, ueram posse habere uirtutem, nec eam ueram esse, quando gloriae seruit humanae; eos tamen, qui ciues non sint ciuitatis aeternae, quae in sacris litteris nostris dicitur ciuitas Dei, utiliores esse terrenae ciuitati, quando habent uirtutem uel ipsam, quam si nec ipsam. Illi autem, qui uera pietate praediti bene uiuunt, si habent scientiam regendi populos, nihil est felicius rebus

9 Prou. 8, 15 13 Aen. VII, 266 14 Iob 34, 30 25 Ps. 45, 5; 47, 3

4 luxurię/, ſ *eras.*, *d* ut *om. d* unihil *C* 6 sciretur *e;* si nesciretur *om.* A^1 7 potestas domin. *C* 10 thyranni $L\,A^1$ 12 uirg. $C\,e^2$ 13 parcis *L* tetegisse *C* 14 quia $L\,A\,C\,b^2\,d\,\alpha\,f$; qui $a\,b^1\,e\,p\,q\,v$ *Domb.* 15 populi sui α 16 exposuerim, i *eraso* a, *C* 17 dī unus dī uerus *e* 18 adiuberit *L* 19 et alia] talia $L^1\,A^1$ 27 uibunt *L*

humanis, quam si Deo miserante habeant potestatem. Tales autem homines uirtutes suas, quantascumque in hac uita possunt habere, non tribuunt nisi gratiae Dei, quod eas uolentibus credentibus petentibus dederit, simulque intellegunt, quantum sibi desit ad perfectionem iustitiae, qualis est in illorum sanctorum angelorum societate, cui se nituntur aptare. Quantumlibet autem laudetur adque praedicetur uirtus, quae sine uera pietate seruit hominum gloriae, nequaquam sanctorum exiguis initiis conparanda est, quorum spes posita est in gratia et in misericordia ueri Dei.

CAPUT XX.

Tam turpiter seruire uirtutes humanae gloriae quam corporis uoluptati.

Solent philosophi, qui finem boni humani in ipsa uirtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdam philosophis, qui uirtutes quidem probant, sed eas uoluptatis corporalis fine metiuntur et illam per se ipsam putant adpetendam, istas propter ipsam, tabulam quandam uerbis pingere, ubi uoluptas in sella regali quasi delicata quaedam regina considat, eique uirtutes famulae subiciantur, obseruantes eius nutum, ut faciant quod illa imperauerit, quae prudentiae iubeat, ut uigilanter inquirat, quo modo uoluptas regnet et salua sit; iustitiae iubeat, ut praestet beneficia quae potest ad conparandas amicitias corporalibus commodis necessarias, nulli faciat iniuriam, ne offensis legibus uoluptas uiuere secura non possit; fortitudini iubeat, ut, si dolor corpori accesserit, qui non conpellat in mortem, teneat dominam suam, id est uoluptatem, fortiter in animi cogitatione, ut per pristinarum deliciarum

14 Cic. Fin. II, 21

10 in misericordia $L\,\Lambda\,p$; in *om. rell. v Domb.* 12 gloriae *om. p* 16 prouant $L\,\Lambda^1$ 18 ta|bulam, ta *m. 2 in marg., C* 19 sella] sede *a* delicata, a *in fine uoc. m. 2 in ras. C* consideat *a* 21 quod] quae *a* 22 reget *C* 24 faciant $L\,\Lambda^1 p$ 25 uibere *L* secura *om. a* 26 accesserit $L\,\Lambda\,p$; acciderit *C rell. v Domb.* 28 animi *in ras. C*

suarum recordationem mitiget praesentis doloris aculeos; temperantiae iubeat, ut tantum capiat alimentorum etsi qua delectant, ne per inmoderationem noxium aliquid ualetudinem turbet et uoluptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur. Ita uirtutes cum tota suae gloria dignitatis tamquam imperiosae cuidam et inhonestae mulierculae seruient uoluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius et deformius et quod minus ferre bonorum possit aspectus; et uerum dicunt. Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, ubi uirtutes humanae gloriae seruiunt. Licet enim ipsa gloria delicata mulier non sit, inflata [tamen] est et multum inanitatis habet. Unde non ei digne seruit soliditas quaedam firmitasque uirtutum, ut nihil prouideat prouidentia, nihil distribuat iustitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, nisi unde placeatur hominibus et uentosae gloriae seruiatur. Nec illi se ab ista foeditate defenderint, qui, cum aliena spernant iudicia uelut gloriae contemtores, sibi sapientes uidentur et sibi placent. Nam eorum uirtus, si tamen ulla est, alio modo quodam humanae subditur laudi; neque enim ipse, qui sibi placet, homo non est. Qui autem uera pietate in Deum, quem diligit, credit et sperat, plus intendit in ea, quibus sibi displicet, quam in ea, si qua in illo sunt, quae non tam ipsi quam ueritati placent; neque id tribuit, unde iam potest placere, nisi eius misericordiae, cui metuit displicere; de his sanatis gratias agens, de illis sanandis preces fundens.

1 recordationem,^{m}itiget *L* 2 ut *m. 1 sup. lin. L* 3 ualitud. *C* 4 sanitate|i *C* 6 sua *d* gloria *L* Λ^1 C^2 *d p* α k^1; gloriam C^1; gloriae Λ^2 *a b e q* k^2 *f v* dignitatis *L* Λ^1 *C d p* α k^1; dignitate Λ^2 *a b e q* k^2 *f v* inhonesta|e, e *in marg. m. 2, C* 7 mulier mulierculae, mulier *punctis superpositis deletum, C* hac] ac *d* esse dicunt α 11 seruiant *q v* ipsa *L* Λ *p*; ista *rell. v Domb.* 12 [tamen] *om. L* Λ *C a d p* 14 prouidentia *L* Λ *C a b d e p*; prudentia *q v Domb.* tribuat^{dis} *m. 1 corr. L* 17 defenderent *C* 19 ^{o}rum *C* 22 in ea quibus *L* (ea *in ras.*), Λ^1 *p*; in ea in quibus *C* Λ^2 *rell. v Domb.*

CAPUT XXI.

Romanum regnum a Deo uero esse dispositum, a quo est omnis potestas et cuius prouidentia reguntur uniuersa.

Quae cum ita sint, non tribuamus dandi regni adque imperii potestatem nisi Deo uero, qui dat felicitatem in regno caelorum solis piis; regnum uero terrenum et piis et inpiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet. Quamuis enim aliquid dixerimus, quod apertum nobis esse uoluit: tamen multum est ad nos et ualde superat uires nostras hominum occulta discutere et liquido examine merita diiudicare regnorum. Ille igitur unus uerus Deus, qui nec iudicio nec adiutorio deserit genus humanum, quando uoluit et quantum uoluit Romanis regnum dedit; qui dedit Assyriis, uel etiam Persis, a quibus solos duos deos coli, unum bonum, alterum malum, continent litterae istorum; ut taceam de populo Hebraeo, de quo iam dixi quantum satis uisum est, qui praeter unum Deum non coluit et quando regnauit. Qui ergo Persis dedit segetes sine cultu deae Segetiae, qui alia dona terrarum sine cultu tot deorum, quos isti rebus singulis singulos, uel etiam rebus singulis plures praeposuerunt: ipse etiam regnum dedit sine cultu eorum, per quorum cultum se isti regnasse crediderunt. Sic etiam hominibus: qui Mario, ipse Gaio Caesari; qui Augusto, ipse et Neroni; qui Vespasianis, uel patri uel filio, suauissimis imperatoribus, ipse et Domitiano crudelissimo; et ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse apostatae Iuliano, cuius egregiam indolem decepit amore dominandi sacrilega et detestanda curiositas, cuius uanis deditus oraculis erat, quando fretus securitate uictoriae naues, quibus uictus necessarius portabatur, incendit; deinde feruide

11 illi C^1 14 assyris L^1 16 historum *m. 2 in* historiarum *corr. e* ebreo C 18 segetesine C 19 deae.....cultu *m. 1 in marg. infer.* A segestiae C terr//arum, en *eras.*, C cultu ut tot *d* 22 credederunt C^1 30 portauatur L

instans inmodicis ausibus et mox merito temeritatis occisus in locis hostilibus egenum reliquit exercitum, ut aliter inde non posset euadi, nisi contra illud auspicium dei Termini, de quo superiore libro diximus, Romani imperii termini moue-
5 rentur. Cessit enim Terminus deus necessitati, qui non cesserat Ioui. Haec plane Deus unus et uerus regit et gubernat, ut placet; et si occultis causis, numquid iniustis?

CAPUT XXII.

Tempora exitusque bellorum ex Dei pendere iudicio.

10 Sic etiam tempora ipsa bellorum, sicut in eius arbitrio est iustoque iudicio et misericordia uel adterere uel consolari genus humanum, ut alia citius, alia tardius finiantur. Bellum piratarum a Pompeio, bellum Punicum tertium ab Scipione incredibili celeritate et temporis breuitate confecta sunt. Bellum
15 quoque fugitiuorum gladiatorum, quamuis multis Romanis ducibus et duobus consulibus uictis Italiaque horribiliter contrita adque uastata, tertio tamen anno post multa consumta consumtum est. Picentes, Marsi et Peligni, gentes non exterae, sed Italicae, post diuturnam et deuotissimam sub Romano
20 iugo seruitutem in libertatem caput erigere tentauerunt, iam multis nationibus Romano imperio subiugatis deletaque Carthagine; in quo bello Italico Romanis saepissime uictis ubi et duo consules perierunt et alii nobilissimi senatores, non diuturno tamen tempore tractum est hoc malum; nam quintus
25 annus ei finem dedit. Sed bellum Punicum secundum cum maximis detrimentis et calamitate rei publicae per annos

4 c. 29

2 relinquit *L* Λ^1 3 possit *C a* 4 libro superiore *C* 6 iobi *L* guuernat *L* 11 at|terre^{re}, re *m. 2, C;* /terrere, a *ante* t *ut uidetur eraso, e* consulari C^1 13 pyratarum *L* Λ a *p q v* 14 et *om. L* Λ *C b e p q* 15 fugitiborum *L* quambis *L* 16 ducibus//////et *C* 18 consumtu^{m} *L;* con[ſumatū ē] *litterae inclusae m. 2 in ras., e* prę-ligni *C* 20 liuert. *L* 21 Karthag. *α Domb.* 22 saepissimąe *C* 23 consoles C^1 24 trac ta tum, ta *m. rec. in marg., C* 25 annus ei *L;* annus ei//, us *eras.*, Λ; ei annus *v* quum *L*

decem et octo Romanas uires extenuauit et paene consumsit; duobus proeliis ferme septuaginta Romanorum milia ceciderunt. Bellum Punicum primum per uiginti et tres annos peractum est; bellum Mithridaticum quadraginta. Ac ne quisquam arbitretur rudimenta Romanorum fuisse fortiora ad bella citius peragenda, superioribus temporibus multum in omni uirtute laudatis bellum Samniticum annis tractum est ferme quinquaginta; in quo bello ita Romani uicti sunt, ut sub iugum etiam mitterentur. Sed quia non diligebant gloriam propter iustitiam, sed iustitiam propter gloriam diligere uidebantur, pacem factam foedusque ruperunt. Haec ideo commemoro, quoniam multi praeteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suae scientiae, si temporibus Christianis aliquod bellum paulo diutius trahi uident, ilico in nostram religionem proteruissime insiliunt, exclamantes, quod, si ipsa non esset et uetere ritu numina colerentur, iam Romana illa uirtute, quae adiuuante Marte et Bellona tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrime finiretur. Recolant igitur qui legerunt, quam diuturna bella, quam uariis euentis, quam luctuosis cladibus a ueteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum uelut procellosissimum pelagus uaria talium malorum tempestate iactari, et quod nolunt aliquando fateantur, nec insanis aduersus Deum linguis se interimant et decipiant inperitos.

CAPUT XXIII.

De bello, in quo Radagaisus rex Gothorum, daemonum cultor, uno die cum ingentibus copiis suis uictus est.

Quod tamen nostra memoria recentissimo tempore Deus mirabiliter et misericorditer fecit, non cum gratiarum actione

1 extenuabit *L* pe.n.e *C* 3 XX. III. *a* 4 mithridaticum, i *m. 2, C;* metridat. *p* quadr. annis q^2v 6 pergen..., .. *m. 2 C* 11 phedusque *C* 14 paulū *e* ilico *L A C;* illico *v* 16 romana *C* 17 cæleriter *C* 19 euentiſ, bu *m. 2, e* 23 aduerſuſ *C* 26 redagasius *p* 27 cupiis *C* 29 actionem commemorat *C*

commemorant, sed, quantum in ipsis est, omnium si fieri potest hominum obliuione sepelire conantur; quod a nobis si tacebitur, similiter erimus ingrati. Cum Radagaisus, rex Gothorum, agmine ingenti et inmani iam in Urbis uicinia constitutus Romanis ceruicibus inmineret, uno die tanta celeritate sic uictus est, ut ne uno quidem non dicam extincto, sed uulnerato Romanorum multo amplius quam centum milium prosterneretur eius exercitus adque ipse mox captus poena debita necaretur. Nam si ille tam inpius cum tantis et tam inpiis copiis Romam fuisset ingressus, cui pepercisset? quibus locis martyrum honorem detulisset? in qua persona Deum timeret? cuius non sanguinem fusum, cuius pudicitiam uellet intactam? Quas autem isti pro dis suis uoces haberent, quanta insultatione iactarent, quod ille ideo uicisset, ideo tanta potuisset, quia cottidianis sacrificiis placabat adque inuitabat deos, quod Romanos facere Christiana religio non sinebat? Nam propinquante iam illo his locis, ubi nutu summae maiestatis obpressus est, cum eius fama ubique crebresceret, nobis aput Carthaginem dicebatur, hoc credere spargere iactare paganos, quod ille dis amicis protegentibus et opitulantibus, quibus immolare cottidie ferebatur, uinci omnino non posset ab eis, qui talia dis Romanis sacra non facerent nec fieri a quoquam permitterent. Et non agunt miseri gratias tantae misericordiae Dei, qui cum statuisset inruptione barbarica

2 oblibione sepellire *L* 3 quum *radendo in* cum *corr. L;* Quur *e* radagaisus *L* Λ^1 *a d e p α k f;* radagaysus Λ^2; radagaissus *C;* radg/isus *b;* redagaisus *q;* Rhadagaisus *v* 5 cerbicibus *L* 6 extinto *C* 7 sed nec uuln., nec *m. 2, e* 8 ipse mox captus *codd. excepto e, qui post* captus *habet* cum filiis; ipse cum filiis mox captus *v* 9 etam *C* 10 copiis *m. 1 sup. lin. e* quibus locis martyrum honorem *L* Λ; quibus honorem locis mart. *C rell. v* 12 bellet *L* 13 isti *om.* a^1 haberent..... tanta *m. 2 in marg. infer. d* 15 placauat *L* 17 locis his *transpositione significata* Λ 19 Karth. *α Domb.* spargere *sup. lin. correctoris manu C;* aspargere Λ 21 immolare, imm *m. 2 in ras., e*

grauiora <pati> dignos mores hominum castigare, indignationem suam tanta mansuetudine temperauit, ut illum primo faceret mirabiliter uinci, ne ad infirmorum animos euertendos gloria daretur daemonibus, quibus eum supplicare constabat; deinde ab his barbaris Roma caperetur, qui contra omnem consuetudinem gestorum ante bellorum ad loca sancta confugientes Christianae religionis reuerentia tuerentur ipsisque daemonibus adque inpiorum sacrificiorum ritibus, de quibus ille praesumserat, sic aduersarentur nomine Christiano, ut longe atrocius bellum cum eis quam cum hominibus gerere uiderentur; ita uerus dominus gubernatorque rerum et Romanos cum misericordia flagellauit, et tam incredibiliter uictis supplicatoribus daemonum nec saluti rerum praesentium necessaria esse sacrificia illa monstrauit, ut ab his qui non peruicaciter contendunt, sed prudenter adtendunt, nec propter praesentes necessitates uera religio deseratur, et magis aeternae uitae fidelissima expectatione teneatur.

CAPUT XXIIII.

Quae sit Christianorum imperatorum et quam uera felicitas.

Neque enim nos Christianos quosdam imperatores ideo felices dicimus, quia uel diutius imperarunt uel imperantes filios morte placida reliquerunt, uel hostes rei publicae domuerunt uel inimicos ciues aduersus se insurgentes et cauere et obprimere potuerunt. Haec et alia uitae huius aerumnosae uel munera uel solacia quidam etiam cultores daemonum

1 grauiora pati dignos *C v;* grauiora dignos *L Λ b* a^1 *k f;* grauiore dignos a^1 *d e* a^2 k^2*;* grauiori dignos a^2 *p* 2 temperabit L^1 primū *C* 4 suplic. *L* C^1 6 bellorum ante gest. *v* 8 sacrificiorum *m. 2 in marg. C* 9 aduersaretur C^1 nomine *L Λ C* a^1 *b d* q^1 *Domb.;* nomini *e;* pro nomine a^2 *p* q^2 *v* 11 dñf, nf *in ras., C* gubernato,et romanus *C* 13 suplicat. *L* salutis *C* 14 qui *om.* C^1 16 necessitate praesentes *C* religio uera *v* 22 felicis C^1 24 cibes *L* caueret *C* 26 deonum *m. net. ex* deorum *corr. L;* dęmmonum Λ

accipere meruerunt, qui non pertinent ad regnum Dei, quo pertinent isti; et hoc ipsius misericordia factum est, ne ab illo ista qui in eum crederent uelut summa bona desiderarent. Sed felices eos dicimus, si iuste imperant, si inter linguas sublimiter honorantium et obsequia nimis humiliter salutantium non extolluntur, et se homines esse meminerunt; si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum maiestati eius famulam faciunt; si Deum timent diligunt colunt; si plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius uindicant, facile ignoscunt; si eandem uindictam pro necessitate regendae tuendaeque rei publicae, non pro saturandis inimicitiarum odiis exerunt; si eandem ueniam non ad inpunitatem iniquitatis, sed ad spem correctionis indulgent; si, quod aspere coguntur plerumque decernere, misericordiae lenitate et beneficiorum largitate conpensant; si luxuria tanto eis est castigatior, quanto posset esse liberior; si malunt cupiditatibus prauis quam quibuslibet gentibus imperare et si haec omnia faciunt non propter ardorem inanis gloriae, sed propter caritatem felicitatis aeternae; si pro suis peccatis humilitatis et miserationis et orationis sacrificium Deo suo uero immolare non neglegunt. Tales Christianos imperatores dicimus esse felices interim spe, postea re ipsa futuros, cum id quod expectamus aduenerit.

1 pertinet *L*, pertint *C* 2 pertinet *C* 3 crederent C^1; credirent C^2. (*qui correxit scripturus erat uel* crediderint *uel* crediderunt, *restitit tamen* e *in extrema syllaba*) 5 utiliter Λ *m. 2 corr.*; utiliter, *in marg.* humiliter, *p* 6 et se *L* Λ *C b e p*; sed se *a v Domb.*; si se *q* meminerunt, min *in ras.*, *C* 8 timenſ *C* diligant colant *C* 11 regandaetendeque *C* 12 exſerunt *L* $Λ^1$ *C d* 13 quod *m. 2 ex* cum *corr. C* 15 eis *om.* p^1 castigatior est *L* $Λ^1$ 16 possit *α* 20 et orationis *om. e* uero *om.* $α\, k^1$ non *om.* e^1 21 imperat. christ. *L* Λ 22 spe *om.* e^1 quum *L* Λ; quã *e*

CAPUT XXV.

De prosperitatibus, quas Constantino imperatori Christiano Deus contulit.

Nam bonus Deus, ne homines, qui eum crederent propter aeternam uitam colendum, has sublimitates et regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi daemonibus supplicet, quod hi spiritus in talibus multum ualerent, Constantinum imperatorem non supplicantem daemonibus, sed ipsum uerum Deum colentem tantis terrenis inpleuit muneribus, quanta optare nullus auderet; cui etiam condere ciuitatem Romano imperio sociam, uelut ipsius Romae filiam, sed sine aliquo daemonum templo simulacroque concessit. Diu imperauit, uniuersum orbem Romanum unus Augustus tenuit et defendit; in administrandis et gerendis bellis uictoriosissimus fuit, in tyrannis obprimendis per omnia prosperatus est; grandaeuus aegritudine et senectute defunctus est, filios imperantes reliquit. Sed rursus ne imperator quisquam ideo Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cum propter uitam aeternam quisque debeat esse Christianus: Iouianum multo citius quam Iulianum abstulit; Gratianum ferro tyrannico permisit interimi, longe quidem mitius quam magnum Pompeium colentem uelut Romanos deos. Nam ille uindicari a Catone non potuit, quem ciuilis belli quodam modo heredem reliquerat; iste autem, quamuis piae animae solacia talia non requirant, a Theodosio uindicatus est, quem regni participem fecerat, cum paruulum haberet et fratrem, auidior fidae societatis quam nimiae potestatis.

6 suplicet *L* Λ 7 hi *m. 1 sup. lin. C* 8 suplicantem *L* Λ *C*[1] 9 uerum *m. 1 sup. lin. L;* dm̃ uerum Λ 12 imperauit ut uniu. *C* 14 amministr. *L* Λ geredif *C* uitorios. *C* 15 prosperatus est *L* Λ *a b d p q α k f v;* profpetatuf est, c *m. 2, e;* prosperatus *omisso* est *C Domb.* 16 grandebus *L* Λ[1] 17 relinquit *L* Λ[1] 18 qu.m *L* 21 tyranno *e*[1] 22 peium *C* 24 haeredem *C* relinquerat *L* Λ[1] 26 haberet et fratrem *L* Λ *C b d e p q α k f;* haberet fratrem *v Domb ;* fratrem hab. *a* 27 fide *C e*

CAPUT XXVI.

De fide ac pietate Theodosii Augusti.

Unde et ille non solum uiuo seruauit quam debebat fidem, uerum etiam post eius mortem pulsum ab eius interfectore Maximo Valentinianum eius paruulum fratrem in sui partes imperii tamquam Christianus excepit pupillum, paterno custodiuit adfectu, quem destitutum omnibus opibus nullo negotio posset auferre, si latius regnandi cupiditate magis quam benefaciendi caritate flagraret; unde potius eum seruata eius imperatoria dignitate susceptum ipsa humanitate et gratia consolatus est. Deinde cum Maximum terribilem faceret ille successus, hic in angustiis curarum suarum non est lapsus ad curiositates sacrilegas adque inlicitas, sed ad Iohannem in Aegypti eremo constitutum, quem Dei seruum prophetandi spiritu praeditum fama crebrescente didicerat, misit adque ab eo nuntium uictoriae certissimum accepit. Mox tyranni Maximi extinctor Valentinianum puerum imperii sui partibus, unde fugatus fuerat, cum misericordissima ueneratione restituit, eoque siue per insidias siue quo alio pacto uel casu proxime extincto alium tyrannum Eugenium, qui in illius imperatoris locum non legitime fuerat subrogatus, accepto rursus prophetico responso fide certus obpressit, contra cuius robustissimum exercitum magis orando quam feriendo pugnauit. Milites nobis qui aderant rettulerunt extorta sibi esse de manibus quaecumque iaculabantur, cum a Theodosii partibus in aduersarios uehemens uentus iret et non solum quaecumque in eos iaciebantur concitatissime raperet, uerum etiam

1 C. XXVI *in indice cod. p numeratur* c. *I libri VI* 2 ac *C;* et *p q v* 3 seruabit *L;* seruiuit e^1 debeat *e* 4 post eius] posteriuſ *L* Λ^1 5 ualenti,num *C* suae partis imperio *α* 6 pupulum *p* custodibit *L* 7 negutio C^1 9 beneficiendi Λ^1 13 iohannen *L* Λ 14 heremo *L* Λ *a e;* haeremo *C* profet. *C* 16 uic turiae *C* 17 balent. *L* 19 pe r *C* 20 quin i *C* 24 retulerunt *L* Λ C^2 *a e* 25 iaculauantur *L* 26 aduerſario *C* 27 iaciabantur Λ; iacebantur C^1 *e;* iactabantur k^2.

ipsorum tela in eorum corpora retorqueret. Unde et poeta Claudianus, quamuis a Christi nomine alienus, in eius tamen laudibus dixit:

O nimium dilecte Deo, cui —
militat aether,
Et coniurati ueniunt ad classica uenti!

Victor autem, sicut crediderat et praedixerat, Iouis simulacra, quae aduersus eum fuerant nescio quibus ritibus uelut consecrata et in Alpibus constituta, deposuit, eorumque fulmina, quod aurea fuissent, iocantibus (quod illa laetitia permittebat) cursoribus et se ab eis fulminari uelle dicentibus hilariter benigneque donauit. Inimicorum suorum filios, quos, non ipsius iussu, belli abstulerat impetus, etiam nondum Christianos ad ecclesiam confugientes, Christianos hac occasione fieri uoluit et Christiana caritate dilexit, nec priuauit rebus et auxit honoribus. In neminem post uictoriam priuatas inimicitias ualere permisit. Bella ciuilia non sicut Cinna et Marius et Sylla et alii tales nec finita finire uoluerunt, sed magis doluit exorta quam cuiquam nocere uoluit terminata. Inter haec omnia ex ipso initio imperii sui non quieuit iustissimis et misericordissimis legibus aduersus inpios laboranti ecclesiae subuenire, quam Valens haereticus fauens Arianis uehementer adflixerat; cuius ecclesiae se membrum esse magis quam in terris regnare gaudebat. Simulacra gentilium ubique euertenda praecepit, satis intellegens nec terrena munera in daemoniorum, sed in Dei ueri esse posita

1 III. Cons. Hon. 96 sqq.

1 retorquerent *C* 2 xpiano|no mine, no *in fine uersus m. 2, C* 4 cui militat] *inuitis libris integra Claudiani uerba* cui fundit ab antris Aeolus armatas hiemes, cui militat cett. *hic edi solent* 8 secreta A^1, *margini adscript. e* 11 belle *L* ueniq; L^1A^1 12 iussu belli *L A C d e p a k f;* ius sed belli *b;* iussus, sed belli *a q v* 13 abstulerat *b* 14 fieri uoluit] *hic desinit L* 15 priuabit A^1 rebus *om. q* et] sed *a p q v* 17 cynna A mariꝰ *C* finita,reuolueꝰ, *erasae esse uidentur litterae* fini *superscriptae,* A 19 iter *C* 22 arrianis *C e* adflixit, it *ex* et *corr., C*

potestate. Quid autem fuit eius religiosa humilitate mirabilius, quando in Thessalonicensium grauissimum scelus, cui iam episcopis intercedentibus promiserat indulgentiam, tumultu quorundam, qui ei cohaerebant, uindicare conpulsus est et ecclesiastica cohercitus disciplina sic egit paenitentiam, ut imperatoriam celsitudinem pro illo populus orans magis fleret uidendo prostratam, quam peccando timeret iratam? Haec ille secum et si qua similia, quae commemorare longum est, bona opera tulit ex isto temporali uapore cuiuslibet culminis et sublimitatis humanae; quorum operum merces est aeterna felicitas, cuius dator est Deus solis ueraciter piis. Cetera uero uitae huius uel fastigia uel subsidia, sicut ipsum mundum lucem auras, terras aquas fructus ipsiusque hominis animam corpus, sensus mentem uitam, bonis malisque largitur; in quibus est etiam quaelibet imperii magnitudo, quam pro temporum gubernatione dispensat.

Proinde iam etiam illis respondendum esse uideo, qui manifestissimis documentis, quibus ostenditur, quod ad ista temporalia, quae sola stulti habere concupiscunt, nihil deorum falsorum numerositas prosit, confutati adque conuicti conantur adserere non propter uitae praesentis utilitatem, sed propter eam, quae post mortem futura est, colendos deos. Nam istis, qui propter amicitias mundi huius uolunt uana colere et non se permitti puerilibus sensibus conqueruntur, his quinque libris satis arbitror esse responsum. Quorum tres priores cum edidissem et in multorum manibus esse coepissent, audiui quosdam nescio quam aduersus eos responsionem scribendo praeparare. Deinde ad me perlatum est. quod iam scripserint, sed tempus quaerant, quo sine periculo possint edere. Quos admoneo, non optent quod eis non expedit. Facile est enim cuiquam uideri respondisse, qui tacere noluerit. Aut quid est

4 est *om.* $C\,e$ 5 disciplina co.ercitus C cohercitus $C^1\,d$ 7 temeret C^1 18 document^{if} C 19 soli e conpiscunt^{cu} Λ 20 falsorum *om.* Λ 21 aferere Λ^1 pter^{pro} C 22 post mortem *om.* α^1 24 sensibus *om.* C^1 25 priores *om.* α^1 quum Λ 30 ammoneo $\Lambda\,b$

loquacius uanitate? quae non ideo potest quod ueritas, quia, si uoluerit, etiam plus potest clamare quam ueritas. Sed considerent omnia diligenter, et si forte sine studio partium iudicantes talia esse perspexerint, quae potius exagitari quam conuelli possint garrulitate inpudentissima et quasi satyrica uel mimica leuitate, cohibeant suas nugas et potius a prudentibus emendari quam laudari ab inpudentibus eligant. Nam si non ad libertatem uera dicendi, sed ad licentiam maledicendi tempus expectant, absit ut eis eueniat quod ait Tullius de quodam, qui peccandi licentia felix appellabatur: O miserum, cui peccare licebat! Unde quisquis est, qui maledicendi licentia felicem se putat, multo erit felicior, si hoc illi omnino non liceat, cum possit deposita inanitate iactantiae etiam isto tempore tamquam studio consulendi quidquid uoluerit contradicere et, quantum possunt, ab eis quos consulit amica disputatione honeste grauiter libere quod oportet audire.

LIBER VI.

PRAEFATIO.

Quinque superioribus libris satis mihi aduersus eos uideor disputasse, qui multos deos et falsos, quos esse inutilia simulacra uel inmundos spiritus et perniciosa daemonia uel certe creaturas, non creatorem ueritas Christiana conuincit, propter uitae huius mortalis rerumque terrenarum utilitatem eo ritu ac seruitute, quae Graece λατρεία dicitur et uni uero

10 Tusc. V, 19, 55 (?)

3 considerent, en *in ras.*, *C* 5 ingentissima, *in marg.* impudentissima, *e* satyrica *codd.*; satirica *v* 7 inpudentibus Λ α^1, in,tib' *C m. 1 corr.*; inprudentibus *a b d e p v Domb.* 13 posset *C* 15 consulit, i *ex* e *corr.*, *C* disputationeste *e* FINIT LIBER | QVINTVS CONTRA | PAGANOS AVGVS | TINI EPISCOPI CATHO | LICI CVM PACE. A AVRELI AVG. EPĪ. ADVERSVS. PAGANOS | DE CIVITATE DĪ. EXPL. LIB. V. *C* 17 INC̄. LIB. VI. *C l* 22 crist. *l* cenuicit *C* 24 latria *C a d e*

Deo debetur, uenerandos et colendos putant. Et nimiae quidem stultitiae uel pertinaciae nec istos quinque nec ullos alios quanticumque numeri libros satis esse posse quis nesciat? quando ea putatur gloria uanitatis, nullis cedere uiribus ueritatis, in perniciem utique eius, cui uitium tam inmane dominatur. Nam et contra omnem curantis industriam non malo medici, sed aegroti insanabilis morbus inuictus est. Hi uero, qui ea quae legunt uel sine ulla uel non cum magna ac nimia ueteris erroris obstinatione intellecta et considerata perpendunt, facilius nos isto numero terminatorum quinque uoluminum plus, quam quaestionis ipsius necessitas postulabat, quam minus disseruisse iudicabunt, totamque inuidiam, quam Christianae religioni de huius uitae cladibus terrenarumque contritione ac mutatione rerum inperiti facere conantur, non solum dissimulantibus, sed contra suam conscientiam etiam fauentibus doctis, quos inpietas uesana possedit, omnino esse inanem rectae cogitationis adque rationis plenamque leuissimae temeritatis et perniciosissimae animositatis dubitare non poterunt.

CAPUT I.

De his, qui dicunt deos a se non propter praesentem uitam coli, sed propter aeternam.

Nunc ergo quoniam deinceps, ut promissus ordo expetit, etiam hi refellendi et docendi sunt, qui non propter istam uitam, sed propter illam, quae post mortem futura est, deos gentium, quos Christiana religio destruit, colendos esse contendunt: placet a ueridico oraculo sancti psalmi sumere exor-

2 pertin., i *ex* e *corr.*, *C* 10 nosito *C* 11 *ut editur C* b^1 *d l p* a^1 *f*; postulabat satisfecisse *a* b^2 *e q* a^2 *k v*; satisfecisse *m. 2 margini adscript. C* 13 religione C^1 de *om.* C^1 16 fauentibus etiam *v* fabentibus C^1 uaesana *C d* possidit C^1; possidet C^2 *a* 18 temeritatis, *in margine* uanitatis *e* 24 et docendi] docendiq;, q; *m. 2. l* 26 crist. *l* 27 placuit *l* a *om.* C^1

dium disputationis meae: Beatus, cuius est Dominus Deus spes ipsius et non respexit in uanitates et insanias mendaces. Verum tamen in omnibus uanitatibus insaniisque mendacibus longe tolerabilius philosophi audiendi sunt, quibus displicuerunt istae opiniones erroresque populorum, qui populi constituerunt simulacra numinibus multaque de his, quos deos inmortales uocant, falsa adque indigna siue finxerunt siue ficta crediderunt et credita eorum cultui sacrorumque ritibus miscuerunt. Cum his hominibus, qui, etsi non libere praedicando, saltem utcumque in disputationibus mussitando, talia se inprobare testati sunt, non usque adeo inconuenienter quaestio ista tractatur: utrum non unum Deum, qui fecit omnem spiritalem corporalemque creaturam, propter uitam, quae post mortem futura est, coli oporteat, sed multos deos, quos ab illo uno factos et sublimiter conlocatos quidam eorundem philosophorum ceteris excellentiores nobilioresque senserunt.

Ceterum quis ferat dici adque contendi deos illos, quorum in quarto libro quosdam commemoraui, quibus singulis singula rerum exiguarum distribuuntur officia, uitam aeternam cuique praestare? An uero peritissimi illi et acutissimi uiri, qui se pro magno beneficio conscripta docuisse gloriantur, ut sciretur quare cuique deo supplicandum esset, quid a quoque esset petendum, ne absurditate turpissima, qualis ioculariter in mimo fieri solet, peteretur a Libero aqua, a Lymphis uinum, auctores erunt cuipiam hominum dis inmortalibus supplicanti, ut, cum a Lymphis petierit uinum eique responderint: Nos

1 Ps. 39, 5 19 c. 11 et 21

1 meae, eae *in ras. C* beatus *superscripto m. 2* uir *e* 2 spes *m. rec. in fine uersus l* uanitate C^1 4 filos. *l;* phylos. *e* 7 his *codd.;* eis *v* 8 finrxerunt, *eras.* c, *l* 9 his ergo hom. $b^2 q a^2 k$ 10 saltim $C^2 d$ 13 piritalem *C* creturam C^1 16 erundem C^1 19 *sq. ut editur C;* rerum exig. singulis singula *rell. v Domb.* 20 cuique *C a b d e p;* cuiquam *l q v Domb.* 21 perit. illi *codd.;* illi perit. *v* 23 quoque *m. 2 in* quoquam *corr. C*

aquam habemus, hoc a Libero pete, possit recte dicere: Si uinum non habetis, saltem date mihi uitam aeternam? Quid hac absurditate monstruosius? Nonne illae cachinnantes (solent enim esse ad risum faciles), si non adfectent fallere ut daemones, supplici respondebunt: O homo, putasne in potestate nos habere uitam, quas audis non habere uel uitem? Inpudentissimae igitur stultitiae est uitam aeternam a talibus dis petere uel sperare, qui uitae huius aerumnosissimae adque breuissimae et si qua ad eam pertinent adminiculandam adque fulciendam ita singulas particulas tueri adseruntur, ut, si id, quod sub alterius tutela ac potestate est, petatur ab altero, tam sit inconueniens et absurdum, ut mimicae scurrilitati uideatur esse simillimum. Quod cum fit a scientibus mimis, digne ridentur in theatro; cum uero a nescientibus stultis, dignius inridentur in mundo. Cui ergo deo uel deae propter quid supplicaretur, quantum ad illos deos adtinet quos instituerunt ciuitates, a doctis sollerter inuentum memoriaeque mandatum est: quid a Libero, uerbi gratia, quid a Lymphis, quid a Vulcano ac sic a ceteris, quos partim commemoraui in quarto libro, partim praetereundos putaui. Porro si a Cerere uinum, a Libero panem, a Vulcano aquam, a Lymphis ignem petere erroris est: quanto maioris deliramenti esse intellegi debet, si cuiquam istorum pro uita supplicetur aeterna!

Quam ob rem si, cum de regno terreno quaereremus, quosnam illud deos uel deas hominibus credendum esset posse conferre, discussis omnibus longe alienum a ueritate monstratum est a quoquam istorum multorum numinum adque falsorum

4 Verg. Ecl. 3, 9

1 posset *C* 2 saltim C^2 3 monstruosius *a d e l p q α;* monstrosius *C Domb.* illae *om. b* excach. *α* 5 suppliciter *l* in *om. l* 9 ammin. *e* 10 adserunt *l* 12 mimica scurilitate *l* 13 a *C e v;* ab *a b l p Domb.;* ạb a *q* 16 attinent *e* 17 ciuitatis C^1 docti *C* 19. 21 uulgano l^1 *d* 19 commemoraui ... partim *om. e'* 20 praeter eundos, praeter *sup. lin. C* 21 a Vulc.] aut uulc. *C* 26 ọm|omnibuſ, om *in fine uersus delet., C*

saltem regna terrena existimare constitui: nonne insanissimae inpietatis est, si aeterna uita, quae terrenis omnibus regnis sine ulla dubitatione uel conparatione praeferenda est, ab istorum quoquam dari cuiquam posse credatur? Neque enim propterea di tales uel terrenum regnum dare non posse uisi sunt, quia illi magni et excelsi sunt, hoc quiddam paruum et abiectum, quod non dignarentur in tanta sublimitate curare; sed quantumlibet consideratione fragilitatis humanae caducos apices terreni regni merito quisque contemnat, illi di tales apparuerunt, ut indignissimi uiderentur, quibus danda adque seruanda deberent uel ista committi. Ac per hoc, si (ut superiora proximis duobus libris pertractata docuerunt) nullus deus ex illa turba uel quasi plebeiorum uel quasi procerum deorum idoneus est regna mortalia mortalibus dare, quanto minus potest inmortales ex mortalibus facere!

Huc accedit, quia, si iam cum illis agimus, qui non propter istam, sed propter uitam quae post mortem futura est existimant colendos deos, iam nec propter illa saltem, quae deorum talium potestati tamquam dispertita et propria non ratione ueritatis, sed uanitatis opinione tribuuntur, omnino colendi sunt, sicut credunt hi, qui cultum eorum uitae huius mortalis utilitatibus necessarium esse contendunt; contra quos iam quinque praecedentibus uoluminibus satis, quantum potui, disputaui. Quae cum ita sint, si eorum, qui colerent deam Iuuentatem, aetas ipsa floreret insignius, contemtores autem eius uel intra annos occumberent iuuentutis, uel in ea tamquam senili torpore frigescerent; si malas cultorum suorum speciosius et festiuius Fortuna barbata uestiret, a quibus autem sperneretur, glabros aut male barbatos uide-

1 saltim C^2 3 praefe//renda, re *eras.*, C 4 cui/quam, i *in ras.* *litterae* m, C 7 abictum C 11 Hac b^1 si ut] sicut $C\,e^2\,l$ 15 facere] dare e 18 illa/, m *eras.*, C saltim C^2 20 ueretatis C^1 opinioni e^2 21 mortali,tatibus C 23 quinqu/e, a *eras.*, C 25 deam *om.* e^1 26 anno C iuuentis e 27 frigerent, fce *m. rec. supra-script.*, C ma//laſ, cu *ut uidetur eras.*, e

remus: etiam sic rectissime diceremus huc usque istas deas singulas posse, suis officiis quodam modo limitatas, ac per hoc nec a Iuuentate oportere peti uitam aeternam, quae non daret barbam, nec a Fortuna barbata boni aliquid post hanc uitam esse sperandum, cuius in hac uita potestas nulla esset, ut eandem saltem aetatem, quae barba induitur, ipsa praestaret. Nunc uero cum earum cultus nec propter ista ipsa, quae putant eis subdita, sit necessarius, quia et multi colentes Iuuentatem deam minime in illa aetate uiguerunt, et multi non eam colentes gaudent robore iuuentutis, itemque multi Fortunae barbatae supplices ad nullam uel deformem barbam peruenire potuerunt, et si qui eam pro barba inpetranda uenerantur, a barbatis eius contemtoribus inridentur: itane desipit cor humanum, ut, quorum deorum cultum propter ista ipsa temporalia et cito praetereuntia munera, quibus singulis singuli praeesse perhibentur, inanem ludibriosumque cognoscit, propter uitam aeternam credat esse fructuosum? Hanc dare illos posse nec hi dicere ausi sunt, qui eis, ut ab insipientibus populis colerentur, ista opera temporalia, quoniam nimis multos putarunt, ne quisquam eorum sederet otiosus, minutatim diuisa tribuerunt.

CAPUT II.

Quid Varronem de dis gentium sensisse credendum sit, quorum talia et genera et sacra detexit, ut reuerentius cum eis ageret, si de illis omnino reticeret.

Quis Marco Varrone curiosius ista quaesiuit? quis inuenit doctius? quis considerauit adtentius? quis distinxit acutius?

2 posse suis, *in margine:* aℓ. ſe eiuſ, *e* sui *C* pe *C* 3 iuuentute *l* 4 barata *l* boni *m. 1 sup. lin. C* 5 esse] poſſe *l* 6 saltim C^2 7 uero, er *m. 2 in ras. C* ista ipsa *a b d e p q v Domb.;* ipsa ista *l α;* ista *om. C* 9 iuuentutem *l* 11 fortunae *m. 2 ex* futurae *corr. C* 12 peruenientes, entes *m. 2 in ras., e* potuerunt *usque ad* uenerantur *om. e* imperanda C^1 15 ipsa *om. p* 20 putauerunt *v* 24 et genera detexit et sacra *p* 27 Marco *a d e l*; M. *C* 28 quis distincxit accutius pleniusque quod scripsit *m. 1 in marg. e* distincxit *l*

quis diligentius pleniusque conscripsit? Qui tametsi minus est suauis eloquio, doctrina tamen adque sententiis ita refertus est, ut in omni eruditione, quam nos saecularem, illi autem liberalem uocant, studiosum rerum tantum iste doceat, quantum studiosum uerborum Cicero delectat. Denique et ipse [Tullius] huic tale testimonium perhibet, ut in libris Academicis dicat eam, quae ibi uersatur, disputationem se habuisse cum Marco Varrone, 'homine, inquit, omnium facile acutissimo et sine ulla dubitatione doctissimo'. Non ait 'eloquentissimo' uel 'facundissimo', quoniam re uera in hac facultate multum inpar est; sed 'omnium, inquit, facile acutissimo', et in eis libris, id est Academicis, ubi cuncta dubitanda esse contendit, addidit 'sine ulla dubitatione doctissimo'. Profecto de hac re sic erat certus, ut auferret dubitationem, quam solet in omnibus adhibere, tamquam de hoc uno etiam pro Academicorum dubitatione disputaturus se Academicum fuisset oblitus. In primo autem libro cum eiusdem Varronis litteraria opera praedicaret: 'Nos, inquit, in nostra urbe peregrinantes errantesque tamquam hospites tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam, tu publicam disciplinam, tu sedem regionum locorum, tu omnium diuinarum humanarumque rerum nomina genera, officia causas aperuisti.' Iste igitur uir tam insignis excellentisque peritiae et, quod de illo etiam Terentianus elegantissimo uersiculo breuiter ait:

Vir doctissimus undecumque Varro,

16 c. 3 27 Metr. 2846

1 planiusque $a\,b^1\,k$ 4 ista C 5 et *om.* q [Tullius] *om.* $C\,d\,l\,p\,\alpha\,f$ 6. 12. 16 achadem. $C\,e\,l$ 7 eadem l 12 addit f . 13 sic cicero erat α 18 in *m. 1 sup. lin.* l urbe, u *ex* o *corr.* C 19 hospites, i *ex* e *corr.*, C possemus, e *ex* i *corr.* C 21 discript. l 22 disciplinam *m. rec. in marg.* C sedem $b^2\,e$; sedum $C^1\,b^1\,d\,l\,p^1\,k\,f$; sedium $C^2\,a\,p^2\,q\,\alpha$ 27 Varro .. multa *om.* d

qui tam multa legit, ut aliquid ei scribere uacuisse miremur; tam multa scripsit, quam multa uix quemquam legere potuisse credamus: iste, inquam, uir tantus ingenio tantusque doctrina, si rerum uelut diuinarum, de quibus scribit, obpugnator esset adque destructor easque non ad religionem, sed ad superstitionem diceret pertinere, nescio utrum tam multa in eis ridenda contemnenda detestanda conscriberet. Cum uero deos eosdem ita coluerit colendosque censuerit, ut in eo ipso opere litterarum suarum dicat se timere ne pereant, non incursu hostili, sed ciuium neglegentia, de qua illos uelut ruina liberari a se dicit et in memoria bonorum per eius modi libros recondi adque seruari utiliore cura, quam *qua* Metellus de incendio sacra Vestalia et Aeneas de Troiano excidio penates liberasse praedicatur; et tamen ea legenda saeculis prodit, quae a sapientibus et insipientibus merito abicienda et ueritati religionis inimicissima iudicentur: quid existimare debemus nisi hominem acerrimum ac peritissimum, non tamen sancto Spiritu liberum, obpressum fuisse suae ciuitatis consuetudine ac legibus, et tamen ea quibus mouebatur sub specie commendandae religionis tacere noluisse.

CAPUT III.

Quae sit partitio Varronis librorum suorum, quos de antiquitatibus rerum humanarum diuinarumque conposuit.

Quadraginta et unum libros scripsit antiquitatum; hos in res humanas diuinasque diuisit, rebus humanis uiginti quinque,

1 tamulta *C* aliqui *C* aliqeis *d* uacuisse *a e l* α^1 *k f Domb.*^{2}; uaca//sse, ui *eras., b;* uacasse *C d q* α^2 *v;* uacuum fuisse *p* 4 scripsit *l p q* 5 distructor *l*^{1} relegionem *C*^{1} 7 deos *m. 2 in ras. e* 9 temere *C*^{1} perent *C* 11 huius modi *v* 12 qua *post* quam *inserendum esse duxi* 13 aeaſ *C* 14 praedicantur *a b v* 15 a] ea *C*^{1} 16 iudicentur, a *m. 2, C* debuſ *l* 17 ac perit.] apertissimum *e* 18 consuitudine *C*^{1} 19 moueatur *C* 20 releg. *C*^{1} 25 et unum *C b p q v;* et *om. Domb.* 26 humanis *m. 1 sup. lin. C* XXV. *a* quattuor *e*

diuinis sedecim tribuit, istam secutus in ea partitione rationem, ut rerum humanarum libros senos quattuor partibus daret. Intendit enim qui agant, ubi agant, quando agant, quid agant. In sex itaque primis de hominibus scripsit, in secundis sex de locis, sex tertios de temporibus, sex quartos eosdemque postremos de rebus absoluit. Quater autem seni uiginti et quattuor fiunt. Sed unum singularem, qui communiter prius de omnibus loqueretur, in capite posuit. In diuinis identidem rebus eadem ab illo diuisionis forma seruata est, quantum adtinet ad ea, quae dis exhibenda sunt. Exhibentur enim ab hominibus in locis et temporibus sacra. Haec quattuor, quae dixi, libris conplexus est ternis: nam tres priores de hominibus scripsit, sequentes de locis, tertios de temporibus, quartos de sacris, etiam hic, qui exhibeant, ubi exhibeant, quando exhibeant, quid exhibeant, subtilissima distinctione commendans. Sed quia oportebat dicere et maxime id expectabatur, quibus exhibeant, de ipsis quoque dis tres conscripsit extremos, ut quinquies terni quindecim fierent. Sunt autem omnes, ut diximus, sedecim, quia et istorum exordio unum singularem, qui prius de omnibus loqueretur, adposuit. Quo absoluto consequenter ex illa quinquepertita distributione tres praecedentes, qui ad homines pertinent, ita subdiuisit, ut primus sit de pontificibus, secundus de auguribus, tertius de quindecimuiris sacrorum; secundos tres ad loca pertinentes, ita ut in uno eorum de sacellis, altero de sacris aedibus diceret, tertio de locis religiosis; tres porro, qui istos sequuntur et ad tempora

1 XVI., cim *m. rec., a* 3 qui] quid *C a*[1] qui/, d *eras., C* 8 idemtidem *l;* ịdẹṃ identidem *q* 10 exibenda, exibentur *et sic infra l* 14 ubi exhib. quando exhibeant *om. e* 15 quid exhib. *om. b*[1] 16 et maxime *a b d e l p q α k f v;* maximeque *C* quibus exhibeant, *in marg. m. 2* quid exhibeant *C* 19 priuf, m *m. 2, C* 20 conposuit *α* absolutjo, j *m. 2 in ras., l* 21 quinquepertita *codd.;* quinque partita *v* 23 aguribuf *C* quindecem *C*[1] 24 ut *om. q* in *om. l* unus *l* 25 altero *l* tertio *l* 26 secuntur *l* ad *sup. lin. e*

pertinent, id est ad dies festos, ita ut unum eorum faceret de feriis, alterum de ludis circensibus, de scaenicis tertium; quartorum trium ad sacra pertinentium uni dedit consecrationes, alteri sacra priuata, ultimo publica. Hanc uelut pompam obsequiorum in tribus, qui restant, di ipsi sequuntur extremi, quibus iste uniuersus cultus inpensus est: in primo di certi, in secundo incerti, in tertio cunctorum nouissimo di praecipui adque selecti.

CAPUT IIII.

Quod ex disputatione Varronis aput cultores deorum antiquiores res humanae quam diuinae reperiantur.

In hac tota serie pulcherrimae ac subtilissimae distributionis et distinctionis uitam aeternam frustra quaeri et sperari inpudentissime uel optari, ex his, quae iam diximus et quae deinceps dicenda sunt, cuiuis hominum, qui corde obstinato sibi non fuerit inimicus, facillime apparet. Vel hominum enim sunt ista instituta uel daemonum, non quales uocant illi daemones bonos, sed, ut loquar apertius, inmundorum spirituum et sine controuersia malignorum, qui noxias opiniones, quibus anima humana magis magisque uanescat et incommutabili aeternaeque ueritati coaptari adque inhaerere non possit, inuidentia mirabili et occulte inserunt cogitationibus inpiorum et aperte aliquando ingerunt sensibus et qua possunt fallaci adtestatione confirmant. Iste ipse Varro propterea se prius de rebus humanis, de diuinis autem postea scripsisse testatur, quod prius extiterint ciuitates, deinde ab eis haec instituta sint. Vera autem religio non a terrena aliqua ciuitate instituta

1 id est] istes *e* ita ut *C q v;* ita *om. rell. Domb.* 2 circ., i *ex* e *corr., C* 3 consecratio *e* 5 secuntur C^1 *l* 6 est *m. 1 sup. lin. C* 7 in secundo incerti *m. 1 sup. lin. C* 8 ſelecti, ſ *in ras. litterae* r, *C* 12 repperiantur *C* 13 pulcherrimae—subtilissimae, a *m. 2 in ras. C* distinctionis et distributionis *l* 14 quaerit *C* 15 obtari et ex *l* 16 deineps *C* cuius *C d* e^1 *l* 23 cogitatibus *e* 27 instituta *om.* b^1 constituta *α*

est, sed plane caelestem ipsa instituit ciuitatem. Eam uero inspirat et docet uerus Deus, dator uitae aeternae, ueris cultoribus suis.

Varronis igitur confitentis ideo se prius de rebus humanis scripsisse, postea de diuinis, quia diuinae istae ab hominibus institutae sunt, haec ratio est: 'Sicut prior est, inquit, pictor quam tabula picta, prior faber quam aedificium: ita priores sunt ciuitates quam ea, quae a ciuitatibus instituta sunt'. Dicit autem prius se scripturum fuisse de dis, postea de hominibus, si de omni natura deorum scriberet, quasi hic de aliqua scribat et non de omni, aut uero etiam aliqua, licet non omnis, deorum natura non prior debeat esse quam hominum. Quid, quod in illis tribus nouissimis libris deos certos et incertos et selectos diligenter explicans nullam deorum naturam praetermittere uidetur? Quid est ergo, quod ait: 'Si de omni natura deorum et hominum scriberemus, prius diuina absoluissemus, quam humana adtigissemus'? Aut enim de omni natura deorum scribit, aut de aliqua, aut omnino de nulla. Si de omni, praeponenda utique est rebus humanis; si de aliqua, quur non etiam ipsa res praecedat humanas? An indigna est praeferri etiam uniuersae naturae hominum pars aliqua deorum? Quod si multum est, ut aliqua pars diuina praeponatur uniuersis rebus humanis, saltem digna est uel Romanis. Rerum quippe humanarum libros, non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Romam pertinet, scripsit, quos tamen rerum diuinarum libris se dixit scribendi ordine merito praetulisse, sicut pictorem tabulae pictae, sicut fabrum aedificio, apertissime confitens, quod etiam istae res

4 hum^{anif} *C* 5 ////quia, *eraso* quia *utpote bis posito, C; idem factum est u. 6, ubi* ficut *bis erat scriptum* 6 prior] superior *l* 8 sunt instituta *v* 9 se prius *q v* 10 scriberit C^1 11 scribat $C\,b^1\,k\,v$; scribit $b^2\,d\,e\,l\,\alpha$; scripsit *p*; scriberet *C m. rec. in marg., a* f^d non *om. e* 12 eorum *C; om.* e^1 16 obsoluiss. *e* 17 attegiss. C^1 18 scrip/it, f *eras., l* 19 utique est *C;* est utique *rell. v* 23 saltjm C^2 25 pertinent *α*

diuinae, sicut pictura, sicut structura, ab hominibus institutae sint. Restat ut de nulla deorum natura scripsisse intellegatur, neque hoc aperte dicere uoluisse, sed intellegentibus reliquisse. Ubi enim dicitur 'non omnis', usitate quidem intellegitur aliqua; sed potest intellegi et 'nulla', quoniam quae nulla est nec omnis nec aliqua est. Nam, ut ipse dicit, si omnis esset natura deorum, de qua scriberet, scribendi ordine rebus humanis praeponenda esset; ut autem et ipso tacente ueritas clamat, praeponenda esset certe rebus Romanis, etiamsi non omnis, sed saltem aliqua esset: recte autem postponitur; ergo nulla est. Non itaque rebus diuinis anteferre uoluit res humanas, sed rebus ueris noluit anteferre res falsas. In his enim, quae scripsit de rebus humanis, secutus est historiam rerum gestarum; quae autem de his, quas diuinas uocat, quid nisi opiniones rerum uanarum? Hoc est nimirum, quod uoluit subtili significatione monstrare, non solum scribens de his posterius quam de illis, sed etiam rationem reddens quur id fecerit. Quam si tacuisset, aliter hoc factum eius ab aliis fortasse defenderetur. In ea uero ipsa ratione, quam reddidit, nec aliis quidquam reliquit pro arbitrio suspicari et satis probauit homines se praeposuisse institutis hominum, non naturam hominum naturae deorum. Ita se libros rerum diuinarum non de ueritate quae pertinet ad naturam, sed de falsitate quae pertinet ad errorem scripsisse confessus est. Quod apertius alibi posuit, sicut in quarto libro commemoraui, ex naturae formula se scripturum fuisse, si nouam ipse conderet ciuitatem; quia uero iam ueterem inuenerat, non se potuisse nisi eius consuetudinem sequi.

25 c. 31

1 instituta *C* 2 sunt *e* natura deorum *a* 4 intellegetur l^1; intellegatur *q* 6 huc aliqua *e* 7 ordineriḃ;. *m. 2 superscripto* reb', *e* 8 ipsi *e* 11 uoluit.....:. anteferre *m. 1 in marg. e* 12 anteferre/, t *eras.*, *C* 14 autem sunt *p* 19 ipse C^1 *e l* · reddit *e* 23 //ueritate, ue *eras.*, *C* 25 sicut *C rell. v;* sicuti *Domb.* 28 consuetudenem C^1

CAPUT V.

De tribus generibus theologiae secundum Varronem, id est uno fabuloso, altero naturali tertioque ciuili.

Deinde illud quale est, quod tria genera theologiae dicit esse, id est rationis quae de dis explicatur, eorumque unum mythicon [appellari], alterum physicon, tertium ciuile? Latine si usus admitteret, genus, quod primum posuit, fabulare appellaremus; sed fabulosum dicamus; a fabulis enim mythicon dictum est, quoniam μῦθος Graece fabula dicitur. Secundum autem ut naturale dicatur, iam et consuetudo locutionis admittit. Tertium etiam ipse Latine enuntiauit, quod ciuile appellatur. Deinde ait: 'Mythicon appellant, quo maxime utuntur poetae; physicon, quo philosophi; ciuile, quo populi. Primum, inquit, quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem et naturam inmortalium ficta. In hoc enim est, ut deus alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; in hoc, ut di furati sint, ut adulterarint, ut seruierint homini; denique in hoc omnia dis adtribuuntur, quae non modo in hominem, sed etiam quae in contemtissimum hominem cadere possunt'. Hic certe ubi potuit, ubi ausus est, ubi inpunitum putauit, quanta mendacissimis fabulis naturae deorum fieret iniuria, sine caligine ullius ambiguitatis expressit. Loquebatur enim non de naturali theologia, non de ciuili, sed de fabulosa, quam libere a se putauit esse culpandam.

Videamus quid de altera dicat. 'Secundum genus est, inquit, quod demonstraui, de quo multos libros philosophi reliquerunt;

3 id est *C; i. p;* scilicet *q v* 6 de *m. 1 sup. lin. C* 7 appellari *om. C;* adpellatur *l* 9 mithicon *e* 10 mithos *d* 11 amittit *e* 12 enuntiauit *e,* nuntiauit *l* 13 quod *l* 14 quo philos.] quo *m. 2 ex* qđ *corr. l* 18 furati, *in marg.* fugurati (*sic!*) *e* adulterarint *codd. praeter d q;* adulterarent *d;* adulterauerint *q v* 19 denique] deinde *a* in hoc *m. rec. in marg. C* diis *sup. lin. C* 21 hęc *d* 23 unius *e* 27 reliquerunt *l*

in quibus est, di qui sint, ubi, quod genus, quale; a quodam tempore an a sempiterno fuerint di; ex igni sint, ut credit Heraclitus, an ex numeris, ut Pythagoras, an ex atomis, ut ait Epicurus. Sic alia, quae facilius intra parietes in schola quam extra in foro ferre possunt aures'. Nihil in hoc genere culpauit, quod physicon uocant et ad philosophos pertinet, tantum quod eorum inter se controuersias commemorauit, per quos facta est dissidentium multitudo sectarum. Remouit tamen hoc genus a foro, id est a populis; scholis uero et parietibus clausit. Illud autem primum mendacissimum adque turpissimum a ciuitatibus non remouit. O religiosas aures populares adque in his etiam Romanas! Quod de dis inmortalibus philosophi disputant, ferre non possunt; quod uero poetae canunt et histriones agunt, quia contra dignitatem ac naturam inmortalium ficta sunt, quia non modo in hominem, sed etiam in contemtissimum hominem cadere possunt, non solum ferunt, sed etiam libenter audiunt. Neque id tantum, sed dis quoque ipsis haec placere et per haec eos placandos esse decernunt.

Dixerit aliquis: Haec duo genera mythicon et physicon, id est fabulosum adque naturale, discernamus ab hoc ciuili, de quo nunc agitur, unde illa et ipse discreuit, iamque ipsum ciuile uideamus qualiter explicet. Video quidem, quur debeat discerni fabulosum: quia falsum, quia turpe, quia indignum est. Naturale autem a ciuili uelle discernere quid est aliud quam etiam ipsum ciuile fateri esse mendosum? Si enim illud naturale est, quid habet reprehensionis, ut excludatur? Si autem hoc quod ciuile dicitur naturale non est, quid habet meriti, ut admittatur? Haec nempe illa causa est, quare prius scripserit de rebus humanis, posterius de diuinis, quoniam in diuinis

1 quale *Cp v;* quale est *Domb.* ex quo tempore *q* 2 a *ante* sempit. *om. e* igne *a e* 3 ut *ante* Pythag. *sup. lin. C; om. d* 4 at *C* 8 quos *b* 10 clasit *C* 14 quia *mss. v;* quae *Domb.* 17 sed *om. e*[1] 22 et ipsum *l* 26 ciuile/, m *eras. C* sic *p* 27 excludatur *codd. praeter C, in quo* amoueatur 28 hoc *om. p* 29 ammittatur *C*

rebus non naturam, sed hominum instituta secutus est. Intueamur sane et ciuilem theologian. 'Tertium genus est, inquit, quod in urbibus ciues, maxime sacerdotes, nosse adque administrare debent. In quo est, quos deos publice, <quae> sacra ac sacrificia colere et facere quemque par sit'. Adhuc quod sequitur adtendamus. 'Prima, inquit, theologia maxime adcommodata est ad theatrum, secunda ad mundum, tertia ad urbem'. Quis non uideat, cui palmam dederit? Utique secundae, quam supra dixit esse philosophorum. Hanc enim pertinere testatur ad mundum, quo isti nihil esse excellentius opinantur in rebus. Duas uero illas theologias, primam et tertiam, theatri scilicet adque urbis, distinxit an iunxit? Videmus enim non continuo, quod est urbis, pertinere posse et ad mundum, quamuis urbes esse uideamus in mundo; fieri enim potest, ut in urbe secundum falsas opiniones ea colantur et ea credantur, quorum in mundo uel extra mundum natura sit nusquam: theatrum uero ubi est nisi in urbe? Quis theatrum instituit nisi ciuitas? Propter quid instituit nisi propter ludos scaenicos? Ubi sunt ludi scaenici nisi in rebus diuinis, de quibus hi libri tanta sollertia conscribuntur?

CAPUT VI.

De theologia mythica, id est fabulosa, et de ciuili contra Varronem.

O Marce Varro, cum sis homo omnium acutissimus et sine ulla dubitatione doctissimus, sed tamen homo, non Deus,

1 naturam $C b^1 l p o^1 f v$; nat. deorum $b^2 e q a^2 k$; deo$\frac{\text{rum}}{\text{a}}$ *m. rec. in marg. C* intuemur *C* 2 sane *sup. lin. C* 3 orbibus C^1 4 quod deos $a b p q$ quae *om. mss.* 5 sacra ac sacrificia $C a^1 b d e l p q$ colere, *m. 1 superscripto* et facere, *C;* colere et facere $b d e l p q$; colere et sacra ac sacrificia facere a^2; colere, quae sacra et sacrificia facere v *Domb. qui edidit:* quos deos publice * * sacra et sacrificia colere *adnotat: 'fortasse legendum:* publice sacro et sacrificio colere quemque' par, *superscripto* fas, p 8 orbem l^1 10 iste e^2 opinatur e 12 theatris scilicet atque urbi p distincxit $C d l$ an iunxit $C^1 b^1$ $d e p k^2 f v$; an adiunxit C^2; adiunxit $b^1 l^1 a k^1$; ac iunx$\frac{\text{n}}{\text{}}$. l^2; et adiuxit $a b^2$ 18 quod e^1 nisi *sup. lin. C*

nec spiritu Dei ad uidenda et adnuntianda diuina in ueritatem libertatemque subuectus, cernis quidem quam sint res diuinae ab humanis nugis adque mendaciis dirimendae; sed uitiosissimas populorum opiniones et consuetudines in superstitionibus publicis uereris offendere, quas ab deorum natura abhorrere uel talium, quales in huius mundi elementis humani animi suspicatur infirmitas, et sentis ipse, cum eas usquequaque consideras, et omnis uestra litteratura circumsonat. Quid hic agit humanum quamuis excellentissimum ingenium? Quid tibi humana licet multiplex ingensque doctrina in his angustiis suffragatur? Naturales deos colere cupis, ciuiles cogeris. Inuenisti alios fabulosos, in quos liberius quod sentis euomas, unde et istos ciuiles uelis nolisue perfundas. Dicis quippe fabulosos adcommodatos esse ad theatrum, naturales ad mundum, ciuiles ad urbem, cum mundus opus sit diuinum, urbes uero et theatra opera sint hominum, nec alii derideantur in theatris, quam qui adorantur in templis, nec aliis ludos exhibeatis, quam quibus uictimas immolatis. Quanto liberius subtiliusque ista diuideres, dicens alios esse deos naturales, alios ab hominibus institutos, sed de institutis aliud habere litteras poetarum, aliud sacerdotum, utrasque tamen ita esse inter se amicas consortio falsitatis, ut gratae sint utraeque daemonibus, quibus doctrina inimica est ueritatis! Sequestrata igitur paululum theologia, quam naturalem uocant, de qua postea disserendum est, placetne tandem uitam aeternam peti aut sperari ab dis poeticis theatricis, ludicris scaenicis? Absit; immo auertat Deus uerus tam inmanem sacrilegamque dementiam. Quid? ab eis dis, quibus haec placent et quos haec pla-

3 nugis] magis *e* 5 ab, b *eras.*, *C*; a *b q*^{1} eorum *l* 11 colere//, re *eras.*, *C* cogeres *C*^{1} 12 liberus *C* 13 ꝑdas *e* quippe] quoq; *l* 15 opus *sup. lin. C* 16 derideantur *C a b k*^{1}; dirid. *d*; deriuantur *p*; dii rideantur *rell. v* 17 alios *e*^{1} 18 exibeatis *C*^{1} *l*^{1} 19 suptil. *C* 20 aliut *C*^{1} 21 litterę *l* 22 inter se *om. C* 23 inimica est doctrina *v* 26 ab *C*^{1} *p q α*; a *C*^{2} *a b e l v* 27 uerus *om. l* 28 Quid, *superscripto m. 2* ut, *e*

cant, cum eorum illic crimina frequententur, uita aeterna poscenda est? Nemo, ut arbitror, usque ad tantum praecipitium furiosissimae inpietatis insanit. Nec fabulosa igitur nec ciuili theologia sempiternam quisquam adipiscitur uitam. Illa enim de dis turpia fingendo seminat, haec fauendo metit; illa mendacia spargit, haec colligit; illa res diuinas falsis criminibus insectatur, haec eorum criminum ludos in diuinis rebus amplectitur; illa de dis nefanda figmenta hominum carminibus personat, haec ea deorum ipsorum festiuitatibus consecrat; facinora et flagitia numinum illa cantat, haec amat; illa prodit aut fingit, haec autem aut adtestatur ueris aut oblectatur et falsis. Ambae turpes ambaeque damnabiles; sed illa, quae theatrica est, publicam turpitudinem profitetur; ista, quae urbana est, illius turpitudine ornatur. Hincine uita aeterna sperabitur, unde ista breuis temporalisque polluitur? An uero uitam polluit consortium nefariorum hominum, si se inserant adfectionibus et adsensionibus nostris, et uitam non polluit societas daemonum, qui coluntur criminibus suis? Si ueris, quam mali! si falsis, quam male!

Haec cum dicimus, uideri fortasse cuipiam nimis harum rerum ignaro potest ea sola de dis talibus maiestati indigna diuinae et ridicula detestabilia celebrari, quae poeticis cantantur carminibus et ludis scaenicis actitantur; sacra uero illa, quae non histriones, sed sacerdotes agunt, ab omni esse dedecore purgata et aliena. Hoc si ita esset, numquam theatricas turpitudines in eorum honorem quisquam celebrandas esse censeret, numquam eas ipsi di praeciperent sibimet exhiberi. Sed ideo nihil pudet ad obsequium deorum talia gerere in theatris, quia similia geruntur in templis. Denique cum memoratus auctor ciuilem theologian a fabulosa et naturali tertiam quandam sui generis distinguere conaretur,

5 metet C^1 illa *om. l* 8 carminibusq; *e* 12 ambaeque//// *erasis aliquot litteris, C* 14 hinccine *C e;* hincin *l* 17 et affect. *α* 18 locuntur *e* 19 malis *e* 21 indigna maiestati *q* 22 ac detest. *e* 30 autor e^1

magis eam ex utraque temperatam quam ab utraque separatam intellegi uoluit. Ait enim ea, quae scribunt poetae, minus esse quam ut populi sequi debeant; quae autem philosophi, plus quam ut ea uulgum scrutari expediat. 'Quae sic abhorrent, inquit, ut tamen ex utroque genere ad ciuiles rationes adsumta sint non pauca. Quare quae erunt communia, una cum propriis ciuilibus scribemus; e quibus maior societas debet esse nobis cum philosophis quam cum poetis'. Non ergo ulla cum poetis. Et tamen alio loco dicit de generationibus deorum magis ad poetas quam ad physicos fuisse populos inclinatos. Hic enim dixit quid fieri debeat, ibi quid fiat. Physicos dixit utilitatis causa scripsisse, poetas delectationis. Ac per hoc ea, quae a poetis conscripta populi sequi non debent, crimina sunt deorum, quae tamen delectant et populos et deos. Delectationis enim causa, sicut dicit, scribunt poetae, non utilitatis; ea tamen scribunt, quae di expetant, populi exhibeant.

CAPUT VII.

De fabulosae et ciuilis theologiae similitudine adque concordia.

Reuocatur igitur ad theologian ciuilem theologia fabulosa theatrica scaenica, indignitatis et turpitudinis plena, et haec tota, quae merito culpanda et respuenda iudicatur, pars huius est, quae colenda et obseruanda censetur; non sane pars incongrua, sicut ostendere institui, et quae ab uniuerso corpore

1 eam magis *v* 3 ut *om.* *α* quae scribunt autem *α* 4 uulgum *C a b d l f*; uulgus *e p q α* aborrent *l* 6 quare quae erunt *a b e l p Domb.*; qua|e| (e *in fine uersus m. 2*) requaerunt, a *m. 2 in* j *corr.*, *C*; quare que·r̄ (f?) *d*; quare quae sunt *q v* communia, una cum propriis ciuilibus *scribendum esse puto*; communia (communi C^1) cum propriis una cum ciuilibus *codd.*; com. cum poetis u. c. ciu. *v*; com. cum populis u. c. ciu. *Domb.* 7 scribimus *d*; scribentur *α* so//cietas, *duabus litteris erasis*, *C* 9 ulla C^1; nulla C^2 *rell. v* 13 scripta *α* 17 exibeant *l* 21 theologian, m *m. rec. superscript.*, *C*; theologiam *e l* 23 tuta *l*

aliena inportune illi conexa adque suspensa sit, sed omnino consona et tamquam eiusdem corporis membrum conuenientissime copulata. Quid enim aliud ostendunt illa simulacra formae aetates sexus habitus deorum? Numquid barbatum Iouem, inberbem Mercurium poetae habent, pontifices non habent? Numquid Priapo mimi, non etiam sacerdotes enormia pudenda fecerunt? An aliter stat adorandus in locis sacris, quam procedit ridendus in theatris? Num Saturnus senex, Apollo ephebus ita personae sunt histrionum, ut non sint statuae delubrorum? Quur Forculus, qui foribus praeest, et Limentinus, qui limini, di sunt masculi, adque inter hos Cardea femina est, quae cardinem seruat? Nonne ista in rerum diuinarum libris reperiuntur, quae graues poetae suis carminibus indigna duxerunt? Numquid Diana theatrica portat arma et urbana simpliciter uirgo est? Numquid scaenicus Apollo citharista est et ab hac arte Delphicus uacat? Sed haec honestiora sunt in conparatione turpiorum. Quid de ipso Ioue senserunt, qui eius nutricem in Capitolio posuerunt? Nonne adtestati sunt Euemero, qui omnes tales deos non fabulosa garrulitate, sed historica diligentia homines fuisse mortalesque conscripsit? Epulones etiam deos, parasitos Iouis, ad eius mensam qui constituerunt, quid aliud quam mimica sacra esse uoluerunt? Nam parasitos Iouis ad conuiuium eius adhibitos si mimus dixisset, utique risum quaesisse uideretur. Varro dixit! non cum inrideret deos, sed cum commendaret hoc dixit; diuinarum, non humanarum rerum libri hoc eum scripsisse testantur, nec ubi ludos scaenicos exponebat, sed ubi Capitolina iura pandebat. Denique talibus uincitur et

9 ephoebus *C a d e* 10 statua C^1 12 Cardea $C^2 b^2 e l p q \alpha^2 k v$; cardinea $a b^1$; carnea $C^1 d \alpha^1 f$ seruat *codd. excepto C, qui* uersat *habet* 13 repperiuntur *C l* 16 chitarista *l* 19 Euemero *C a d e l;* homero, ho *m. 2 in ras., b;* ab enemore *p;* Euhemero *v Domb.* tales *om. e* 20 storica l^1 diligentia *om.* b^1 23 ad eius conuiuium *v* 24 risum utique *v* 28 capitulina *C* talibus *C l p α Domb.;* a talibus *a b e q k f v*

fatetur, sicut forma humana deos fecerunt, ita eos delectari humanis uoluptatibus credidisse.

Non enim et maligni spiritus suo negotio defuerunt, ut has noxias opiniones humanarum mentium ludificatione firmarent. Unde etiam illud est, quod Herculis aedituus otiosus adque feriatus lusit tesseris secum utraque manu alternante, in una constituens Herculem, in altera se ipsum, sub ea condicione, ut, si ipse uicisset, de stipe templi sibi cenam pararet amicamque conduceret; si autem uictoria Herculis fieret, hoc idem de pecunia sua uoluptati Herculis exhiberet; deinde cum a se ipso tamquam ab Hercule uictus esset, debitam cenam et nobilissimam meretricem Larentinam deo Herculi dedit. At illa cum dormisset in templo, uidit in somnis Herculem sibi esse commixtum sibique dixisse, quod inde discedens, cui primum iuueni obuia fieret, aput illum esset inuentura mercedem, quam sibi credere deberet ab Hercule persolutam. Ac sic abeunti cum primus iuuenis ditissimus Tarutius occurrisset eamque dilectam secum diutius habuisset, illa herede defunctus est. Quae amplissimam adepta pecuniam ne diuinae mercedi uideretur ingrata, quod acceptissimum putauit esse numinibus, populum Romanum etiam ipsa scripsit heredem, adque illa non conparente inuentum est testamentum; quibus meritis eam ferunt etiam honores meruisse diuinos.

Haec si poetae fingerent, si mimi agerent, ad fabulosam theologian dicerentur procul dubio pertinere et a ciuilis theologiae dignitate separanda iudicarentur. Cum uero haec dedecora non poetarum, sed populorum; non mimorum, sed sacrorum; non theatrorum, sed templorum; id est non fabulosae,

7 su^{b} *C* 10 uoluntati *l* 12 nouellis. C^{1} laurentinam *p q α* 13 dormisset *C a d e l;* dormiuisset *v Domb.* 15 discendens C^{1} obuiam *l* 17 primum *l* 18 tarutius *C d p q;* tarucius *l;* tharatius *a;* taracius *b;* tarantius *e* *huic uersui in margine cod. e m. 2 adscriptum est:* Larentina ipsa est dea flora 19 herede *codd.;* herede relicta *v* functus *l* 22 est *om. e*

sed ciuilis theologiae, a tanto auctore produntur: non frustra histriones ludicris artibus fingunt deorum quae tanta est turpitudinem, sed plane frustra sacerdotes uelut sacris ritibus conantur fingere deorum quae nulla est honestatem. Sacra sunt Iunonis, et haec in eius dilecta insula Samo celebrabantur, ubi nuptum data est Ioui; sacra sunt Cereris, ubi a Plutone rapta Proserpina quaeritur; sacra sunt Veneris, ubi amatus eius Adon aprino dente extinctus iuuenis formosissimus plangitur; sacra sunt Matris deum, ubi Attis pulcher adulescens ab ea dilectus et muliebri zelo abscisus etiam hominum abscisorum, quos Gallos uocant, infelicitate deploratur. Haec cum deformiora sint omni scaenica foeditate, quid est quod fabulosa de dis figmenta poetarum ad theatrum uidelicet pertinentia uelut secernere nituntur a ciuili theologia, quam pertinere ad urbem uolunt, quasi ab honestis et dignis indigna et turpia? Itaque potius est unde gratiae debeantur histrionibus, qui oculis hominum pepercerunt nec omnia spectaculis nudauerunt, quae sacrarum aedium parietibus occuluntur. Quid de sacris eorum boni sentiendum est, quae tenebris operiuntur, cum tam sint detestabilia, quae proferuntur in lucem? Et certe quid in occulto agant per abscisos et molles, ipsi uiderint; eosdem tamen homines infeliciter ac turpiter eneruatos adque corruptos occultare minime potuerunt. Persuadeant cui possunt se aliquid sanctum per tales agere homines, quos inter sua sancta numerari adque uersari negare non possunt. Nescimus quid agant, sed scimus per quales agant. Nouimus enim quae agantur in scaena, quo numquam uel in choro meretricum abscisus aut mollis intrauit; et tamen etiam ipsa turpes et infames agunt; neque enim ab

1 auctore *codd. praeter C, in quo* doctore, *quod Domb. recepit* 5 celebrabantur *C a d e α k² f;* celebrantur *b l p q k¹ v* 7 plutote e^1 8 adon *C^2 a d e l p q α k f Domb.;* adonis *C^1 b^1 v* 9 matris deum, *superscripto* i. e. opis, *b* deorum *e* attis *C a e l p α k f;* athis *b;* atus *d;* Atys *v* 13 teatrum *C* 15 orbem *C^1* 18 occuluntur *C a b d e l p q;* occulantur *b^1;* occultantur *$α^1$;* occultabantur *$α^2$ k^2 f* 23 minime occultare *v* 25 sacra *b^1* 27 enim *C e v;* autem *a b l p q α k f Domb.* aguntur α

honestis agi debuerunt. Quae sunt ergo illa sacra, quibus agendis tales elegit sanctitas, quales nec thymelica in se admisit obscenitas?

CAPUT VIII.

De interpretationibus naturalium rationum, quas doctores pagani pro dis suis conantur ostendere.

At enim habent ista physiologicas quasdam, sicut aiunt, id est naturalium rationum interpretationes. Quasi uero nos in hac disputatione physiologian quaerimus et non theologian, id est rationem non naturae, sed Dei. Quamuis enim qui uerus Deus est non opinione, sed natura Deus sit: non tamen omnis natura deus est, quia et hominis et pecoris, et arboris et lapidis utique natura est, quorum nihil est deus. Si autem interpretationis huius, quando agitur de sacris Matris deum, caput est certe quod Mater deum terra est, quid ultra quaerimus, quid cetera perscrutamur? Quid euidentius suffragatur eis, qui dicunt omnes istos deos homines fuisse? Sic enim sunt terrigenae, sic eis mater est terra. In uera autem theologia opus Dei est terra, non mater. Verum tamen quoquo modo sacra eius interpretentur et referant ad rerum naturam: uiros muliebria pati non est secundum naturam, sed contra naturam. Hic morbus, hoc crimen, hoc dedecus habet inter illa sacra professionem, quod in uitiosis hominum moribus uix habet inter tormenta confessionem. Deinde si ista sacra, quae scaenicis turpitudinibus conuincuntur esse foediora, hinc excusantur adque purgantur, quod habent interpretationes suas, quibus ostendantur rerum significare naturam: quur non etiam

1 illa *om. e* 2 elegit *C;* eligit *a e l f* admittit *q v* 8 nos uero *a* 9 quaerimus *C a b d e l p k f;* quaeramus *q v Domb. (cf. p. 149, 2. 168, 3)* 11 na//tura, tu *eras., C* sit Deus *v* sit] est *l* 12 est] sit l^2 14. 15 deorum *e* 18 teriginae C^1 sic *codd.;* sicut *v* 19 Uerū quoquo, *omisso* tamen, *d* quo *C l* 21 muliebria, *in margine* muliebri habitu *e* 25 excu//santur, fa *eras., C;* excausantur e^1

poetica similiter excusentur adque purgentur? Multi enim et ipsa ad eundem modum interpretati sunt, usque adeo ut, quod ab eis inmanissimum et infandissimum dicitur, Saturnum suos filios deuorasse, ita nonnulli interpretentur, quod longinquitas temporis, quae Saturni nomine significatur, quidquid gignit ipsa consumat, uel, sicut idem opinatur Varro, quod pertineat Saturnus ad semina, quae in terram, de qua oriuntur, iterum recidunt. Itemque alii alio modo et similiter cetera.

Et tamen theologia fabulosa dicitur et cum omnibus huiusce modi interpretationibus suis reprehenditur abicitur inprobatur, nec solum a naturali, quae philosophorum est, uerum etiam ab ista ciuili, de qua agimus, quae ad urbes populosque adseritur pertinere, eo quod de dis indigna confinxerit, merito repudianda discernitur, eo nimirum consilio, ut, quoniam acutissimi homines adque doctissimi, a quibus ista conscripta sunt, ambas inprobandas intellegebant, et illam scilicet fabulosam et istam ciuilem, illam uero audebant inprobare, hanc non audebant; illam culpandam proposuerunt, hanc eius similem conparandam exposuerunt, — non ut haec prae illa tenenda eligeretur, sed ut cum illa respuenda intellegeretur, adque ita sine periculo eorum, qui ciuilem theologian reprehendere metuebant, utraque contemta ea, quam naturalem uocant, aput meliores animos inueniret locum. Nam et ciuilis et fabulosa ambae fabulosae sunt ambaeque ciuiles; ambas inueniet fabulosas, qui uanitates et obscenitates ambarum

1 excausentur *e* excusantur . . purgantur *α* 2 ipsi *l* ut *sup. lin. l* 5 quicquid $C^2 e$ 6 consummat C^1 8 recidunt, u *m. 2 in* a *corr.*, *C;* reçcidunt l^1 9 et tamen *m. 1 in marg. l* 11 a *om. a* 12 ciuili, *in margine m. 2* theologia *C* pertinere asser. *v* 13 confinxerint $l^2 e$ 14 consilio/. *ex* consilium *corr.*, *C* 15 homines atque doctissimi *in marg. infer. l* ita C^1 20 sed ut cum] seductū *d* 21 ciuilem] *in d sex uersus lineolis deleti sunt. scriba enim ad superius* ciuilem *u. 17 aberrauerat et uerba inde ab* illam uero *usque ad* eorum qui *u. 21 bis posuerat* theologia an *d* 22 ea/, m *eras.*, *C* 23 inuenire *l* ciuiles *d* 24 fabulosa ambae *om. d*

prudenter inspexerit; ambas ciuiles, qui scaenicos ludos pertinentes ad fabulosam in deorum ciuilium festiuitatibus et in urbium diuinis rebus aduerterit. Quo modo igitur uitae aeternae dandae potestas cuiquam deorum istorum tribuitur, quos sua simulacra et sacra conuincunt dis fabulosis apertissime reprobatis esse simillimos formis aetatibus, sexu habitu, coniugiis generationibus ritibus, in quibus omnibus aut homines fuisse intelleguntur et pro uniuscuiusque uita uel morte sacra eis et sollemnia constituta, hunc errorem insinuantibus firmantibusque daemonibus, aut certe ex qualibet occasione inmundissimi spiritus fallendis humanis mentibus inrepsisse?

CAPUT VIIII.

De officiis singulorum deorum.

Quid? ipsa numinum officia tam uiliter minutatimque concisa, propter quod eis dicunt pro uniuscuiusque proprio munere supplicari oportere, unde non quidem omnia, sed multa iam diximus, nonne scurrilitati mimicae quam diuinae consonant dignitati? Si duas quisquam nutrices adhiberet infanti, quarum una nihil nisi escam, altera nihil nisi potum daret, sicut isti ad hoc duas adhibuerunt deas, Educam et Potinam, nempe desipere et aliquid mimo simile in sua domo agere uideretur. Liberum a liberamento appellatum uolunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur; hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsam perhibeant semina emittere; et ob haec Libero eandem uirilem corporis partem in templo poni, femineam Liberae. Ad haec addunt mulieres adtributas Libero et uinum propter libidinem concitandam. Sic Bacchanalia summa celebrabantur insania; ubi Varro ipse confitetur

6 abitu *l* 10 ex *om. l* inmundissimus *C* 14 ui//liter *l* 18 quisque *q α* 19 infanti *usque ad* daret *om. C*^{1} 20 et *ante* Potinam *sup. lin. C* 24 etiam *om. C* 25 ipsam *C*^{1}; ipsas *C*^{2} *rell. v Domb.* semine *C* seminemittere *l* 26 ob haec *C b*^{1} *d l Domb.*; ob hoc *a b*^{2} *e p q v* 27 Ad haec ... Libero *om. e*^{1} 29 celebrantur *p q*

a Bacchantibus talia fieri non potuisse nisi mente commota. Haec tamen postea displicuerunt senatui saniori, et ea iussit auferri. Saltem hic tandem forsitan senserunt quid inmundi spiritus, dum pro dis habentur, in hominum mentibus possint. Haec certe non fierent in theatris; ludunt quippe ibi, non furiunt; quamuis deos habere, qui etiam ludis talibus delectentur, simile sit furoris.

Quale autem illud est, quod, cum religiosum a superstitioso ea distinctione discernat, ut a superstitioso dicat timeri deos, a religioso autem tantum uereri ut parentes, non ut hostes timeri, adque omnes ita bonos dicat, ut facilius sit eos nocentibus parcere quam laedere quemquam innocentem, tamen mulieri fetae post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Siluanus deus per noctem ingrediatur et uexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circuire limina domus et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deuerrere scopis, ut his datis culturae signis deus Siluanus prohibeatur intrare, quod neque arbores caeduntur ac putantur sine ferro, neque far conficitur sine pilo, neque fruges coaceruantur sine scopis; ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos, Intercidonam a securis intercisione, Pilumnum a pilo, Deuerram a scopis, quibus dis custodibus contra uim dei Siluani feta conseruaretur. Ita contra dei nocentis saeuitiam non ualeret custodia bonorum, nisi plures essent aduersus unum eique aspero horrendo inculto, utpote siluestri, signis culturae tamquam contrariis repugnarent. Itane ista est innocentia deorum, ista concordia? Haeccine sunt

2 eiussit *C* 3 saltim C^2 *d e* forsitan *m. 2 in marg. C, inclusit Domb.* ĉsenserunt *e* 4 possint mentibus *v* 6 furiunt *C a b d e l q* α^2 *k f Domb.;* feriunt α^1*;* furunt *p v* 9 a *sup. lin. l* timere *l* 10 tanto *C* 11 *post* timeri *in d expuncta sunt uerba ex superiore uersu repetita* deos—timeri itaque *q* 13 faetae *C* l^2*;* fatae l^1*;* foetae $d e^1$ 16 circuire *C* a^1 *b d e l* α *k f;* circumire a^2 *p q v* 17 derrere *C* 21 in tercio donam *e;* intercidonē *q* intercessione *q* 22 deuertam *q;* deuerrum α a *C d e p q v;* ab *a b l k f Domb.* 25 orrendo C^1 26 istane ista *q* 27 haeccin C^1

numina salubria urbium, magis ridenda quam ludibria theatrorum?

Cum mas et femina coniunguntur, adhibetur deus Iugatinus; sit hoc ferendum. Sed domum est ducenda quae nubit; adhibetur et deus Domiducus; ut in domo sit, adhibetur deus Domitius; ut maneat cum uiro, additur dea Manturna. Quid ultra quaeritur? Parcatur humanae uerecundiae; peragat cetera concupiscentia carnis et sanguinis procurato secreto pudoris. Quid inpletur cubiculum turba numinum, quando et paranymphi inde discedunt? Et ad hoc inpletur, non ut eorum praesentia cogitata maior sit cura pudicitiae, sed ut feminae sexu infirmae, nouitate pauidae illis cooperantibus sine ulla difficultate uirginitas auferatur. Adest enim dea Virginiensis et deus pater Subigus, et dea mater Prema et dea Pertunda, et Venus et Priapus. Quid est hoc? Si omnino laborantem in illo opere uirum ab dis adiuuari oportebat, non sufficeret aliquis unus aut aliqua una? Numquid Venus sola parum esset, quae ad hoc etiam dicitur nuncupata, quod sine ui femina uirgo esse non desinat? Si est ulla frons in hominibus, quae non est in numinibus, nonne, cum credunt coniugati tot deos utriusque sexus esse praesentes et huic operi instantes, ita pudore adficiuntur, ut et ille minus moueatur et illa plus reluctetur? Et certe si adest Virginiensis dea, ut uirgini zona soluatur; si adest deus Subigus, ut uiro subigatur; si adest dea Prema, ut subacta, ne se commoueat, conprimatur: dea Pertunda ibi quid facit? Erubescat, eat foras; agat aliquid et maritus. Valde inhonestum est, ut, quod

1 quam ..... femina *om.* b^1 poetarum et theatrorum *l* (= *ed. Louan.*) 3 mas *C l v;* masculus *a* d^2 *e p q* α k^2 *f;* masculis d^1 4 ferrendum *C* Sed] si *q* domum si, si *m. 2 in fine uersus, l* 5 domidi/cus, i *ex* u *radendo corr., C* 6 domicius *l* uero C^1 *d* 7 uericundiae C^1 d^1 10 ab hoc implentur *q* 11 utadeorum α 12 sexū *e* 14. 23 uirginensis *p* α 14 praema *C* 18 ad *C a b d e l p q;* ob *v* *Domb.* 19 sine ui C^1 *b d e l p;* sine eius ui C^2 *q v;* sine uiro *a* 23 urginiens. *C* 25 prema aut *l* nec se, se *sup. lin., l* 26 eat] et C^1 27 marito *a*

uocatur illa, quisquam inpleat nisi ille. Sed forte ideo toleratur, quia dea dicitur esse, non deus. Nam si masculus crederetur et Pertundus uocaretur, maius contra eum pro uxoris pudicitia posceret maritus auxilium quam feta contra Siluanum. Sed quid hoc dicam, cum ibi sit et Priapus nimius masculus, super cuius inmanissimum et turpissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur, more honestissimo et religiosissimo matronarum?

Eant adhuc et theologian ciuilem a theologia fabulosa, urbes a theatris, templa ab scaenis, sacra pontificum a carminibus poetarum, uelut res honestas a turpibus, ueraces a fallacibus, graues a leuibus, serias a ludicris, adpetendas a respuendis, qua possunt quasi conentur subtilitate discernere. Intellegimus quid agant; illam theatricam et fabulosam theologian ab ista ciuili pendere nouerunt et ei de carminibus poetarum tamquam de speculo resultare, et ideo ista exposita, quam damnare non audent, illam eius imaginem liberius arguunt et reprehendunt, ut, qui agnoscunt quid uelint, et hanc ipsam faciem, cuius illa imago est, detestentur; quam tamen di ipsi tamquam in eodem speculo se intuentes ita diligunt, ut qui qualesque sint in utraque melius uideantur. Unde etiam cultores suos terribilibus imperiis conpulerunt, ut inmunditiam theologiae fabulosae sibi dicarent, in suis sollemnitatibus ponerent, in rebus diuinis haberent, adque ita et se ipsos inmundissimos spiritus manifestius esse docuerunt, et huius urbanae theologiae uelut electae et probatae illam theatricam abiectam adque reprobatam membrum partemque fecerunt, ut, cum sit uniuersa turpis et fallax adque in se

1 illa] illud *a;* ille *e* quisquam inpleat *C;* impl. quisq. *rell. v* 2 qua *a* 3 maius *C a d e l p;* magis *b q v* 9 adhoc *l* et *m. 2 superscripto* ad *C* ciuilem theologiam *v;* ciuilem a theologia *om. a* 10 a scenis *v;* a scenicis *p* 13 qua possunt et qua conantur discernere *a;* qua possunt//conentur *q* 16 resalutare *e* 18 quia ignoscunt *e* 21 quales sint *C* a^1 22 terribilius *C* 23 dicarent, a *in rasura litterae* e *m. 2 C* 24 haberent *m. 2 in marg. C* 26 ut probatae *e*

contineat commenticios deos, una pars eius sit in litteris sacerdotum, altera in carminibus poetarum. Utrum habeat et alias partes, alia quaestio est: nunc propter diuisionem Varronis et urbanam et theatricam theologian ad unam ciuilem pertinere satis, ut opinor, ostendi. Unde, quia sunt ambae similis turpitudinis absurditatis, indignitatis falsitatis, absit a ueris religiosis, ut siue ab hac siue ab illa uita speretur aeterna.

Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numerum est exorsus a Iano, eamque seriem perduxit usque ad decrepiti hominis mortem, et deos ad ipsum hominem pertinentes clausit ad Neniam deam, quae in funeribus senum cantatur; deinde coepit deos alios ostendere, qui pertinerent non ad ipsum hominem, sed ad ea, quae sunt hominis, sicuti est uictus adque uestitus et quaecumque alia huic uitae sunt necessaria, ostendens in omnibus, quod sit cuiusque munus et propter quid cuique debeat supplicari; in qua uniuersa diligentia nullos demonstrauit uel nominauit deos, a quibus uita aeterna poscenda sit, propter quam unam proprie nos Christiani sumus. Quis ergo usque adeo tardus sit, ut non intellegat istum hominem ciuilem theologian tam diligenter exponendo et aperiendo eamque illi fabulosae, indignae adque probrosae, similem demonstrando adque ipsam fabulosam partem esse huius satis euidenter docendo non nisi illi naturali, quam dicit ad philosophos pertinere, in animis hominum moliri locum, ea subtilitate, ut fabulosam reprehendat, ciuilem uero reprehendere quidem non audeat, sed prodendo reprehensibilem ostendat, adque ita utraque iudicio recte intellegentium repro-

5 ut *om. e* ostendit *e* ambę similes *m. 1 in ras. C* 6 indign. *om. b*^{1} 7 ueris *C b*^{1} *l*^{1} *p;* uiris *a b*^{2} *d e l*^{2} *v* 9 enum. et cõmem. *a* coepit deos *C* 10 numerus *a* est exorsus (exhorsus *l*) *codd.;* exors. est *v* 12 hominum *C*^{1} 15 adque *om. v* 16 alia quae *v* sunt *om. a*^{1} 21 ergo *m. 1 in marg. p;* ergo est *e;* est ergo qui *l* 22 et aperiendo *m. 2 in marg. C*

bata sola naturalis remaneat eligenda? De qua suo loco in adiutorio Dei ueri diligentius disserendum est.

CAPUT X.

De libertate Senecae, qui uehementius ciuilem theologian reprehendit quam Varro fabulosam.

Libertas sane, quae huic defuit, ne istam urbanam theologian [tam diligenter exponendo] theatricae simillimam aperte sicut illam reprehendere auderet, Annaeo Senecae, quem nonnullis indiciis inuenimus apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, uerum ex aliqua parte non defuit. Adfuit enim scribenti, uiuenti defuit. Nam in eo libro, quem contra superstitiones condidit, multo copiosius adque uehementius reprehendit ipse ciuilem istam et urbanam theologian quam Varro theatricam adque fabulosam. Cum enim de simulacris ageret: 'Sacros, inquit, inmortales, inuiolabiles in materia uilissima adque inmobili dedicant, habitus illis hominum ferarumque et piscium, quidam uero mixto sexu, diuersis corporibus induunt; numina uocant, quae si spiritu accepto subito occurrerent, monstra haberentur'. Deinde aliquanto post, cum theologian naturalem praedicans quorundam philosophorum sententias digessisset, obposuit sibi quaestionem et ait: 'Hoc loco dicit aliquis: Credam egò caelum et terram deos esse et supra lunam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem aut Peripateticum Stratonem, quorum alter fecit deum sine corpore, alter sine animo?' Et ad hoc respondens: 'Quid ergo tandem, inquit, ueriora tibi uidentur Titi Tatii

4 uehimentius C^1 5 fabolosam C 6 sanae C^1 7 [tam diligenter exponendo] *(ex antecedente capite p. 293, 22 repetitum?)* $C\,d\,p$; *om. rell. v* 8 saenecae C 12 quem] qua ẽ, ẽ *m. 2 in ras.*, C 15 mortales *e* 16 dicant $b^1\,k^1$ abitus *l* habitus illis dantes *a* 17 quosdam *a* uiro C^1 18 indunt C et numina *a* 19 occurrent C aliquando *e* 20 natura *e* 22 dicat *l*; dicet $b^1\,k^1$ credo, o *in ras.*, *l* 24 phypateticũ *a*; periteaticũ *e* istratonem C 26 uera *b* tibi *om. q* Titi $C\,a\,b\,d\,e\,p\,q$; T. *v* Tati *l*

aut Romuli aut Tulli Hostilii somnia? Cloacinam Tatius dedicauit deam, Picum Tiberinumque Romulus, Hostilius Pauorem adque Pallorem, taeterrimos omnium adfectus, quorum alter mentis territae motus est, alter corporis ne morbus quidem, sed color. Haec numina potius credes et caelo recipies?' De ipsis uero ritibus crudeliter turpibus quam libere scripsit! 'Ille, inquit, uiriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Ubi iratos deos timent, qui sic propitios merentur? Di autem nullo debent coli genere, si hoc uolunt. Tantus est perturbatae mentis et sedibus suis pulsae furor, ut sic di placentur, quem ad modum ne quidem homines saeuiunt taeterrimi et in fabulas traditae crudelitatis. Tyranni lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiae libidinis uoluptatem castrati sunt quidam; sed nemo sibi, ne uir esset, iubente domino manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, uulneribus suis ac sanguine supplicant. Si cui intueri uacet, quae faciunt quaeque patiuntur, inueniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, ut nemo fuerit dubitaturus furere eos, si cum paucioribus furerent; nunc sanitatis patrocinium est insanientium turba.'

Iam illa, quae in ipso Capitolio fieri solere commemorat et intrepide omnino coarguit, quis credat nisi ab inridentibus aut furentibus fieri? Nam cum in sacris Aegyptiis Osirim

1 Tullii *C a b d l* cloacnam *C;* clutianam *a* 3 omnium *C d l p α;* hominum *a b e q k f v Domb.* 4 nec e^2 *p v* 5 recipie/s, n *eraso, C* 6 quambere *C* 8 ibi e^2 9 si hoc *C a b d e l p* α^1 *f;* et si hoc α^2 *k;* si et hoc *q v* 10 ut *om. p* 11 ne quidem homines *C a d e l p q* α *k f;* ne hom. quidem *v* ne quidem,uiuunt *b* 12 fabulis *a* traditae C^1; trahicae (*sic*) C^2; tradite icę (*sic*) *e* 13 In *om. q* 14 uoluntatem *e;* uoluptati *q* ne/, c *eras., C* 15 intulit *C a d l q v;* adtulit *b e p* α *k f Domb.* 17 quaequae *C* 19 fuerint *C* insanitatis *a* 20 insan. turba est *v* insanientium *m. 1 ex* insanientibus *corr. C* 21 capitulio *C, et sic infra* 22 omnino, *m. 2 in* animo *corr., e* quoarguit *e* 23 et, *in marg.* aut, *q* in *om.* α^1 se egytiif, ofirim *p* aegytiis C^1

lugeri perditum, mox autem inuentum magno esse gaudio derisisset, cum perditio eius inuentioque fingatur, dolor tamen ille adque laetitia ab eis, qui nihil perdiderunt nihilque inuenerunt, ueraciter exprimatur: 'Huic tamen, inquit, furori certum tempus est. Tolerabile est semel anno insanire. In Capitolium perueni: pudebit publicatae dementiae, quod sibi uanus furor adtribuit officii. Alius nomina deo subicit, alius horas Ioui nuntiat, alius lector est, alius unctor, qui uano motu bracchiorum imitatur unguentem. Sunt quae Iunoni ac Mineruae capillos disponant (longe a templo, non tantum a simulacro stantes digitos mouent ornantium modo), sunt quae speculum teneant; sunt qui ad uadimonia sua deos aduocent, sunt qui libellos offerant et illos causam suam doceant. Doctus archimimus, senex iam decrepitus, cottidie in Capitolio mimum agebat, quasi di libenter spectarent, quem illi homines desierant. Omne illic artificum genus operatum dis inmortalibus desidet'. Et paulo post: 'Hi tamen, inquit, etiamsi superuacuum usum, non turpem nec infamem deo promittunt. Sedent quaedam in Capitolio, quae se a Ioue amari putant: ne Iunonis quidem, si credere poetis uelis, iracundissimae respectu terrentur.'

Hanc libertatem Varro non habuit; tantum modo poeticam theologian reprehendere ausus est, ciuilem non ausus est, quam iste concidit. Sed si uerum adtendamus, deteriora sunt

4 Sen. frg. 37 ed. Haase

1 magno esse gaudio *b d e l p q v Domb.;* magnum esse gaudio, v̄ *correctoris m., C;* magnum esse gaudium *a* 3 laetitia .... perdiderunt *om. b*^{1} 5 anno *C b e l*^{1} *p α k f;* in anno *a d l*^{2} *q v* 6 peruenire *e* 7 alius nomina *usque ad* est *nitida correctoris manu in marg. inferiore, b* nomina *C;* numina *e* 8 lector *l, b in marg.;* lictor *rell. v;* litor *auctore Linkero (Ann. philol. 89, p. 727) Domb.* 9 qui *a* 10 et longe *a* 11 moueant *a* 12 sunt *om. C*^{1} qui, i *in ras., a;* qui *k*^{1}; que *p f;* quae *C rell. v* ad *om. e* uadaemonia *C* sua *om. b*^{1} 15 expectarent *a b e l p q α k* desierant *a e l;* desiderant *C d* 19 ne *codd.;* nec *v*

templa ubi haec aguntur, quam theatra ubi finguntur. Unde in his sacris ciuilis theologiae has partes potius elegit Seneca sapienti, ut eas in animi religione non habeat, sed in actibus fingat. Ait enim: 'Quae omnia sapiens seruabit tamquam legibus iussa, non tamquam dis grata'. Et paulo post: 'Quid quod et matrimonia, inquit, deorum iungimus, et ne pie quidem, fratrum ac sororum! Bellonam Marti conlocamus, Vulcano Venerem, Neptuno Salaciam. Quosdam tamen caelibes relinquimus, quasi condicio defecerit, praesertim cum quaedam uiduae sint, ut Populonia uel Fulgora et diua Rumina; quibus non miror petitorem defuisse. Omnem istam ignobilem deorum turbam, quam longo aeuo longa superstitio congessit, sic, inquit, adorabimus, ut meminerimus cultum eius magis ad morem quam ad rem pertinere'. Nec leges ergo illae nec mos in ciuili theologia id instituerunt, quod dis gratum esset uel ad rem pertineret. Sed iste, quem philosophi quasi liberum fecerunt, tamen, quia inlustris populi Romani senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat; quia uidelicet magnum aliquid eum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges ciuium moresque hominum non quidem ageret fingentem scaenicum in theatro, sed imitaretur in templo; eo damnabilius, quo illa, quae mendaciter agebat, sic ageret, ut eum populus ueraciter agere existimaret; scaenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet.

2 et in *b* in *om.* $l^1 \alpha^1$ ciuilib; *l* 3 sapien//s, ti *eras.*, *e* 4 seruauit *e* 5 non *om.* *e* 8 solatiã, o *m. 2 in* a *corr.*, *e* quasdam *e* 10 fulgora *C l;* fulgura *a b* d^1 e^2 *p* α; fulgra *q* diuina *e* diuarona *C* rumi^na *b* 11 immobilem *e* 12 quae *e* supersticio concessit *e* 13 adorauimus *C* ut meminerimus *sup. lin. C* 15 id *om.* α^1 16 philosophi . . fecerunt *codd.;* philosophia . . fecerat *v* 22 damnabilibus e^1 23 quo *C a b d e l p q k v;* quod α *Domb.*

CAPUT XI.

Quid de Iudaeis Seneca senserit.

Hic inter alias ciuilis theologiae superstitiones reprehendit etiam sacramenta Iudaeorum et maxime sabbata, inutiliter eos facere adfirmans, quod per illos singulos septem interpositos dies septimam fere partem aetatis suae perdant uacando et multa in tempore urgentia non agendo laedantur. Christianos tamen iam tunc Iudaeis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne uel laudaret contra suae patriae ueterem consuetudinem, uel reprehenderet contra propriam forsitan uoluntatem. De illis sane Iudaeis cum loqueretur, ait: 'Cum interim usque eo sceleratissimae gentis consuetudo conualuit, ut per omnes iam terras recepta sit: uicti uictoribus leges dederunt'. Mirabatur haec dicens et quid diuinitus ageretur ignorans subiecit plane sententiam, qua significaret quid de illorum sacramentorum ratione sentiret. Ait enim: 'Illi tamen causas ritus sui nouerunt; maior pars populi facit, quod quur faciat ignorat'. Sed de sacramentis Iudaeorum, uel quur uel quatenus instituta sint auctoritate diuina, ac post modum a populo Dei, cui uitae aeternae mysterium reuelatum est, tempore quo oportuit eadem auctoritate sublata sint, et alias diximus, maxime cum aduersus Manichaeos ageremus, et in hoc opere loco opportuniore dicendum est.

CAPUT XII.

Quod gentilium deorum uanitate detecta nequeat dubitari aeternam eos uitam nemini posse praestare, qui nec ipsam adiuuent temporalem.

Nunc propter tres theologias, quas Graeci dicunt mythicen physicen politicen, Latine autem dici possunt fabulosa natura-

3 Hinc *a* 5 septenis C^1 *d* 10 forsitan propriam *α* 11 forsan *q* sanae C^1 *e* 12 ad eo *e* 13 receptasit, it *eras.*, *C* 14 qui *e* 15 significare *C* 19 quatinus *e* 22 ab alias, *in marg. m. rec.* ablata *C* 23 oport. *C l e* 25 natiuitate *p* 26 posse *om. p* 27 adiuuant *p* 29 fysicen *C l* polyt. *l*

lis ciuilis, quod neque de fabulosa, quam et ipsi deorum multorum falsorumque cultores liberrime reprehenderunt, neque de ciuili, cuius illa pars esse conuincitur eiusque et ista simillima uel etiam deterior inuenitur, speranda est aeterna uita, si cui satis non sunt quae in hoc uolumine dicta sunt, adiungat etiam illa, quae in superioribus libris et maxime quarto de felicitatis datore Deo plurima disputata sunt. Nam cui nisi uni felicitati propter aeternam uitam consecrandi homines essent, si dea felicitas esset? Quia uero non dea, sed munus est dei: cui deo nisi datori felicitatis consecrandi sumus, qui aeternam uitam, ubi uera est et plena felicitas, pia caritate diligimus? Non autem esse datorem felicitatis quemquam istorum deorum, qui tanta turpitudine coluntur et, nisi ita colantur, multo turpius irascuntur adque ob hoc se spiritus inmundissimos confitentur, puto ex his, quae dicta sunt, neminem dubitare oportere. Porro qui non dat felicitatem, uitam quo modo dare posset aeternam? Eam quippe uitam aeternam dicimus, ubi est sine fine felicitas. Nam si anima in poenis uiuit aeternis, quibus et ipsi spiritus cruciabuntur inmundi, mors est illa potius aeterna quam uita. Nulla quippe maior et peior est mors, quam ubi non moritur mors. Sed quod animae natura, per id quod inmortalis creata est, sine qualicumque uita esse non potest, summa mors eius est alienatio a uita Dei in aeternitate supplicii. Vitam igitur aeternam, id est sine ullo fine felicem, solus ille dat, qui dat ueram felicitatem. Quam quoniam illi, quos colit theologia ista ciuilis, dare non posse conuicti sunt: non solum propter ista temporalia adque terrena, quod superioribus quinque libris ostendimus, sed multo magis propter uitam aeternam, quae post mortem

1 multorum falsorumque deorum *v* 8 cui *eras. l* consecrati di *e* 12 Non] nos *d* esse autem *q* datorem esse *v* quemquam felicitatis datorem *l* 13 deorum *sup. lin. C* 17 dare quomodo possit *transpositione significata d* dare posset *C;* dare possit *a l p;* posset dare *α;* possit dare *e q v Domb.* 20 est *om. l* quam *sup. lin.* 22 creatura α^1 26 colet C^1 27 illa α^1 29 mas^{gi} *C*

futura est, quod isto uno etiam illis cooperantibus egimus, colendi non sunt. Sed quoniam ueternosae consuetudinis uis nimis in alto radices habet, si cui de ista ciuili theologia respuenda adque uitanda parum uideor disputasse, in aliud uolumen, quod huic opitulante Deo coniungendum est, animum intendat.

LIBER VII.

PRAEFATIO.

Diligentius me prauas et ueteres opiniones ueritati pietatis inimicas, quas tenebrosis animis altius et tenacius diuturnus humani generis error infixit, euellere adque exstirpare conantem et illius gratiae, qui hoc ut uerus Deus potest, pro meo modulo in eius adiutorio cooperantem ingenia celeriora adque meliora, quibus ad hanc rem superiores libri satis superque sufficiunt, patienter et aequanimiter ferre debebunt et propter alios non putare superfluum, quod iam sibi sentiunt non necessarium. Multum magna res agitur, cum uera et uere sancta diuinitas, quamuis ab ea nobis etiam huic, quam nunc gerimus, fragilitati necessaria subsidia praebeantur, non tamen propter mortalis uitae transitorium uaporem, sed propter uitam beatam, quae non nisi aeterna est, quaerenda et colenda praedicatur.

CAPUT I.

An cum in theologia ciuili deitatem non esse constiterit, in selectis dis eam inueniri posse credendum sit.

Hanc diuinitatem uel, ut sic dixerim, deitatem (nam et hoc uerbo uti iam nostros non piget, ut de Graeco expressius

1 e,gimus, le *m. 2*, *C* 2 ui C^1 4 parum *sup. lin. a* 5 ut huic *C* animo, o *ex* ũ *corr.*, *l* EXPL. LIB. SCI. AVGI | SEXTVS DE CIVITATE DĪ | INCIP. LIB. SEPTIMVS *C* 14 superiores, es *m. 2 in ras.*, *C* 16 non esse nec. *l* 20 et transit. *e* 25 inueniri eam *p* 27 ut sic dixerim *om.* a^1

transferant quod illi θεότητα appellant) — hanc ergo diuinitatem siue deitatem non esse in ea theologia, quam ciuilem uocant, quae a Marco Varrone sedecim uoluminibus explicata est, id est non peruenire ad aeternae uitae felicitatem talium deorum cultu, quales a ciuitatibus qualiterque colendi instituti sunt, cui nondum persuasit sextus liber, quem proxime absoluimus, cum istum forsitan legerit, quid de hac quaestione expedienda ulterius desideret, non habebit. Fieri enim potest, ut saltem deos selectos adque praecipuos, quos Varro uolumine conplexus est ultimo, de quibus parum diximus, quisquam colendos propter uitam beatam, quae non nisi aeterna est, opinetur. Qua in re non dico quod facetius ait Tertullianus fortasse quam uerius: Si di eliguntur ut bulbi, utique ceteri reprobi iudicantur. Non hoc dico: uideo enim etiam ex selectis selegi aliquos ad aliquid maius adque praestantius, sicut in militia, cum tirones electi fuerint, ex his quoque eliguntur ad opus aliquod maius armorum; et cum eliguntur in ecclesia, qui fiant praepositi, non utique ceteri reprobantur, cum omnes boni fideles electi merito nuncupentur. Eliguntur in aedificio lapides angulares, non reprobatis ceteris, qui structurae partibus aliis deputantur. Eliguntur uuae ad uescendum, nec reprobantur aliae, quas relinquimus ad bibendum. Non opus est multa percurrere, cum res in aperto sit. Quam ob rem non ex hoc, quod di ex multis quidam selecti sunt, uel is qui scripsit uel eorum cultores uel di ipsi uituperandi

13 Nation. II, 9

1 transferam *l* quod *C a b d e p q α;* id quod *l v Domb.* theotita, i *ex* e *corr.*, *C* 3 Marco] M. *C* 9 selecto *C;* electos *l α f* 11 beatam *m. 2 in marg. C* 13 di *om. a*^{1}*;* diliguntur *b*^{1} eliguntur *C b*^{2} *d l p;* seliguntur, se *in ras.*, *a;* seligantur *e;* seliguntur *q v* bulbi *a b d k v;* bulbi, *in marg.* ł pulli, *e;* bului *l;* pului *C;* pulbi *f;* balbi *α;* uulgi *p* 15 electis *e q*^{1} *k*^{2} *f* selegi *C d l;* seligi *b*^{1} *e q v;* eligi *b*^{2} *p α f* 16 tirones, iron *in ras.*, *C* 19 eligunt *C* 21 uuae] quae *l* 23 apertom, o *ex* u *corr.*, *C* 24 ex multis.....eorum, *omisso* quidam, *corr. m. in marg. b* quidem *q* electi *k*^{2} *f*

sunt, sed aduertendum potius quinam isti sint et ad quam rem selecti uideantur.

CAPUT II.

Qui sint di selecti, et an ab officiis uiliorum deorum habeantur excepti.

Hos certe deos selectos Varro unius libri contextione commendat: Ianum, Iouem, Saturnum, Genium, Mercurium, Apollinem, Martem, Vulcanum, Neptunum, Solem, Orcum, Liberum patrem, Tellurem, Cererem, Iunonem, Lunam, Dianam, Mineruam, Venerem, Vestam; in quibus omnibus ferme uiginti duodecim mares, octo sunt feminae. Haec numina utrum propter maiores in mundo administrationes selecta dicuntur, an quod populis magis innotuerunt maiorque est eis cultus exhibitus? Si propterea, quia opera maiora ab his administrantur in mundo, non eos inuenire debuimus inter illam quasi plebeiam numinum multitudinem minutis opusculis deputatam. Nam ipse primum Ianus, cum puerperium concipitur, unde illa cuncta opera sumunt exordium minutatim minutis distributa numinibus, aditum aperit recipiendo semini. Ibi est et Saturnus propter ipsum semen; ibi Liber, qui marem effuso semine liberat; ibi Libera, quam et Venerem uolunt, quae hoc idem beneficium conferat feminae, ut etiam ipsa emisso semine liberetur. Omnes hi ex illis sunt, qui selecti appellantur. Sed ibi est et dea Mena, quae menstruis fluoribus praeest, quamuis Iouis filia, tamen ignobilis. Et hanc prouinciam fluorum menstruorum in libro selectorum deorum ipsi Iunoni idem auctor adsignat, quae in dis selectis etiam regina est

1 isti sunt *e* 11 nomina *l* 12 dicantur, a *m. 2 ex* u *corr., l* 13 eis est *l* is *C;* eis *om. q* 14 exibitus *e* m[aiora], *litterae inclusae m. 2 in ras., C;* maior *d* 16 plebem iam *l* 17 ipse] ibi *a* 18 cuncta opera illa *v* 20 iliber, bj *m. 2, C* mareſ, ſ *m. 2, e* 22 ips *C* 23 liberetur, n *a correctore superscript., C* 24 floribus, *in margine* ł fluoribus, *e* 26 liberoſ electorū, eroſ *m. 2 in ras., e*

et hic tamquam Iuno Lucina cum eadem Mena priuigna sua eidem cruori praesidet. Ibi sunt et duo nescio qui obscurissimi, Vitumnus et Sentinus, quorum alter uitam, alter sensus puerperio largiuntur. Et nimirum multo plus praestant, cum sint ignobilissimi, quam illi tot proceres et selecti. Nam profecto sine uita et sensu, quid est illud totum, quod muliebri utero geritur, nisi nescio quid abiectissimum limo ac pulueri conparandum?

CAPUT III.

Quam nulla sit ratio, quae de selectione quorundam deorum possit ostendi, cum multis inferioribus excellentior administratio deputetur.

Quae igitur causa tot selectos deos ad haec opera minima conpulit, ubi a Vitumno et Sentino, quos fama obscura recondit, in huius munificentiae partitione superentur? Confert enim selectus Ianus aditum et quasi ianuam semini; confert selectus Saturnus semen ipsum; confert selectus Liber eiusdem seminis emissionem uiris; confert hoc idem Libera, quae Ceres seu Venus est, feminis; confert selecta Iuno, et hoc non sola, sed cum Mena, filia Iouis, fluores menstruos ad eius, quod conceptum est, incrementum: et confert Vitumnus obscurus et ignobilis uitam; confert Sentinus obscurus et ignobilis sensum; quae duo tanto illis rebus praestantiora sunt, quanto et ipsa intellectu ac ratione uincuntur. Sicut enim, quae ratiocinantur et intellegunt, profecto potiora sunt his, quae sine intellectu adque ratione ut pecora uiuunt et sentiunt: ita et illa, quae uita sensuque sunt praedita, his,

1 luciana *e* 2 Ibi]·ipsi *l* et *om.* C^1 3 sensus *C a b d e l p q* k^2 *f v*; sensu k^1; sensum *α Domb.* 4 etii/mirū *d* nimi/rum, o *eras.*, *C* 5 tot illi *v* 6 quid et illud ē, ē *in fine uersus m. 2, l* 7 geritur, i *ex* e *corr.*, *C* 11 ostendi quorundam tamen multis inferioribus administratio deputetur *p* 15 partione *e* enim *sup. lin. C* 17 satumus *e* 19 hoc *codd.*; haec *v* 23 tantillis *C*; tantum illis *e* 24 quantum *e* uinc̊ůn̊cuntur *C*

quae nec uiuunt nec sentiunt, merito praeferuntur. Inter selectos itaque deos Vitumnus uiuificator et Sentinus sensificator magis haberi debuerunt quam Ianus seminis admissor et Saturnus seminis dator uel sator et Liber et Libera seminum commotores uel emissores; quae semina cogitare indignum est, nisi ad uitam sensumque peruenerint, quae munera selecta non dantur a dis selectis, sed a quibusdam incognitis et prae istorum dignitate neglectis. Quod si respondetur omnium initiorum potestatem habere Ianum et ideo illi etiam quod aperitur conceptui non inmerito adtribui, et omnium seminum Saturnum et ideo seminationem quoque hominis non posse ab eius operatione seiungi, omnium seminum emittendorum Liberum et Liberam et ideo his etiam praeesse, quae ad substituendos homines pertinent, omnium purgandorum et pariendorum Iunonem et ideo eam non deesse purgationibus feminarum et partubus hominum: quaerant quid respondeant de Vitumno et Sentino, utrum et ipsos uelint habere omnium quae uiuunt et sentiunt potestatem. Quod si concedunt, adtendant quam eos sublimius locaturi sint. Nam seminibus nasci in terra et ex terra est; uiuere autem adque sentire etiam deos sidereos opinantur. Si autem dicunt Vitumno adque Sentino haec sola adtributa, quae in carne uiuescunt et sensibus adminiculantur, quur non deus ille, qui facit omnia uiuere adque sentire, etiam carni uitam praebet et sensum, uniuersali opere hoc munus etiam partubus tribuens? et quid opus est Vitumno adque Sentino? Quod si ab illo, qui uitae ac sensibus uniuersaliter praesidet, his quasi famulis ista carnalia uelut extrema et ima commissa sunt: itane sunt illi

3 admissor.. seminis *m. 2 in marg. l* 5 seminare cogitare *e* indignum est cogitare *v* 8 si *om. e* responderetur *e* 10 aperiat conceptū homini merito *e* 12 et omnium *e* 14 ab sustituendos *l* pertinent *om. l* 15 parcendorum *l* 16 partibus C^1 *b l* 17 et *om. l* 19 conlocaturi *l* et seminibus *e* 22 uiuiscunt *a e* 24 etiam *usque ad* munus *om.* C^1 25 partibus *C b d e l p q a k* 26 si] sibi *l* 27 ac *C a b d e l p q; et v Domb.*

selecti destituti familia, ut non inuenirent quibus etiam ipsi ista committerent, sed cum tota sua nobilitate, qua uisi sunt seligendi, opus facere cum ignobilibus cogerentur? Iuno selecta et regina Iouisque et soror et coniunx; haec tamen Iterduca est pueris et opus facit cum deabus ignobilissimis Abeona et Adeona. Ibi posuerunt et Mentem deam, quae faciat pueris bonam mentem, et inter selectos ista non ponitur, quasi quidquam maius praestari homini potest; ponitur autem Iuno, quia Iterduca est et Domiduca, quasi quidquam prosit iter carpere et domum duci, si mens non est bona, cuius muneris deam selectores isti inter selecta numina minime posuerunt. Quae profecto et Mineruae fuerat praeferenda, cui per ista minuta opera puerorum memoriam tribuerunt. Quis enim dubitet multo esse melius habere bonam mentem quam memoriam quantumlibet ingentem? Nemo enim malus est, qui bonam habet mentem; quidam uero pessimi memoria sunt mirabili, tanto peiores quanto minus possunt quod male cogitant obliuisci. Et tamen Minerua est inter selectos deos; Mentem autem deam turba uilis operuit. Quid de Virtute dicam? quid de Felicitate? de quibus in quarto libro plura iam diximus; quas cum deas haberent, nullum eis locum inter selectos deos dare uoluerunt, ubi dederunt Marti et Orco, uni effectori mortium alteri receptori.

Cum igitur in his minutis operibus, quae minutatim dis pluribus distributa sunt, etiam ipsos selectos uideamus tamquam senatum cum plebe pariter operari, et inueniamus a quibusdam dis, qui nequaquam seligendi putati sunt, multa

20 c. 21; 23

3 selegendi *l* 4 et soror *C;* et *om. rell. v Domb.* coniunx *C a e p* 6 deona *l* 7 selectas *a* quae quasi *a* quicquam C^2 (c *ex* d *corr.*), *d e;* quiddam *l; om. a* 8 praestare *a* potest *C a b d e l p q α k f;* possit *v Domb. (cf. 149, 5. 168, 4. 287, 9)* 10 carperet *C* 13 munita *e* 20 plura *om. C* 21 quas *om.* C^1 23 affectori *e* 25 etiam] et *l* 26 senatum *sup. lin. l* 27 multa *C a b d e l p α k f;* multo *q v Domb.*

maiora adque meliora administrari quam ab illis, qui selecti uocantur: restat arbitrari non propter praestantiores in mundo administrationes, sed quia prouenit eis, ut magis populis innotescerent, selectos eos et praecipuos nuncupatos. Unde dicit etiam ipse Varro, quod dis quibusdam patribus et deabus matribus, sicut hominibus, ignobilitas accidisset. Si ergo Felicitas ideo fortasse inter selectos deos esse non debuit, quod ad istam nobilitatem non merito, sed fortuito peruenerunt: saltem inter illos uel potius prae illis Fortuna poneretur, quam dicunt deam non rationabili dispositione, sed ut temere acciderit, sua cuique dona conferre. Haec in dis selectis tenere apicem debuit, in quibus maxime quid posset ostendit; quando eos uidemus non praecipua uirtute, non rationabili felicitate, sed temeraria, sicut eorum cultores de illa sentiunt, Fortunae potestate selectos. Nam et uir disertissimus Sallustius etiam ipsos deos fortassis adtendit, cum diceret: 'Sed profecto fortuna in omni re dominatur; ea res cunctas ex libidine magis quam ex uero celebrat obscuratque.' Non enim possunt inuenire causam, quur celebrata sit Venus et obscurata sit Virtus, cum ambarum ab istis consecrata sint numina nec conparanda sint merita. Aut si hoc nobilitari meruit, quod plures adpetunt, plures enim Venerem quam Virtutem: quur celebrata est dea Minerua et obscurata est dea Pecunia? cum in genere humano plures adliciat auaritia quam peritia, et in eis ipsis, qui sunt artificiosi, raro inuenias hominem, qui non habeat artem suam pecuniaria mercede uenalem, plurisque pendatur semper propter quod aliquid fit, quam id quod propter aliud

16 Cat. 8

2 in m. administrationes *om. e* 3 populis magis *v* 4 eos] deos *l* 6 ignouilitas *C* 8 fortuito C^1 *a b e l p* α k^1; fortuitu C^2 *q* k^2 *f v* peruenerint *e* 11 accederet *C* 12 possit α 14 cultores eorum *C* 17 re *sup. lin. C* 18 inuenire possunt *p* 19 causas α 20 ab istis ambarum *v* 24 allicit *b*; illiciat *e* 25 inuenies *b* qui non habeat *codd. excepto C, in quo* non habentem 27 propter *ante* quod *om.* a^1 id propter quod *l*; propter *sup. lin. e*

fit. Si ergo insipientis iudicio multitudinis facta est deorum ista selectio, quur dea Pecunia Mineruae praelata non est, cum propter pecuniam sint artifices multi? Si autem paucorum sapientium est ista distinctio, quur non praelata est Veneri Virtus, cum eam longe praeferat ratio? Saltem certe, ut dixi, ipsa Fortuna, quae, sicut putant qui ei plurimum tribuunt, in omni re dominatur et res cunctas ex libidine magis quam ex uero celebrat obscuratque, si tantum et in deos ualuit, ut temerario iudicio suo quos uellet celebraret obscuraretque quos uellet, praecipuum locum haberet in selectis, quae in ipsos quoque deos tam praecipuae est potestatis. An ut illic esse non posset, nihil aliud etiam ipsa Fortuna nisi aduersam putanda est habuisse fortunam? Sibi ergo aduersata est, quae alios nobiles faciens nobilitata non est.

CAPUT IIII.

Melius actum cum dis inferioribus, qui nullis infamentur obprobriis, quam cum selectis, quorum tantae turpitudines celebrentur.

Gratularetur autem dis istis selectis quisquam nobilitatis et claritudinis adpetitor et eos diceret fortunatos, si non eos magis ad iniurias quam ad honores selectos uideret. Nam illam infimam turbam ipsa ignobilitas texit, ne obrueretur obprobriis. Ridemus quidem, cum eos uidemus figmentis humanarum opinionum partitis inter se operibus distributos, tamquam minuscularios uectigalium conductores uel tamquam opifices in uico argentario, ubi unum uasculum, ut perfectum exeat, per multos artifices transit, cum ab uno perfecto perfici posset. Sed aliter non putatum est operantium multitudini consulendum, nisi ut singulas artis partes cito ac facile

5 praeferat ratio *C a b d e l p q;* ratio praeferat *v Domb.* 6 ipsa et *l* 8 obscuraṣ.quę *C* 9 teme//rario, ra *eras. C* 11 illac *l* 12 possit *l α* 16 infamantur *p* 18 celebrantur *p* 19 gratuletur *e* 22 et illam C^2 *e* infirmam *b e p q k f* 28 alter C^1

discerent singuli, ne omnes in arte una tarde ac difficile cogerentur esse perfecti. Verum tamen uix quisquam reperitur deorum non selectorum, qui aliquo crimine famam traxit infamem; uix autem selectorum quispiam, qui non in se notam contumeliae insignis acceperit. Illi ad istorum humilia opera descenderunt, isti in illorum sublimia crimina non uenerunt. De Iano quidem non mihi facile quidquam occurrit, quod ad probrum pertineat. Et fortasse talis fuerit, innocentius uixerit et a facinoribus flagitiisque remotius. Saturnum fugientem benignus excepit; cum hospite partitus est regnum, ut etiam ciuitates singulas conderent, iste Ianiculum, ille Saturniam. Sed isti in cultu deorum omnis dedecoris adpetitores, cuius uitam minus turpem inuenerunt, eum simulacri monstrosa deformitate turparunt, nunc eum bifrontem, nunc etiam quadrifrontem, tamquam geminum, facientes. An forte uoluerunt, ut, quoniam plurimi di selecti erubescenda perpetrando amiserant frontem, quanto iste innocentior esset, tanto frontosior appareret?

CAPUT V.

De paganorum secretiore doctrina physicisque rationibus.

Sed ipsorum potius interpretationes physicas audiamus, quibus turpitudinem miserrimi erroris uelut altioris doctrinae specie colorare conantur. Primum eas interpretationes sic Varro commendat, ut dicat antiquos simulacra deorum et insignia ornatusque finxisse, quae cum oculis animaduertissent hi, qui adissent doctrinae mysteria, possent animam mundi

3 quin e^2 in *ante* crimine e^2 traxit, er *m. 2, e* 6 peruenerunt *l* 7 ad probrum C^1 *a b l p q;* aprobrū *d;* ab obprobrum. *in marg.* ad p̄bū, *e;* ad obprobrum C^2; ad opprobrium α 8 ut innoc. *e* 9 flagiisq; *l* 13 monstruosa *e l* 16 ut *om. l* erubescendo C^1 perpetrando *om.* C^1 amiserunt α; miserant, a *eraso, d* 17 innocentior//es sed tanto *e* 22 istorum *p* 23 altiores *C* 26 finxisse *l* 27 hi qui adissent *sup. lin. C*

ac partes eius, id est deos ueros, animo uidere; quorum qui simulacra specie hominis fecerunt, hoc uideri secutos, quod mortalium animus, qui est in corpore humano, simillimus est inmortalis animi; tamquam si uasa ponerentur causa notandorum deorum et in Liberi aede oenophorum sisteretur, quod significaret uinum, per id quod continet id quod continetur; ita per simulacrum, quod formam haberet humanam, significari animam rationalem, quod eo uelut uase natura ista soleat contineri, cuius naturae deum uolunt esse uel deos. Haec sunt mysteria doctrinae, quae iste uir doctissimus penetrauerat, unde in lucem ista proferret. Sed, o homo acutissime, num in istis doctrinae mysteriis illam prudentiam perdidisti, qua tibi sobrie uisum est, quod hi, qui primi populis simulacra constituerunt, et metum demserunt ciuibus suis et errorem addiderunt, castiusque deos sine simulacris ueteres obseruasse Romanos? Hi enim tibi fuerunt auctores, ut haec contra posteriores Romanos dicere auderes. Nam si et illi antiquissimi simulacra coluissent, fortassis totum istum sensum de simulacris non constituendis, interim uerum. timoris silentio premeres et in huiusce modi perniciosis uanisque figmentis mysteria ista doctrinae loquacius et elatius praedicares. Anima tua tamen tam docta et ingeniosa (ubi te multum dolemus) per haec mysteria doctrinae ad Deum suum, id est a quo facta est, non cum quo facta est; nec cuius portio, sed cuius conditio est; nec qui est omnium anima, sed qui fecit omnem animam, quo solo inlustrante anima fit beata, si eius gratiae

1 ac *om. C;* hac *d* qui, i *in* e *corr.*. *C* 5 libri ae deo enophorum *l;* liberi edei denophorū *d* ôtèñôphoram *C;* deminophorum. *in marg.* mynophorū, *e* 8 rationabilem *l* eum *C* uasae *e* 11 o *om. d* 12 intif *C* 13 quia *e* subrie *C* hic *l* 15 sine *om. C*[1] 16 hic *e* ut..posteriores *om. e* 17 Nam si essent et illa, illa *radendo ut uidetur in* illi *corr., q* et *om. C*[1] 18 coluisset *C*[1] 19 interim] interemissent *e q* uero *C;* ueri a^2 silentio *om.* a^1 22 tua tamen tam *a b d e p q Domb.;* tamen *om. C;* tamen tua tam *l v* 23 a quo facta est *sup. lin. C* 25 nec qui est *sup. lin. C* 26 beata fit anima *a;* fit anima beata *v*

non sit ingrata, nullo modo potuit peruenire. Verum ista mysteria doctrinae qualia sint quantique pendenda, quae sequuntur ostendent. Fatetur interim uir iste doctissimus animam mundi ac partes eius esse ueros deos; unde intellegitur totam eius theologian, eam ipsam scilicet naturalem, cui plurimum tribuit, usque ad animae rationalis naturam se extendere potuisse. De naturali enim paucissima praeloquitur in hoc libro, quem de dis selectis ultimum scripsit; in quo uidebimus utrum per interpretationes physiologicas possit ad hanc naturalem referre ciuilem. Quod si potuerit, tota naturalis erit: et quid opus erat ab ea ciuilem tanta cura distinctionis abiungere? Si autem recto discrimine separata est: quando nec ista uera est quae illi naturalis placet (peruenit enim usque ad animam, non usque ad uerum Deum qui fecit et animam), quanto est abiectior et falsior ista ciuilis, quae maxime circa corporum est occupata naturam, sicut ipsae interpretationes eius, ex quibus quaedam necessaria commemorare me oportet, tanta ab ipsis exquisitae et enucleatae diligentia demonstrabunt.

1 poterit *e* 2 qualia *sup. lin. C* secuntur *C e* 3 anim,mundi *C* 4 tantā *ex* totā *corr. e* 5 cui multum *q* 7 praeloquitur *m. 1 in marg. e* in hoc libro, quem . . . ultimum *sic Domb. mutato uerborum ordine;* in hoc libro, in quo uidebimus utrum per interpr. phys. possit ad hanc naturalem referre ciuilem, quam de diis selectis ultimam scripsit *C et sic rell. et v nisi quod* possit *post* naturalem *habent et sic Domb. (cf. VII, c. 17:* in tertio porro isto de dis selectis, posteaquam praelocutus est quod ex naturali theologia praeloquendum putauit e. q. s.) 9 possit] iussit *q* 10 poterit *l* 11 hab ea *C* 12 quando nec ista uera est *sup. lin. C* 15 et abiect. *l* fallacior *b* 16 circa] erga *l* 17 necessaria *codd.;* necessario *v* 18 enocleatę *C*

CAPUT VI.

De opinione Varronis, qua arbitratus est Deum animam esse mundi, qui tamen in partibus suis habeat animas multas, quarum diuina natura sit.

Dicit ergo idem Varro adhuc de naturali theologia praeloquens deum se arbitrari esse animam mundi, quem Graeci uocant κόσμον, et hunc ipsum mundum esse deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore et animo, tamen ab animo dici sapientem, ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. Hic uidetur quoquo modo unum confiteri Deum; sed ut plures etiam introducat, adiungit mundum diuidi in duas partes, caelum et terram; et caelum bifariam, in aethera et aera; terram uero in aquam et humum; e quibus summum esse aethera, secundum aera, tertiam aquam, infimam terram; quas omnes partes quattuor animarum esse plenas, in aethere et aere inmortalium, in aqua et terra mortalium. Ab summo autem circuitu caeli ad circulum lunae aetherias animas esse astra ac stellas; eos caelestes deos non modo intellegi esse, sed etiam uideri; inter lunae uero gyrum et nimborum ac uentorum cacumina aerias esse animas, sed eas animo, non oculis uideri et uocari heroas et lares et genios. Haec est uidelicet breuiter in ista praelocutione proposita theologia naturalis, quae non huic tantum, sed multis philosophis placuit; de qua tunc diligentius disserendum est, cum de ciuili, quantum ad deos selectos adtinet, opitulante Deo uero quod restat inpleuero.

3 mundi esse *p* 4 natura] nulla *p* 5 adhuc *om.* *α* 7 choſmon *l* huc C^1 et hunc, *in marg.* et unū, *e* 8 ex corde et anima etiam tamen *q* 10 confiteri unum *v* 13 aerē *e* terram . . . . . aethera *om.* l^1 14 era *C* 17 ab *C;* a *a e q* ad, *in marg.* usq; *C;* usque ad *e;* usque *α* 18 aetherias *C b e l α k;* aethereas *a p q v* astra . . . . . intellegi esse *om.* b^1 eas *e* 20 aerias *codd.;* aereas *r* 21 hereas *e* 22 ꝑposita *e*

CAPUT VII.

An rationabile fuerit Ianum et Terminum in duo numina separari.

Ianus igitur, a quo sumsit exordium, quaero quisnam sit. Respondetur: Mundus est. Breuis haec plane est adque aperta responsio. Quur ergo ad eum dicuntur rerum initia pertinere, fines uero ad alterum, quem Terminum uocant? Nam propter initia et fines duobus istis dis duos menses perhibent dedicatos praeter illos decem, quibus usque ad Decembrem caput est Martius, Ianuarium Iano, Februarium Termino. Ideo Terminalia eodem mense Februario celebrari dicunt, cum fit sacrum purgatorium, quod uocant Februm, unde mensis nomen accepit. Numquid ergo ad mundum, qui Ianus est, initia rerum pertinent et fines non pertinent, ut alter illis deus praeficeretur? Nonne omnia, quae in hoc mundo fieri dicunt, in hoc etiam mundo terminari fatentur? Quae est ista uanitas, in opere illi dare potestatem dimidiam, in simulacro faciem duplam? Nonne istum bifrontem multo elegantius interpretarentur, si eundem et Ianum et Terminum dicerent adque initiis unam faciem, finibus alteram darent? quoniam qui operatur utrumque debet intendere; in omni enim motu actionis suae qui non respicit initium non prospicit finem. Unde necesse est a memoria respiciente prospiciens conectatur intentio; nam cui exciderit quod coeperit, quo modo finiat non inueniet. Quod si uitam beatam in hoc mundo inchoari putarent, extra mundum perfici, et ideo Iano, id est mundo, solam initiorum tribuerent potestatem: profecto ei praeponerent

3 nomina *Cp* 4 sumpsit, *in marg.* ſumit, *e* exordiom *C* 5 est haec plane *l* 7 finis *C* qem *C* 9 ꝑpter *e* decjm, j *m. 2*, *C* capud *e* 10 *et* 11: febroarium, febroario *l* 12 februm *C a b d e l p q α k f*; Februum *v* 13 quia *e l α* 15 ꝑficeretur *e*[1] 22 actinis *C*; agittionis, *in marg.* actionis *e* ꝑſpicit, *m. 2 ex* ꝑſicit *corr.*, *l* 24 intentio *m. 2 in ras. e* 25 incoari *C*

Terminum eumque ab dis selectis non alienarent. Quamquam etiam nunc cum in istis duobus dis initia rerum temporalium finesque tractantur, Termino dari debuit plus honoris. Maior enim laetitia est, cum res quaeque perficitur; sollicitudinis autem plena sunt coepta, donec perducantur ad finem, quem qui aliquid incipit maxime adpetit intendit, expectat exoptat, nec de re inchoata, nisi terminetur, exultat.

CAPUT VIII.

Ob quam causam cultores Iani bifrontem imaginem ipsius finxerint, quam tamen etiam quadrifrontem uideri uolunt.

Sed iam bifrontis simulacri interpretatio proferatur. Duas eum facies ante et retro habere dicunt, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis uideatur; unde et palatum Graeci οὐρανὸν appellant, et nonnulli, inquit, poetae Latini caelum uocauerunt palatum, a quo hiatu oris et foras esse aditum ad dentes uersus et introrsus ad fauces. Ecce quo perductus est mundus propter palati nostri uocabulum uel Graecum uel poeticum. Quid autem hoc ad animam, quid ad uitam aeternam? Propter solas saliuas colatur hic deus, quibus partim glutiendis partim spuendis sub caelo palati utraque panditur ianua. Quid est porro absurdius, quam in ipso mundo non inuenire duas ianuas ex aduerso sitas, per quas uel admittat ad se aliquid intro uel emittat a se foras, et de nostro ore et gutture, quorum similitudinem mundus non habet, uelle mundi simulacrum conponere in Iano propter solum

15 Cic. deor. nat. II, 18

1 a *b v* electis *usque ad l.* 2 duobus dis *in infer. marg. C* 3 tractan////tur *erasis litteris* tan, *C* terminum l^1 4 laeticia *e* 5 finem *C* 7 inchata *C;* incoata l^1 ex/ultat, f *eras., C* 10 finxerunt *p* quadriformē *Cp* 15 oranon $C^1 a^1 l$ 19 ad *ante* uitam *sup. lin. C* 20 aeternam] perpetuam *l* saliuas *sup. lin. C* 21 gluttiendis *C d* spuendis *C b d e α f;* exspuendis *a l p q v Domb.* 24 a *om. e* 25 guttore *C* 26 uel *e* in *om. e*

palatum, cuius similitudinem Ianus non habet? Cum uero eum faciunt quadrifrontem et Ianum geminum appellant, ad quattuor mundi partes hoc interpretantur, quasi aliquid spectet mundus foras sicut per omnes facies Ianus. Deinde si Ianus est mundus et mundus quattuor partibus constat, falsum est simulacrum Iani bifrontis; aut si propterea uerum est, quia etiam nomine Orientis et Occidentis totus solet mundus intellegi, numquid, cum duas partes alias nominamus Septentrionis et Austri, sicut illum quadrifrontem dicunt geminum Ianum, ita quisquam geminum dicturus est mundum? Non habent omnino unde quattuor ianuas, quae intrantibus et exeuntibus pateant, interpretentur ad mundi similitudinem, sicut de bifronti quod dicerent saltem in ore hominis inuenerunt, nisi Neptunus forte subueniat et porrigat piscem, cui praeter hiatum oris et gutturis etiam dextra et sinistra fauces patent. Et tamen hanc uanitatem per tot ianuas nulla effugit anima, nisi quae audit ueritatem dicentem: Ego sum ianua.

CAPUT VIIII.

De Iouis potestate adque eiusdem cum Iano comparatione.

Iouem autem, qui etiam Iuppiter dicitur, quem uelint intellegi, exponant. 'Deus est, inquiunt, habens potestatem causarum, quibus aliquid fit in mundo.' Hoc quam magnum sit, nobilissimus Vergilii uersus ille testatur:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

17 Io. 10, 9 26 Georg. II, 490

1 nonabet *e* 3 expectet et *e* 7 solet totus *l* 8 nominas *e* septemtrionis C^2 9 illum *C a b d e l p* q^2 k^1 *f v*; illi q^1 *a* k^2 *Domb.* dicunt/////geminum, *eras.* illum, *C* 13 bifronti *C d e l p k f*; bifronte *a b q v Domb.* quid *l* /ore, *eraso* h *ut uidetur*, *C* 15 ppt̃ e^1 guttoris *C* sinixtra l^1 16 ianas *C* 22 uellent C^1; uellint *d* 25 uirg. *C*

Sed quur ei praeponitur Ianus? hoc nobis uir ille acutissimus doctissimusque respondeat. 'Quoniam penes Ianum, inquit, sunt prima, penes Iouem summa. Merito ergo rex omnium Iuppiter habetur. Prima enim uincuntur a summis, quia, licet prima praecedant tempore, summa superant dignitate.' Sed recte hoc diceretur, si factorum prima discernerentur et summa; sicut initium facti est proficisci, summum peruenire; initium facti inceptio discendi, summum perceptio doctrinae; ac sic in omnibus prima sunt initia summique sunt fines. Sed iam hoc negotium inter Ianum Terminumque discussum est. Causae autem, quae dantur Ioui, efficientia sunt, non effecta; neque ullo modo fieri potest, ut uel tempore praeueniantur a factis initiisue factorum. Semper enim prior est res quae facit, quam illa quae fit. Quapropter si ad Ianum pertinent initia factorum, non ideo priora sunt efficientibus causis, quas Ioui tribuunt. Sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur ut fiat, quod non faciens causa praecesserit. Hunc sane deum, penes quem sunt omnes causae factarum omnium naturarum naturaliumque rerum, si Iouem populi appellant et tantis contumeliis tamque scelestis criminationibus colunt, taetriore sacrilegio sese obstringunt, quam si prorsus nullum putarent deum. Unde satius esset eis alium aliquem Iouis nomine nuncupare, dignum turpibus et flagitiosis honoribus, subposito uano figmento quod potius blasphemarent (sicut Saturno dicitur subpositus lapis, quem pro filio deuoraret), quam istum deum dicere et tonantem et adulterantem, et totum mundum regentem et per tot stupra diffluentem, et naturarum omnium naturalium-

2 sunt inquit *C* 4 a *sup. lin. l* 5 precedunt *e* 7 est prof.... facti *om. p*^{1} peruenire ... summum *om. b*^{1} 8 incoeptio *v* 9 in *sup. lin. l* inia *C* 12 praeueniantur, ue *m. 2 in ras., C* 16 fiat. quam illa que fecit qđ non faciens causa. causa p̃cesserit (*sic*) *e* 17 causa, *in marg.* causam *C* hinc *d* 18 factarum, *in marg.* facturarū, *e* naturarumque rerum, *omisso* naturarum, *e* 21 sacius *e* 27 naturam *Domb. in utraque editione (typothetae errore?)*

que rerum causas summas habentem et suas causas bonas non habentem.

Deinde quaero, quem iam locum inter deos huic Ioui tribuant, si Ianus est mundus. Deos enim ueros animam mundi ac partes eius iste definiuit; ac per hoc, quidquid hoc non est, non est utique secundum istos uerus deus. Num igitur ita dicturi sunt Iouem animam mundi, ut Ianus sit corpus eius, id est iste uisibilis mundus? Hoc si dicunt, non erit quem ad modum Ianum deum dicant, quoniam mundi corpus non est deus uel secundum ipsos, sed anima mundi ac partes eius. Unde apertissime idem dicit deum se arbitrari esse animam mundi et hunc ipsum mundum esse deum; sed sicut hominem sapientem, cum sit ex animo et corpore, tamen ex animo dici sapientem, ita mundum deum dici ab animo, cum sit ex animo et corpore. Solum itaque mundi corpus non est deus, sed aut sola anima eius aut simul corpus et animus, ita tamen ut non sit a corpore, sed ab animo deus. Si ergo Ianus est mundus et deus est Ianus, numquid Iouem, ut deus esse possit, aliquam partem Iani esse dicturi sunt? Magis enim Ioui uniuersum solent tribuere; unde est:

Iouis omnia plena.

Ergo et Iouem, ut deus sit et maxime rex deorum, non alium possunt existimare quam mundum, ut dis ceteris secundum istos suis partibus regnet. In hanc sententiam etiam quosdam uersus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit; qui uersus hi sunt:

Iuppiter omnipotens regum rerumque deumque
Progenitor genetrixque deum, deus unus et omnes.

21 Verg. Ecl. 3, 60

4 est *ex* ei^{9} *corr.*, *e* deus C^{1} uerus *C* 5 quicquid *e l* 10 animam *C* 14 deum *sup. lin. C* 22 ut rex *e* 25 saroni l^{1} 27 hii *l* 28 rerum regumque *q* deumque] repertor *in ras. b* 29 genitrixque *q v* omnis a^{2} *e v*

Exponuntur autem in eodem libro ita: cum marem existimarent qui semen emitteret, feminam quae acciperet, Iouemque esse mundum et eum omnia semina ex se emittere et in se recipere, 'cum causa, inquit, scripsit Soranus: Iuppiter progenitor genetrixque; nec minus cum causa unum et omnia idem esse; mundus enim unus, et in eo uno omnia sunt.'

CAPUT X.

An Iani et Iouis recta discretio sit.

Cum ergo et Ianus mundus sit et Iuppiter mundus sit unusque sit mundus, quare duo di sunt Ianus et Iuppiter? Quare seorsus habent templa seorsus aras, diuersa sacra dissimilia simulacra? Si propterea, quod alia uis est primordiorum, alia causarum, et illa Iani, illa Iouis nomen accepit: numquid si unus homo in diuersis rebus duas habeat potestates aut duas artes, quia singularum diuersa uis est, ideo duo iudices aut duo dicuntur artifices? Sic ergo et unus Deus cum ipse habeat potestatem primordiorum, ipse causarum, num propterea illum duos deos esse necesse est putari, quia primordia causaeque res duae sunt? Quod si hoc iustum putant, etiam ipsum Iouem tot deos esse dicant, quotquot ei cognomina propter multas potestates dederunt, quoniam res omnes, ex quibus illa cognomina sunt adhibita, multae adque diuersae sunt, ex quibus pauca commemoro.

1 ita cum *C a b d e l p q;* ita ut eum *v Domb.* extimarent *e* 3 semina *sup. lin. C* emittere *e q v;* mittere *C a b d l p* recepere *C* 4 cum *C d l;* qua *a b e q v Domb.;* in qua *p* 5 minus, *in marg.* mirū *e* 10 unuſq; quiſ, quiſ *m. rec., a* 11 seorsum .. seorsum *a e l p q* habent templa seorsus *sup. lin. C* quare seorsum aras *a* 12 diſſimilia, diſſi *in maiore spatio m. 1 in ras., C* alia eſt, *m. 2 corr. ex* aliuſ eſt, *e* 13 ista Iouis *Domb.*[1] 15 *sq.* iudices duo aut dicuntur duo *e* 18 propter *e* illum, *in marg.* illos, *e* duos////deos, *eraso bis posito* deos, *C* 19 et causae *e*

CAPUT XI.

De cognominibus Iouis, quae non ad multos deos, sed ad unum eundemque referuntur.

Dixerunt eum Victorem, Inuictum, Opitulum, Inpulsorem, Statorem, Centumpedam, Supinalem, Tigillum, Almum, Ruminum et alia quae persequi longum est. Haec autem cognomina inposuerunt uni deo propter causas potestatesque diuersas, non tamen propter tot res etiam tot deos eum esse coegerunt: quod omnia uinceret, quod a nemine uinceretur, quod opem indigentibus ferret, quod haberet inpellendi, statuendi, stabiliendi, resupinandi potestatem, quod tamquam tigillus mundum contineret ac sustineret, quod aleret omnia, quod ruma, id est mamma, aleret animalia. In his, ut aduertimus, quaedam magna sunt, quaedam exigua; et tamen unus utraque facere perhibetur. Puto inter se propinquiora esse causas rerum adque primordia, propter quas res unum mundum duos deos esse uoluerunt, Iouem adque Ianum, quam continere mundum et mammam dare animalibus; nec tamen propter haec opera duo tam longe inter se ui et dignitate diuersa duo di esse conpulsi sunt; sed unus Iuppiter propter illud Tigillus, propter illud Ruminus appellatus est. Nolo dicere, quod animalibus mammam praebere sugentibus magis Iunonem potuit decere quam Iouem, praesertim cum esset etiam diua Rumina, quae in hoc opus adiutorium illi famulatumue praeberet. Cogito enim posse responderi, et ipsam Iunonem nihil aliud esse quam Iouem, secundum illos Valerii Sorani uersus, ubi dictum est:

1 C. XI *numerus in C iuxta uerba* Haec autem *l. 6 extat* 4 inpultorem C^1 *d,* inpulttorem *l* 5 tigillim *d* almū *m. 2 in marg. C* 11 resupinandi *sup. lin. C* tigellus *C* 12 quod ruma] quorumma *l* 15 propinquiores *a* 17 quam, a *m. 2 in* e *corr., e* 18 haec duo opera *v* opera *om. C* 20 *sq.* propter illud *C v;* propter hoc *rell. Domb.* 22 dicere *e l* 23 etiam esset *q* etiam *om. l* diu//a, in *eras., l* 24 famulatumue, *in marg.* stabulatum, *e* 26 ualeri *l*

Iuppiter omnipotens regum rerumque deumque
Progenitor genetrixque deum.

Quare ergo dictus est et Ruminus, cum diligentius fortasse quaerentibus ipse inueniatur esse etiam illa diua Rumina? Si enim maiestate deorum recte uidebatur indignum, ut in una spica alter ad curam geniculi, altera ad folliculi pertineret: quanto est indignius unam rem infimam, id est ut mammis alantur animalia, duorum deorum potestate curari, quorum sit unus Iuppiter, rex ipse cunctorum, et hoc agat non saltem cum coniuge sua, sed cum ignobili nescio qua Rumina, nisi quia ipse est etiam ipsa Rumina; Ruminus fortasse pro sugentibus maribus, Rumina pro feminis. Dicerem quippe noluisse illos Ioui femininum nomen inponere, nisi et in illis uersibus 'progenitor genetrixque' diceretur, et inter eius alia cognomina legerem, quod etiam Pecunia uocaretur, quam deam inter illos minuscularios inuenimus et in quarto libro commemorauimus. Sed cum et mares et feminae habeant pecuniam, quur non et Pecunia et Pecunius appellatus sit, sicut Rumina et Ruminus, ipsi uiderint.

CAPUT XII.

Quod Iuppiter etiam Pecunia nuncupetur.

Quam uero eleganter rationem huius nominis reddiderunt! 'Et Pecunia, inquiunt, uocatur, quod eius sunt omnia'. O magnam rationem diuini nominis! Immo uero ille, cuius sunt omnia, uilissime et contumeliosissime Pecunia nuncupatur. Ad omnia enim, quae caelo et terra continentur, quid est pecunia in omnibus omnino rebus, quae ab hominibus nomine

16 c. 21

3 et dictus est *q* 4 diua *om. e* 5 maiestati *e* 6 folliculos e^2 11 est, *in marg.* cet, *e* 14 alia eius *v* 16 minuscularinos *e* et] aut *e* 21 nuncupatur *p* 22 eliganter, i *m. 2 ex* e *corr., C* 23 inquiunt *C a b d e l p v;* inquit *q* a^1 k^1 *Domb.* nomina *l* 24 diuini/, f *eras., C* numinis *e* 25 uilissime////\/// et contum., *erasis, quae bis posita erant* et con tum, *C* nuncupantur *e*

pecuniae possidentur? Sed nimirum hoc auaritia Ioui nomen inposuit, ut, quisquis amat pecuniam, non quemlibet deum, sed ipsum regem omnium sibi amare uideatur. Longe autem aliud esset, si diuitiae uocaretur. Aliud namque sunt diuitiae, aliud pecunia. Nam dicimus diuites sapientes, iustos, bonos, quibus pecunia uel nulla uel parua est; magis enim sunt uirtutibus diuites, per quas eis etiam in ipsis corporalium rerum necessitatibus sat est quod adest: pauperes uero auaros, semper inhiantes et egentes; quamlibet enim magnas pecunias habere possunt, sed in earum quantacumque abundantia non egere non possunt. Et Deum ipsum uerum recte dicimus diuitem, non tamen pecunia, sed omnipotentia. Dicuntur itaque et diuites pecuniosi; sed interius egeni, si cupidi: item dicuntur pauperes pecunia carentes; sed interius diuites, si sapientes. Qualis ergo ista theologia debet esse sapienti, ubi rex deorum eius rei nomen accepit, 'quam nemo sapiens concupiuit'? Quanto enim facilius, si aliquid hac doctrina quod ad uitam pertineret aeternam salubriter disceretur, deus mundi rector non ab eis Pecunia, sed Sapientia uocaretur, cuius amor purgat a sordibus auaritiae, hoc est ab amore pecuniae!

CAPUT XIII.

Quod, dum exponitur quid Saturnus quidue sit Genius, uterque unus Iuppiter esse doceatur.

Sed quid de hoc Ioue plura, ad quem fortasse ceteri referendi sunt, ut inanis remaneat deorum opinio plurimorum, cum hic ipse sint omnes, siue quando partes eius uel potestates existimantur, siue cum uis animae, quam putant per cuncta

16 Sall. Cat. 11

4 esset aliud *e* sint *l* 6 pecuniae *C* praua l^1 8 satis *l q* 9 et et *C* 11 non possunt, non *sup. lin.*, *l* 13 et *om.* e^1 18 pertine^{ret} *C* 23 Genius] ianus *p* docetur *p* 25 nanis *C* opinio plurimorum *sup. lin. C* 26 ipse sint a^1 *b d e l* α *k*; ipsi sint *C*; ipse sit a^2 *p q v*

diffusam, ex partibus molis huius, in quas uisibilis mundus iste consurgit, et multiplici administratione naturae quasi plurium deorum nomina accepit? Quid est enim et Saturnus? 'Unus, inquit, de principibus deus, penes quem sationum omnium dominatus est.' Nonne expositio uersuum illorum Valerii Sorani sic se habet, Iouem esse mundum et eum omnia semina ex se emittere et in se recipere? Ipse est igitur penes quem sationum omnium dominatus est. Quid est Genius? 'Deus, inquit, qui praepositus est ac uim habet omnium rerum gignendarum.' Quem alium hanc uim habere credunt quam mundum, cui dictum est: 'Iuppiter progenitor genetrixque?' Et cum alio loco genium dicit esse uniuscuiusque animum rationalem et ideo esse singulos singulorum, talem autem mundi animum Deum esse: ad hoc idem utique reuocat, ut tamquam uniuersalis genius ipse mundi animus esse credatur. Hic est igitur quem appellant Iouem. Nam si omnis genius deus et omnis uiri animus genius, sequitur ut sit omnis uiri animus deus; quod si et ipsos abhorrere absurditas ipsa conpellit, restat ut eum singulariter et excellenter dicant deum Genium, quem dicunt mundi animum ac per hoc Iouem.

CAPUT XIIII.

De Mercurii et Martis officiis.

Mercurium uero et Martem quo modo referrent ad aliquas partes mundi et opera Dei, quae sunt in elementis, non inuenerunt, et ideo eos saltem operibus hominum praeposuerunt, sermocinandi et belligerandi administros. Quorum Mercurius si sermonis etiam deorum potestatem gerit, ipsi quoque regi

2 ammin. *l* 3 numina *C* quid ... Saturnus *om. a*[1] 4 princibus *C* 5 omnium *sup. lin. C* 6 ualeri *C l* 7 mittere *C a b d e p:* emittere *l q v (cf. supra 317, 3)* 13 rationalem *m. 2 in fine uersus l* 17 dī. et ǫ̃nis uiri ãimus dī. et omnis uiri animus genius *C* omnes *et* animos *e*[2] 18 etsi *e* 25 mundi partes *C* elemen^{tif} *C* 26 saltem eos *e* 27 ammin. *d l*

deorum dominatur, si secundum eius arbitrium Iuppiter loquitur aut loquendi ab illo accepit facultatem; quod utique absurdum est. Si autem illi humani tantum sermonis potestas tributa perhibetur, non est credibile ad lactandos mamma non solum pueros, sed etiam pecora, unde Ruminus cognominatus est, Iouem descendere uoluisse, et curam nostri sermonis, quo pecoribus antecellimus, ad se pertinere noluisse; ac per hoc idem ipse est Iouis adque Mercurius. Quod si sermo ipse dicitur esse Mercurius, sicut ea, quae de illo interpretantur, ostendunt (nam ideo Mercurius quasi medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius; ideo Ἑρμῆς Graece, quod sermo uel interpretatio, quae ad sermonem utique pertinet, ἑρμηνεία dicitur; ideo et mercibus praeesse, quia inter uendentes et ementes sermo fit medius; alas eius in capite et pedibus significare uolucrem ferri per aera sermonem; nuntium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enuntiantur) — si ergo Mercurius ipse sermo est, etiam ipsis confitentibus deus non est. Sed cum sibi deos faciunt eos, qui nec daemones sunt, inmundis supplicando spiritibus possidentur ab eis, qui non di, sed daemones sunt. Item quia nec Marti aliquod elementum uel partem mundi inuenire potuerunt, ubi ageret opera qualiacumque naturae, deum belli esse dixerunt, quod opus est hominum et optabilius non est. Si ergo pacem perpetuam Felicitas daret, Mars quid ageret non haberet. Si autem ipsum bellum est Mars, sicut sermo Mercurius: utinam quam manifestum est, quod non sit deus, tam non sit et bellum, quod uel falso uocetur deus.

2 accipit *a d e* 5 pecora//////, *eraso uocabulo repetito, C* 6 coram *C* quo *C d;* qua *a b l p q α k;* quia *e f* 12 utique ad sermonem *v* 13 hermenia *codd.* 17 nuntiantur C^1 19 n̤e̤ç̤ *punctis deletum C* 22 agere *e* 24 optabilius C^1 a^1 *b d e l p α k f;* optabili/s C^2; optabile eis a^2 *q v* 27 tam..... deus *om. e*

CAPUT XV.

De stellis quibusdam, quas pagani deorum suorum nominibus nuncuparunt.

Nisi forte illae stellae sunt hi di, quas eorum appellauere nominibus. Nam stellam quandam uocant Mercurium, quandam itidem Martem. Sed ibi est et illa quam uocant Iouem, et tamen eis mundus est Iouis; ibi quam uocant Saturnum, et tamen ei praeterea dant non paruam substantiam, omnium uidelicet seminum; ibi est et illa omnium clarissima, quae ab eis appellatur Venus, et tamen eandem Venerem esse etiam Lunam uolunt; quamuis de illo fulgentissimo sidere aput eos tamquam de malo aureo Iuno Venusque contendant. Luciferum enim quidam Veneris, quidam dicunt esse Iunonis; sed, ut solet, Venus uincit. Nam multo plures eam stellam Veneri tribuunt, ita ut uix eorum quisquam reperiatur, qui aliud opinetur. Quis autem non rideat, cum regem omnium Iouem dicant, quod stella eius ab stella Veneris tanta uincitur claritate? Tanto enim esse debuit ceteris illa fulgentior, quanto est ipse potentior. Respondent ideo sic uideri, quia illa, quae putatur obscurior, superior est adque a terris longe remotior. Si ergo superiorem locum maior dignitas meruit, quare Saturnus ibi est Ioue superior? An uanitas fabulae, quae regem Iouem facit, non potuit usque ad sidera peruenire, et quod non ualuit Saturnus in regno suo neque in Capitolio, saltem obtinere est permissus in caelo? Quare autem Ianus non accepit aliquam stellam? Si, quia mundus est et omnes in illo sunt: et Iouis mundus est et habet tamen. An iste causam suam conposuit ut potuit et pro una stella, quam non habet inter sidera, tot facies accepit in terra? Deinde si propter solas stellas Mercurium et Martem partes mundi putant, ut

4 quae *C* 12 contendant *om. C*^{1}, *in marg. m. 2* contendunt 24 capitulio *C* 25 est permissus obtinere *v* 26 si] nisi *b*^{2}; sed *d p* quia *C b d l p;* propterea quia *a e q v Domb.* omnis *C* 27 iouſ *C* 30 solas *om. C*

eos deos habere possint, quia utique sermo et bellum non sunt partes mundi, sed actus hominum: quur Arieti et Tauro et Cancro et Scorpioni ceterisque huius modi, quae caelestia signa numerant et stellis non singulis, sed singula pluribus constant superiusque istis in summo caelo perhibent conlocata, ubi constantior motus inerrabilem meatum sideribus praebet, nullas aras, nulla sacra, nulla templa fecerunt, nec deos, non dico inter hos selectos, sed ne inter illos quidem quasi plebeios habuerunt?

CAPUT XVI.

De Apolline et Diana ceterisque selectis dis, quos partes mundi esse uoluerunt.

Apollinem quamuis diuinatorem et medicum uelint, tamen ut in aliqua parte mundi statuerent, ipsum etiam solem esse dixerunt, Dianamque germanam eius similiter lunam et uiarum praesidem (unde et uirginem uolunt, quod uia nihil pariat), et ideo ambos sagittas habere, quod ipsa duo sidera de caelo radios terras usque pertendant. Vulcanum uolunt ignem mundi, Neptunum aquas mundi, Ditem patrem, hoc est Orcum, terrenam et infimam partem mundi. Liberum et Cererem praeponunt seminibus, uel illum masculinis, illam femininis; uel illum liquori, illam uero ariditati seminum. Et hoc utique totum refertur ad mundum, id est ad Iouem, qui propterea dictus est 'progenitor genetrixque', quod omnia semina ex se emitteret et in se reciperet. Quando quidem etiam Matrem Magnam eandem Cererem uolunt, quam nihil aliud dicunt esse quam terram, eamque perhibent et Iunonem, et ideo ei secundas causas rerum tribuunt, cum tamen Ioui sit dictum 'progenitor

1 ſemo *C* 3 ſcorpio *C d* huiuscemodi *l* 4 stillis *C* sed et *e* 5 istiſ *m. 2 corr. e* 8 nc *om. e* 14 in *sup. lin. l* 17 ambas *e* sagistas *e*[1] 18 pertendunt *l;* perdant *e* 19 horcum *C e* 20 praeponunt, *in marg.* ꝑponunt, *e* 21 uel illum *ante* masc. *sup. lin. l* 24 exemitteret *d* emitteret *q v;* mitteret *C a b e l p* 25 receperit *C*[1] matrem etiam *l* 26 gererē *d* 28 tribuunt rerum *v*

genetrixque deum', quia secundum eos totus ipse mundus est Iouis. Mineruam etiam, quia eam humanis artibus praeposuerunt nec inuenerunt uel stellam, ubi eam ponerent, eandem uel summum aethera uel etiam lunam esse dixerunt. Vestam quoque ipsam propterea dearum maximam putauerunt, quod ipsa sit terra, quamuis ignem mundi leuiorem, qui pertinet ad usus hominum faciles, non uiolentiorem, qualis Vulcani est, ei deputandum esse crediderunt. Ac per hoc omnes istos selectos deos hunc esse mundum uolunt, in quibusdam uniuersum, in quibusdam partes eius; uniuersum sicut Iouem, partes eius, ut Genium, ut Matrem Magnam, ut Solem, ut Lunam, uel potius Apollinem et Dianam. Et aliquando unum deum res plures, aliquando unam rem deos plures faciunt. Nam unus deus res plures sunt, sicut ipse Iuppiter; et mundus enim totus Iuppiter, et solum caelum Iuppiter, et sola stella Iuppiter habetur et dicitur; itemque Iuno secundarum causarum domina et Iuno aer et Iuno terra et, si Venerem uinceret, Iuno stella. Similiter Minerua summus aether et Minerua itidem luna, quam esse in aetheris infimo limite existimant. Unam uero rem deos plures ita faciunt: Et Ianus est mundus et Iuppiter; sic et Iuno est terra et Mater Magna et Ceres.

CAPUT XVII.

Quod etiam ipse Varro opiniones suas de dis pronuntiarit ambiguas.

Et sicut haec, quae exempli gratia commemoraui, ita cetera non explicant, sed potius inplicant; sicut impetus errabundae

1 mundus ipse *v* 2 qui *f* artibus] mentibus *a* 3 nec . . . . . ponerent *correctoris m. in marg. infer. C* 6 pertineat *e* 9 quibuſ,uniu. *C* 10 sic *C* 11 ut lunam *a b d e l p q k f*; uel lun. *C*; et lun. *v Domb.* 12 unum . . . aliquando *om. l*[1] 13 plures *om. e* 14 iuppiter ipse *e* 16 inuno *e* 18 ethaere. minerua *C* 23 c. XVII *cum superiore cohaeret in C* 25 pronuntiauit *p* 26 et cetera *e* 27 sed potius inplicant *om. C*[1]

opinionis inpulerit, ita huc adque illuc, hinc adque illinc insiliunt et resiliunt, ut ipse Varro de omnibus dubitare quam aliquid adfirmare maluerit. Nam trium extremorum primum de dis certis cum absoluisset librum, in altero de dis incertis dicere ingressus ait: 'Cum in hoc libello dubias de dis opiniones posuero, reprehendi non debeo. Qui enim putabit iudicari oportere et posse, cum audierit, faciet ipse. Ego citius perduci possum, ut in primo libro quae dixi in dubitationem reuocem, quam in hoc quae perscribam omnia ut ad aliquam dirigam summam.' Ita non solum istum de dis incertis, sed etiam illum de certis fecit incertum. In tertio porro isto de dis selectis, postea quam praelocutus est quod ex naturali theologia praeloquendum putauit, ingressurus huius ciuilis theologiae uanitates et insanias mendaces, ubi eum non solum non ducebat rerum ueritas, sed etiam maiorum premebat auctoritas: 'De dis, inquit, populi Romani publicis, quibus aedes dedicauerunt eosque pluribus signis ornatos notauerunt, in hoc libro scribam, sed ut Xenophanes Colophonius scribit, quid putem, non quid contendam, ponam. Hominis est enim haec opinari, dei scire'. Rerum igitur non conprehensarum nec firmissime creditarum, sed opinatarum et dubitandarum sermonem trepidus pollicetur dicturus ea, quae ab hominibus instituta sunt. Neque enim, sicut sciebat esse mundum, esse caelum et terram, caelum sideribus fulgidum, terram seminibus fertilem, adque huius modi cetera, sicut hanc totam molem adque naturam

1 illuc hinc *in ras. C* adque illinc in| *m. 1 sup. lin. C* 4 *ut editur mss.;* cum de diis certis *v* 5 ingressus, in *m. 2 in* ad *corr., e* 6 putabit *m. 2 in ras., in marg.* quē putabit, *e;* putab/i/t, *radendo ex* putabunt *corr., d;* putauit $C a^1 l$ 9 que, e *in* o *corr. l* perscribam a^2*;* praescribam $C a^1 b d e l p$ omnia ut ad] omnia aut *p* ad aliquam *d e l q α;* ad *om.* $C a b p k f$ 10 istud l^1 certis *l* 11 ceteris *e* 12 theologiae *l* 18 colophonios *f Domb.* scribit $C a d e l p q v$*;* scripsit *b Domb.* 19 est enim *C;* enim est *rell. v* 20 nec ... opinatarum *m. 1 in marg., e* 21 opinarum *l;* opinandarum *C* 23 esse *ante* mundum *om. l* 25 huiusce modi *e*

ui quadam inuisibili ac praepotenti regi adque administrari certa animi stabilitate credebat: ita poterat adfirmare de Iano, quod mundus ipse esset, aut de Saturno inuenire, quo modo et Iouis pater esset et Ioui regnanti subditus factus esset et cetera talia.

CAPUT XVIII.

Quae credibilior causa sit, qua error paganitatis inoleuerit.

De quibus credibilior redditur ratio, cum perhibentur homines fuisse et unicuique eorum ab his, qui eos adulando deos esse uoluerunt, ex eius ingenio moribus, actibus casibus sacra et sollemnia constituta adque haec paulatim per animas hominum daemonibus similes et ludicrarum rerum auidas inrependo longe lateque uulgata, ornantibus ea mendaciis poetarum et ad ea fallacibus spiritibus seducentibus. Facilius enim fieri potuit, ut iuuenis inpius uel ab inpio patre interfici metuens et auidus regni patrem pelleret regno, quam id, quod iste interpretatur, ideo Saturnum patrem a Ioue filio superatum, quod ante est causa quae pertinet ad Iouem, quam semen quod pertinet ad Saturnum. Si enim hoc ita esset, numquam Saturnus prior fuisset nec pater Iouis esset. Semper enim semen causa praecedit nec umquam generatur ex semine. Sed cum conantur uanissimas fabulas siue hominum res gestas uelut naturalibus interpretationibus honorare, etiam homines acutissimi tantas patiuntur angustias, ut eorum quoque uanitatem dolere cogamur.

1 ui] ut *C* inuisibilia ac *C d* 2 certe e^1 3 ipse *sup. lin. l* aut..... esset *m. 1 in marg. e* 4 reg//nanti, na *eras.*, *C* 9 credib. redd. *om. d* *uerbis* Cum perhibentur *incipit* c. XVIII *in C* 11 eius C^1 *b d l p;* eorum C^2 (*in marg.*), *a q* k^2 *f* 12 ꝑpter, *in marg.* per, *e* 14 orantibus l^1 19 est] eū *e* quem l^1 22 geꝙnerator *C*

CAPUT XVIIII.

De interpretationibus, quibus colendi Saturni ratio concinnatur.

'Saturnum, inquit, dixerunt, quae nata ex eo essent, solitum deuorare, quod eo semina, unde nascerentur, redirent. Et quod illi pro Ioue gleba obiecta est deuoranda, significat, inquit, manibus humanis obrui coeptas serendo fruges, antequam utilitas arandi esset inuenta.' Saturnus ergo dici debuit ipsa terra, non semina; ipsa enim quodam modo deuorat quae genuerit, cum ex ea nata semina in eam rursus recipienda redierint. Et quod pro Ioue accepisse dicitur glebam, quid hoc ad id ualet, quod manibus hominum semen gleba coopertum est? Numquid ideo non est, ut cetera, deuoratum, quod gleba coopertum est? Ita enim hoc dictum est, quasi qui glebam obposuit semen abstulerit, sicut Saturno perhibent oblata gleba ablatum Iouem, ac non potius gleba semen operiendo fecerit illud diligentius deuorari. Deinde isto modo semen est Iuppiter, non seminis causa, quod paulo ante dicebatur. Sed quid faciant homines, qui, cum res stultas interpretantur, non inueniunt quid sapienter dicatur? 'Falcem habet, inquit, propter agriculturam.' Certe illo regnante nondum erat agricultura, et ideo priora eius tempora perhibentur, sicut idem ipse fabellas interpretatur, quia primi homines ex his uiuebant seminibus, quae terra sponte gignebat. An falcem sceptro perdito accepit, ut, qui primis temporibus rex fuerat otiosus, filio regnante fieret operarius laboriosus? Deinde ideo dicit a quibusdam pueros ei solitos immolari, sicut a Poenis, et a quibusdam etiam maiores, sicut a Gallis, quia omnium seminum optimum est genus humanum. De hac crudelissima

4 Sat. quid dixerint *l* 6 glaeua C^1 7 serendas *e* 9 quod *e* 10 nata semina] seminata *e* 12 gleba/, m *eras.*, *C* 13 numquid, quid *m. 2 sup. lin.*, *l* quo e^1 14 coopertum est *sup. lin. l* qui *m. 2 in marg. C* 15 abstulit *l* 16 oblatam glebam *p* 22 priora eius] eius peiora *p* 23 idem] enim *α* fabulas *q* 24 falces *b* 28 maioribus e^2

uanitate quid opus est plura dicere? Hoc potius aduertamus adque teneamus, has interpretationes non referri ad Deum uerum, uiuam, incorpoream incommutabilemque naturam, a quo uita in aeternum beata poscenda est; sed earum esse fines in rebus corporalibus, temporalibus, mutabilibus adque mortalibus. 'Quod Caelum, inquit, patrem Saturnus castrasse in fabulis dicitur, hoc significat penes Saturnum, non penes Caelum semen esse diuinum'. Hoc propterea, quantum intellegi datur, quia nihil in caelo de seminibus nascitur. Sed ecce, Saturnus si Caeli est filius, Iouis est filius. Caelum enim esse Iouem innumerabiliter et diligenter adfirmant. Ita ista, quae a ueritate non ueniunt, plerumque et nullo inpellente se ipsa subuertunt. Chronon appellatum dicit, quod Graeco uocabulo significat temporis spatium, sine quo semen, inquit, non potest esse fecundum. Haec et alia de Saturno multa dicuntur, et ad semen omnia referuntur. Sed saltem Saturnus seminibus cum tanta ista potestate sufficeret; quid ad haec di alii requiruntur, maxime Liber et Libera, id est Ceres? De quibus rursus, quod ad semen adtinet, tanta dicit, quasi de Saturno nihil dixerit.

CAPUT XX.

De sacris Cereris Eleusinae.

In Cereris autem sacris praedicantur illa Eleusinia, quae aput Athenienses nobilissima fuerunt. De quibus iste nihil interpretatur, nisi quod adtinet ad frumentum, quod Ceres inuenit, et ad Proserpinam, quam rapiente Orco perdidit; et hanc ipsam dicit significare fecunditatem seminum; quae cum defuisset quodam tempore eademque sterilitate terra maereret, exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est ipsam fecunditatem, quae a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus

2 uerum deum *v* 4 possidenda *α* 12 a *om. e* 13 chronon *C a b d e l p k;* choronon *f;* chyronon *q;* cronon *α;* Κρόνον *v* appellant diem quod *q* 17 requ/iruntur, i *erasa syllaba* ae, *C* 23 illeleus. *C* elusina *e* 26 horco l^2 28 sterelit. *e* 29 exhortam *l* 30 horcus l^2

abstulerat et aput inferos detinuerat; quae res cum fuisset luctu publico celebrata, quia rursus eadem fecunditas rediit, Proserpina reddita exortam esse laetitiam et ex hoc sollemnia constituta. Dicit deinde multa in mysteriis eius tradi, quae nisi ad frugum inuentionem non pertineant.

CAPUT XXI.

De turpitudine sacrorum, quae Libero celebrabantur.

Iam uero Liberi sacra, quem liquidis seminibus ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum uinum tenet, uerum etiam seminibus animalium praefecerunt, ad quantam turpitudinem peruenerint, piget quidem dicere propter sermonis longitudinem; sed propter istorum superbam hebetudinem non piget. Inter cetera, quae praetermittere, quoniam multa sunt, cogor, in Italiae compitis quaedam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in eius honorem pudenda uirilia colerentur, non saltem aliquantum uerecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis inpositum prius rure in compitis et usque in urbem postea uectabatur. In oppido autem Lauinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes uerbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transuectum esset adque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat inponere. Sic uidelicet Liber deus placandus fuerat pro euentibus seminum, sic ab agris fascinatio repel-

1 de[tinuerit, tinuerit *m. 2 in ras., e;* obtinuerat *l* 3 redita *C* exhortam *l* 9 libri *l* 10 quodammodum *C* priuatam uim q^1 α 11 obtinet α 12 peruenerunt l^1 13 superb. istorum *v* 14 hebit. C^2 *e* 20 plaustellis, au *m. 2 ex* o *corr., C;* plastellis *d* 21 lau/ino, n *eras., C;* lauino *l* α; lanuino *a d e p k;* lanuino *b;* lanbino *f* unus *C a b d e l p;* uni *q;* uno *f* 27 pro euentibus *C d* e^2 *p;* prouentibus *a b* e^1 *l q* α *k f v*

lenda, ut matrona facere cogeretur in publico, quod nec meretrix, si matronae spectarent, permitti debuit in theatro. Propter haec Saturnus solus creditus non est sufficere posse seminibus, ut occasiones multiplicandorum deorum inmunda anima reperiret, et ab uno uero Deo merito inmunditiae destituta ac per multos falsos auiditate maioris inmunditiae prostituta ista sacrilegia sacra nominaret seseque spurcorum daemonum turbis conuiolandam polluendamque praeberet.

CAPUT XXII.

De Neptuno et Salacia ac Venilia.

Iam utique habebat Salaciam Neptunus uxorem, quam inferiorem aquam maris esse dixerunt: ut quid illi adiuncta est et Venilia, nisi ut sine ulla causa necessariorum sacrorum sola libidine animae prostitutae multiplicaretur inuitatio daemoniorum? Sed proferatur interpretatio praeclarae theologiae, quae nos ab ista reprehensione reddita ratione conpescat. 'Venilia, inquit, unda est, quae ad litus uenit; Salacia, quae in salum redit.' Quur ergo deae fiunt duae, cum sit una unda quae uenit et redit? Nempe ipsa est exaestuans in multa numina libido uesana. Quamuis enim aqua non geminetur quae it et redit, huius tamen occasione uanitatis duobus daemoniis inuitatis amplius commaculatur anima, quae it et non redit. Quaeso te, Varro, uel uos, qui tam doctorum hominum talia scripta legistis et aliquid magnum uos didicisse iactatis, interpretamini hoc, nolo dicere secundum illam aeternam incommutabilemque naturam, qui solus est Deus, sed saltem secundum animam mundi et partes eius, quos deos esse ueros existimatis. Partem animae mundi, quae mare permeat, deum uobis fecisse Neptunum utcumque tolerabilioris erroris est. Itane unda ad litus ueniens et in salum rediens duae sunt

1 faceret *e* 10 ac salatia et neuilia *p* 11 solatiā *d* 14 inuitatio, uitatio *sup. lin.*, *C* 18 dea finiunt *e* 20 nomina *l* 22 anima commac. *v* 23 quaso *C* 27 ueros esse *v* 28 parte *d* 29 est erroris *v*

partes mundi aut duae partes animae mundi? Quis uestrum ita desipiat, ut hoc sapiat? Quur ergo uobis duas deas fecerunt, nisi quia prouisum est a sapientibus maioribus uestris, non ut di plures uos regerent, sed ut ea, quae istis uanitatibus et falsitatibus gaudent, plura uos daemonia possiderent? Quur autem illa Salacia per hanc interpretationem inferiorem maris partem, qua uiro erat subdita, perdidit? Namque illam modo, cum refluentem fluctum esse perhibetis, in superficie posuistis. An quia Veniliam pellicem accepit, irata suum maritum de supernis maris exclusit?

CAPUT XXIII.

De Terra, quam Varro deam esse confirmat, eo quod ille animus mundi, quem opinatur deum, etiam hanc corporis sui infimam partem permeet eique uim diuinam inpertiat.

Nempe una est terra, quam plenam quidem uidemus animalibus suis; uerum tamen ipsam magnum corpus in elementis mundique infimam partem, quur eam uolunt deam? An quia fecunda est? Quur ergo non magis homines di sunt, qui eam fecundiorem faciunt excolendo; sed cum arant, non cum adorant? Sed pars animae mundi, inquiunt, quae per illam permeat, deam facit. Quasi non euidentior sit in hominibus anima, quae utrum sit nulla fit quaestio; et tamen homines di non habentur et, quod est grauiter dolendum, his, qui di non sunt et quibus ipsi meliores sunt, colendis et adorandis mirabili et miserabili errore subduntur. Et certe idem Varro in eodem de dis selectis libro tres esse adfirmat animae gradus in omni uniuersaque natura: unum, qui omnes partes corporis, quae

1 mudi *C* 4 rege//rent *C* eaq; *e* 7 illamodo *C* 9 pelicem C^1 *d e l* suū *m. 2 in ras. e* 13 ille oms mundi, *in marg.* animus, *p* 14 infimam *om.* q^1 15 impertiatur *p* 16 quidem plenam *v* 20 arant non cum *om.* C^1 22 fecit *e* 23 sit quaestio *l* 27 electis *p* 28 unum quod *C* a^1 *d* e^1 *l, recte fortasse, cum* quod *similiter dictum sit infra p. 333, 7*

uiuunt, transit et non habet sensum, sed tantum ad uiuendum ualetudinem; hanc uim in nostro corpore permanare dicit in ossa, ungues, capillos; sicut in mundo arbores sine sensu aluntur et crescunt et modo quodam suo uiuunt: secundum gradum animae, in quo sensus est; hanc uim peruenire in oculos, aures, nares, os, tactum: tertium gradum esse animae summum, quod uocatur animus, in quo intellegentia praeminet; hoc praeter hominem omnes carere mortales. Hanc partem animae mundi dicit Deum, in nobis autem genium uocari. Esse autem in mundo lapides ac terram, quam uidemus, quo non permanat sensus, ut ossa, ut ungues Dei; solem uero, lunam, stellas, quae sentimus quibusque ipse sentit, sensus esse eius; aethera porro animum eius; cuius uim, quae peruenit in astra, ea quoque facere deos, et per ea quod in terram permanat, deam Tellurem; quod autem inde permanat in mare adque oceanum, deum esse Neptunum.

Redeat ergo ab hac, quam theologian naturalem putat, quo uelut requiescendi causa ab his ambagibus adque anfractibus fatigatus egressus est; redeat, inquam, redeat ad ciuilem; hic eum adhuc teneo, tantisper de hac ago. Nondum dico, si terra et lapides nostris sunt ossibus et unguibus similes, similiter eos intellegentiam non habere, sicut sensu carent; aut si idcirco habere dicuntur ossa et ungues nostri intellegentiam, quia in homine sunt qui habet intellegentiam, tam stultum

1 ad *sup. lin. l* 2 permanere l^1; permeare *e* 6 animae esse *v* animam e^1 7 qui a^2 8 partem] p̃ter *e* 9 deum ait *e* 11 permaneat *e* ut *ante* ossa *sup. lin. C* dei *om. C, sed erasum uidetur esse* dī 12 stellasque *C a* 13 eius; cuius uim *Domb.;* eius uim *q;* et cuius ui *C α;* e cuius ui *d;* et cuiuſcūiq; *a;* eī cū ui, cū *m. 2 in margine additum, e;* cuius ui *b* (ui *m. 1 sup. lin.*), *l p;* eius: ex cuius ui *v* quae *om. p* 14 ea quoque *Domb.;* eam q. *codd. praeter q;* ipsam q. *q v* per eam *a e l* 14. 15 permanat *codd.;* permeat *v* 17 ad hanc *a e et C m. 2 in marg.* theologian *C d α;* theologiam *a b e l p v* 20 ad teneo l^1 e^1; adtineo l^2 22 sic aut *e* careat *e* 23 habere intellegentiam *l* 24 stultus est *e q*

esse qui hos in mundo deos dicit, quam stultus est qui in nobis ossa et ungues homines dicit. Sed haec cum philosophis fortassis agenda sunt; nunc autem istum adhuc politicum uolo. Fieri enim potest, ut, li et in illam naturalis theologiae ueluti libertatem caput erigere paululum uoluisse uideatur, adhuc tamen hunc librum uersans et se in illo uersari cogitans, eum etiam inde respexerit et hoc propterea dixerit, ne maiores eius siue aliae ciuitates Tellurem adque Neptunum inaniter coluisse credantur. Sed hoc dico: pars animi mundani, quae per terram permeat, sicut una est terra, quur non etiam unam fecit deam, quam dicit esse Tellurem? Quod si ita fecit, ubi erit Orcus, frater Iouis adque Neptuni, quem Ditem patrem uocant? ubi eius coniunx Proserpina, quae secundum aliam in eisdem libris positam opinionem non terrae fecunditas, sed pars inferior perhibetur? Quod si dicunt animi mundani partem, cum permeat terrae partem superiorem, Ditem patrem facere deum; cum uero inferiorem, Proserpinam deam: Tellus illa quid erit? Ita enim totum, quod ipsa erat, in duas istas partes deosque diuisum est, ut ipsa tertia quae sit aut ubi sit inuenire non possit; nisi quis dicat simul istos deos Orcum adque Proserpinam unam deam esse Tellurem et non esse iam tres, sed aut unam aut duos; et tamen tres dicuntur, tres habentur, tres coluntur aris suis, delubris suis, sacris, simulacris, sacerdotibus suis, et per haec etiam fallacibus prostitutam animam constuprantibus daemonibus suis. Adhuc respondeatur, quam partem terrae permeet pars mundani animi, ut deum faciat Tellumonem? Non, inquit, sed una eadem-

1 quia *l* hos in mundo deos dicit *C d e l p Domb.;* hoc in mundo dicit deos *a q;* hos deos in m. d. *v* 3 nun *C* poloticum, *in marg. m. 2* id ē ciuilē, *e* 5 uelut *l* 6 in ipso *l* 8 eius *om. e* coluisse inaniter *v* 9 hoc *om. l* 12 patrem *sup. lin. C* 13 coniunx *C e* quae *om. C*[1] 14 eis delibris, *in marg. m. 2* eifdem, *e* 17 facere *eraso m. 2* dicere, *e* 18 erat] erit *l* partes istas *l* 20 inuenire *C*[1] *b l*[1] *a*[1] *k*[1] *f;* inueniri *a e p q v* qui *l*[1] 23 haris *d* delubris suis *sup. lin. C* sachris simulachris *d* 25 adhae. *e* 26 partem mundi, *m. 2 in marg.* terrę, *C;* terrae *om. a* 27 eadem, *om.* que, *l*

que terra habet geminam uim, et masculinam, quod semina producat, et femininam, quod recipiat adque nutriat; inde a ui feminae dictam esse Tellurem, a masculi Tellumonem. Quur ergo pontifices, ut ipse indicat, additis quoque aliis duobus quattuor dis faciunt rem diuinam, Telluri, Tellumoni, Altori, Rusori? De Tellure et Tellumone iam dictum est. Altori quare? Quod ex terra, inquit, aluntur omnia quae nata sunt. Rusori quare? Quod rursus, inquit, cuncta eodem reuoluuntur.

CAPUT XXIIII.

De Telluris cognominibus eorumque significationibus, quae etiamsi erant multarum rerum indices, non debuerunt multorum deorum firmare opiniones.

Debuit ergo una terra propter istam quatergeminam uim quattuor habere cognomina, non quattuor facere deos; sicut tot cognominibus unus Iuppiter et tot cognominibus una Iuno, in quibus omnibus uis multiplex esse dicitur ad unum deum uel unam deam pertinens, non multitudo cognominum deorum etiam multitudinem faciens. Sed profecto sicut aliquandó etiam ipsas uilissimas feminas earum, quas libidine quaesierunt, taedet paenitetque turbarum: sic animam uilem factam et inmundis spiritibus prostitutam deos sibi multiplicare, quibus contaminanda prosterneretur, sicut plurimum libuit, sic aliquando et piguit. Nam et ipse Varro quasi de ipsa turba uerecundatus unam deam uult esse Tellurem. 'Eandem, inquit, dicunt Matrem Magnam; quod tympanum habeat, significari esse orbem terrae; quod turres in capite, oppida; quod sedens

2 nutriat *codd.;* enutriat *v* inde a ui feminae] Indeam faeminę *l* 3 femininae C^1 *e* dicūt ēē *l* a] et *q; om. d* masculi *C a* b^2 *d p q;* masculini b^1 *e l;* masculina *v* 6 et *om. l* 7 quare *om. l* 8 natura *l* rusoni *b* 15 quatergeminam *codd.;* quadrigem. *v* 18 omnibus suis *b* ad unam *e* 20 etiam..... aliquando *om.* e^1 21 eorum *l* 28 urbem *C;* ob rem l^1 turres *C* b^2 *q v;* turris b^1 *d e l p Domb.* sedens fingatur *corr. G. Zoega (v. M. Haupt, Herm. IIII p. 333);* sedes fingantur *mss. v*

fingatur, circa eam cum omnia moueantur, ipsam non moueri. Quod Gallos huic deae ut seruirent fecerunt, significat, qui semine indigeant, terram sequi oportere; in ea quippe omnia reperiri. Quod se aput eam iactant, praecipitur, inquit, qui terram colunt, ne sedeant; semper enim esse quod agant. Cymbalorum sonitus ferramentorum iactandorum ac manuum et eius rei crepitum in colendo agro qui fit significant; ideo aere, quod eam antiqui colebant aere, antequam ferrum esset inuentum. Leonem, inquit, adiungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant nullum genus esse terrae tam remotum ac nehementer ferum, quod non subigi colique conueniat.' Deinde adiungit et dicit, Tellurem matrem et nominibus pluribus et cognominibus quod nominarunt, deos existimatos esse conplures. 'Tellurem, inquit, putant esse Opem, quod opere fiat melior; Matrem, quod plurima pariat; Magnam, quod cibum pariat; Proserpinam, quod ex ea proserpant fruges; Vestam, quod uestiatur herbis. Sic alias deas, inquit, non absurde ad hanc reuocant.' Si ergo una dea est, quae quidem consulta ueritate nec ipsa est, interim quid itur in multas? Unius sint ista multa nomina, non tam deae multae quam nomina. Sed errantium maiorum auctoritas deprimit et eundem Varronem post hanc sententiam trepidare conpellit. Adiungit enim et dicit: 'Cum quibus opinio maiorum de his deabus, quod plures eas putarunt esse, non pugnat.' Quo modo non pugnat, cum ualde aliud sit unam deam nomina habere multa, aliud esse deas multas? 'Sed potest, inquit, fieri ut eadem res et

1 fingantur *ex* figurantur *corr. q* 4 his qui α 6 iactandorum *mss.;* iactationem *Domb.* manuum usum *coni. Haupt l. l.* 7 crepitum *Domb.;* crepitus *codd.* crepitus in col. agro qui fiunt *coni. Haupt* in col.....quod *om. b*¹ quid fit *q* 10 esse nullum genus *v* 11 subici *l* 13 quos *l*² 15 plurima rapiat *e* 16 proserpent *e* 18 una dea] unda *e* 19 quidicitur *e l*¹*;* quidigitur *l*² 20 multa *om. e* numina *unus* α *et sic Domb. interpretans* 'uires diuinas'*; sed non de uiribus, immo de nominibus unius deae agitur, cum quaeratur, utrum propter nominum multitudinem totidem deae fingendae sint (cf. l. 25)* 25 habere nomina *e* 26 multas fieri *e* et *ante* una *om. a*

una sit, et in ea quaedam res sint plures.' Concedo in uno homine esse res plures, numquid ideo et homines plures? Sic in una dea esse res plures, numquid ideo et deas plures? Verum sicut uolunt, diuidant conflent, multiplicent replicent inplicent.

Haec sunt Telluris et Matris Magnae praeclara mysteria, unde omnia referuntur ad mortalia semina et exercendam agriculturam. Itane ad haec relata et hunc finem habentia tympanum, turres, Galli, iactatio insana membrorum, crepitus cymbalorum, confictio leonum uitam cuiquam pollicentur aeternam? Itane propterea Galli abscisi huic Magnae deae seruiunt, ut significent, qui semine indigeant, terram sequi oportere; quasi non eos ipsa potius seruitus semine faciat indigere? Utrum enim sequendo hanc deam, cum indigeant, semen adquirunt, an potius sequendo hanc deam, cum habeant, semen amittunt? Hoc interpretari est an detestari? Nec adtenditur, quantum maligni daemones praeualuerint, qui nec aliqua magna his sacris polliceri ausi sunt, et tam crudelia exigere potuerunt. Si dea terra non esset, manus ei homines operando inferrent, ut semina consequerentur per illam, non et sibi saeuiendo, ut semina perderent propter illam; si dea non esset, ita fecunda fieret manibus alienis, ut non cogeret hominem sterilem fieri manibus suis. Iam quod in Liberi sacris honesta matrona pudenda uirilia coronabat spectante multitudine, ubi rubens et sudans, si est ulla frons in hominibus, adstabat forsitan et maritus; et quod in celebratione nuptiarum super Priapi scapum noua nupta sedere iubebatur: longe contemtibiliora adque leuiora sunt prae ista turpitudine crudelissima

1 ut in uno *e l*; et in un. *q* 2 numinquit *e* 3 ////////res plures, *bis script.*, *C* numquid ... plures *om. l*[1] 4 conflent, *in marg.* c̄plicent *e* 7 et exerc. *codd.*; et ad exerc. *v* 8 agric.... relata *in marg. e* 9 et insana *e* 10 conflictio *e* cuique *d* 15 anc *C* habent *C*[1] semina *e* 18 exigere] exercere *l* 20 et *C a b d e l p α k f*; *om. q*; etiam *v* 24 expectante *l* 27 priapuſcaput *l*[1] capud *e*

uel crudelitate turpissima, ubi daemonicis ritibus sic uterque sexus inluditur, ut neuter suo uulnere perimatur. Ibi fascinatio timetur agrorum, hic membrorum amputatio non timetur. Ibi sic dehonestatur nouae nuptae uerecundia, ut non solum fecunditas, sed nec uirginitas adimatur; hic ita amputatur uirilitas, ut nec conuertatur in feminam nec uir relinquatur.

CAPUT XXV.

Quam interpretationem de abscisione Attidis Graecorum sapientium doctrina reppererit.

Et Attis ille non est commemoratus nec eius ab isto interpretatio requisita est, in cuius dilectionis memoriam Gallus absciditur. Sed docti Graeci adque sapientes nequaquam rationem tam sanctam praeclaramque tacuerunt. Propter uernalem quippe faciem terrae, quae ceteris est temporibus pulchrior, Porphyrius, philosophus nobilis, Attin flores significare perhibuit, et ideo abscisum, quia flos decidit ante fructum. Non ergo ipsum hominem uel quasi hominem, qui est uocatus Attis, sed uirilia eius flori conparauerunt. Ipsa quippe illo uiuente deciderunt; immo uero non deciderunt neque decerpta, sed plane discerpta sunt; nec illo flore amisso quisquam postea fructus, sed potius sterilitas consecuta est. Quid ergo ipse reliquus, et quidquid remansit absciso? quid eo significari dicitur? quo refertur? quae interpretatio inde profertur? An haec frustra moliendo nihilque inueniendo persuadent illud potius esse credendum, quod de homine castrato fama iactauit

1 ibi *l* daemoni.cis (*inter* i *et* c *rescissa est membrana*) *C*; daemonicis *rell. codd.*; daemoniacis *v* ritibus *codd. excepto C, in quo m. 1* retibus; artibus *v* 2 phimatur *e* 6 uiro *e* 9 reperit *p* 10 Et Attis *l*; Et attis, *in marg. m. 2* flos, *C*; flos aetatis *a e*; Flos et attis *p*; aetattis *b*; etatis *d*; Et Atys *v* 14 temp. est *v* 15 Atyn *v* 17 uocatus est *v* 19 immo ... deciderunt *om. l*[1] decerpta, *m. 2 superscripto* ſt, *C*; decerpta sunt *e* 20 plane tamen *C* 22 et *sup. lin. l* et quid *e* eo] ergo *e* 25 credum[end] *C*

litterisque mandatum est? Merito hinc auersatus est Varro noster, neque hoc dicere uoluit; non enim hominem doctissimum latuit.

CAPUT XXVI.

De turpitudine sacrorum Matris Magnae.

Itemque de mollibus eidem Matri Magnae contra omnem uirorum mulierumque uerecundiam consecratis, qui usque in hesternum diem madidis capillis facie dealbata, fluentibus membris incessu femineo per plateas uicosque Carthaginis etiam a propolis unde turpiter uiuerent exigebant, nihil Varro dicere uoluit nec uspiam me legisse commemini. Defecit interpretatio, erubuit ratio, conticuit oratio. Vicit Matris Magnae omnes deos filios non numinis magnitudo, sed criminis. Huic monstro nec Iani monstrositas conparatur. Ille in simulacris habebat solam deformitatem, ista in sacris deformem crudelitatem; ille membra in lapidibus addita, haec in hominibus perdita. Hoc dedecus tot Iouis ipsius et tanta stupra non uincunt. Ille inter femineas corruptelas uno Ganymede caelum infamauit; ista tot mollibus professis et publicis et inquinauit terram et caelo fecit iniuriam. Saturnum fortasse possemus huic in isto genere turpissimae crudelitatis siue conferre siue praeferre, qui patrem castrasse perhibetur; sed in Saturni sacris homines alienis manibus potius occidi quam suis abscidi potuerunt. Deuorauit ille filios, ut poetae ferunt, et physici ex hoc interpretantur quod uolunt; ut autem historia prodit, necauit; sed quod ei Poeni suos filios sacrificati sunt, non recepere Romani. At uero ista Magna deorum Mater etiam Romanis templis castra-

1 aduersatus a^2 *e* est et *a* uarro adq; taceri neque hoc dicere, *in margine* noster, *C* 6 omnium *l*, hominem e^1 10 a *om. d* propolis *C b* l^1 *p;* ppplif *d;* populis l^2 *v Domb.* 13 nominis *l* monstro nec Iani *om. l* monstruositas *d e* 16 ominibus *l* 18 feminea C^1 gimine decelu *d* 21 quia *e* 22 saturnis *d* 24 phoesici C^1 25 negauit l^1 26 sacrificati sunt *C a* b^1 *d l p* α *f;* sacrificati sunt sacrificauerunt k^1; sacrificarunt *e;* sacrificauerunt b^2 *q v*

tos intulit adque istam saeuitiam moremque seruauit, credita uires adiuuare Romanorum exsecando uirilia uirorum. Quid sunt ad hoc malum furta Mercurii, Veneris lasciuia, stupra ac turpitudines ceterorum, quae proferremus de libris, nisi cottidie cantarentur et saltarentur in theatris? Sed haec quid sunt ad tantum malum, cuius magnitudo Magnae Matri tantummodo conpetebat? Praesertim quod illa dicuntur a poetis esse conficta, quasi poetae id etiam finxerint, quod ea sint dis grata et accepta. Ut ergo canerentur uel scriberentur, sit audacia uel petulantia poetarum; ut uero diuinis rebus et honoribus eisdem imperantibus et extorquentibus numinibus adderentur, quid est nisi crimen deorum, immo uero confessio daemoniorum et deceptio miserorum? Verum illud, quod de abscisorum consecratione Mater deum coli meruit, non poetae confinxerunt, sed horrere magis quam canere maluerunt. Hisne dis selectis quisquam consecrandus est, ut post mortem uiuat beate, quibus consecratus ante mortem honeste non potest uiuere, tam foedis superstitionibus subditus et inmundis daemonibus obligatus? Sed haec omnia, inquit, referuntur ad mundum. Videat ne potius ad inmundum. Quid autem non potest referri ad mundum, quod esse demonstratur in mundo? Nos autem animum quaerimus, qui uera religione confisus non tamquam deum suum adoret mundum, sed tamquam opus Dei propter Deum laudet mundum, et mundanis sordibus expiatus mundus perueniat ad Deum, qui condidit mundum.

2 execando $e l^1$ 3 Mercurii furta v 4 ac turp. *C a b d e l p q v;* et turp. *Domb.* de delubris $p \alpha$ 8 finxerint l ea *sup. lin. C* 9 audacia sit v 14 deum *codd.;* deorum v 15 confinxerunt l 18 fedis, f *m. 2 ex* ſ *corr., C* 20 quod e^1 21 mundv̄, v̄ *m. 2 ex* o *corr., e*

CAPUT XXVII.

De figmentis physiologorum, qui nec ueram diuinitatem colunt, nec eo cultu quo colenda est uera diuinitas.

Istos uero deos selectos uidemus quidem clarius innotuisse quam ceteros, non tamen ut eorum inlustrarentur merita, sed ne occultarentur obprobria; unde magis eos homines fuisse credibile est, sicut non solum poeticae litterae, uerum etiam historicae tradiderunt. Nam quod Vergilius ait:

> Primus ab aetherio uenit Saturnus Olympo,
> Arma Iouis fugiens et regnis exul ademtis,

et quae ad hanc rem pertinentia consequuntur, totam de hoc Euhemerus pandit historiam, quam Ennius in Latinum uertit eloquium; unde quia plurima posuerunt, qui contra huius modi errores ante nos uel Graeco sermone uel Latino scripserunt, non in eo mihi placuit inmorari.

Ipsas physiologias cum considero, quibus docti et acuti homines has res humanas conantur uertere in res diuinas, nihil uideo nisi ad temporalia terrenaque opera naturamque corpoream uel etiamsi inuisibilem, tamen mutabilem potuisse reuocari; quod nullo modo est uerus Deus. Hoc autem si saltem religiositati congruis significationibus ageretur, esset quidem dolendum non his uerum Deum adnuntiari adque praedicari, tamen aliquo modo ferendum tam foeda et turpia non fieri nec iuberi; at nunc cum pro Deo uero, quo solo anima se inhabitante fit felix, nefas sit colere aut corpus aut animam, quanto magis nefarium est ista sic colere, ut nec

10 Aen. VIII, 319 sq.

2 fysiol. *C* 3 ei cultu *p* 5 uidimus *C* 7 nec, ec *m. 2 in ras., l* 9 historiacae *e* quod *om. b* 10 aethereo *v* olympho *d* 11 exſul, ſ *m. 2, l* 12 conseqantur *C;* consecuntur *e* 13 Euhemerus] humeris, *m. 2 in* homerus *corr., d* pangit *d* 18 euertere *e* 25 quod *e* 26 inhabitante, *in marg. m. 1* inuitante, *e* fit felix *C a d l p a k f;* sit fel. *b e q v*

salutem nec decus humanum corpus aut anima colentis obtineat! Quam ob rem si templo sacerdote sacrificio, quod uero Deo debetur, colatur aliquod elementum mundi uel creatus aliquis spiritus, etiamsi non inmundus et malus: non ideo malum est, quia illa mala sunt, quibus colitur, sed quia illa talia sunt, quibus ille solus colendus sit, cui talis cultus seruitusque debetur. Si autem stoliditate uel monstrositate simulacrorum, sacrificiis homicidiorum, coronatione uirilium pudendorum, mercede stuprorum, sectione membrorum, abscisione genitalium, consecratione mollium, festis inpurorum obscenorumque ludorum unum uerum Deum, id est omnis animae corporisque creatorem, colere se quisque contendat: non ideo peccat, quia non est colendus quem colit, sed quia colendum non ut colendus est colit. Qui uero et rebus talibus, id est turpibus et scelestis, et non Deum uerum, id est animae corporisque factorem, sed creaturam quamuis non uitiosam colit, siue illa sit anima siue corpus siue anima simul et corpus, bis peccat in Deum, quod et pro ipso colit, quod non est ipse, et talibus rebus colit, qualibus nec ipse colendus est nec non ipse. Sed hi quonam modo, id est quam turpiter nefarieque coluerint, in promtu est; quid autem uel quos coluerint, esset obscurum, nisi eorum testaretur historia ea ipsa, quae foeda et turpia confitentur, numinibus terribiliter exigentibus reddita; unde remotis constat ambagibus nefarios daemones adque inmundissimos spiritus hac omni ciuili theologia inuisendis stolidis imaginibus et per eas possidendis etiam stultis cordibus inuitatos.

2 sacerdote, *in marg.* sacerdotio, *e* 3 deo *sup. lin. b* 4 non mundus *l* 6 sunt talia *v* ille solus *C l p;* solus ille *a b d e q v Domb.* 7 stoliditate, *m. 1 ex* stodilitate *corr. C* monstruositate *e l* 8 uirgilium, g *punctis deletum, e* 14 non *sup. lin. l* non ut colendus *sup. lin. C* est *om. e* 16 nonuitiosã, *m. 2 in* numerosã *immutatum, l* 20 nec non] nonñ *l* quodam e^2 *l* 21 in *om.* e^1 promptũ e 23 confitetur *e l* nominibus l^1 24 et remotis *l* 25 hac, h *ut uidetur erasum, C;* hec e^1 26 inuisendis *Dübnero auctore Domb ;* in uisendis *v*

CAPUT XXVIII.

Quod doctrina Varronis de theologia in nulla sibi parte concordet.

Quid igitur ualet, quod uir doctissimus et acutissimus Varro uelut subtili disputatione hos omnes deos in caelum et in terram redigere ac referre conatur? Non potest; fluunt de manibus, resiliunt, labuntur et decidunt. Dicturus enim de feminis, hoc est deabus: 'Quoniam, inquit, ut primo libro dixi de locis, duo sunt principia deorum animaduersa de caelo et terra, a quo di partim dicuntur caelestes, partim terrestres: ut in superioribus initium fecimus a caelo, cum diximus de Iano, quem alii caelum, alii dixerunt esse mundum, sic de feminis scribendi facimus initium a Tellure.' Sentio quantam molestiam tale ac tantum patiatur ingenium. Ducitur enim quadam ratione uerisimili, caelum esse quod faciat, terram quae patiatur, et ideo illi masculinam uim tribuit, huic femininam, et non adtendit eum potius esse qui haec facit, qui utrumque fecit. Hinc etiam Samothracum nobilia mysteria in superiore libro sic interpretatur eaque se, quae nec suis nota sunt, scribendo expositurum eisque missurum quasi religiosissime pollicetur. Dicit enim se ibi multis indiciis collegisse in simulacris aliud significare caelum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat ideas; caelum Iouem, terram Iunonem, ideas Mineruam uult intellegi; caelum a quo fiat aliquid, terram de qua fiat, exemplum secundum quod fiat. Qua in re omitto dicere, quod Plato illas ideas tantam uim habere dicit, ut secundum eas non caelum aliquid fecerit, sed etiam caelum factum sit. Hoc dico, istum in hoc libro selectorum deorum rationem illam trium deorum, quibus quasi

5 ueluti *p* 6 in terram *C v;* in *om. rell.* et non potest C^2 *e* k^2 *f* 8 deabus *C b d e l p v;* de deabus *a q Domb.* ut *om. q* in primo *q v* libro, *in marg. m. uet.* uarronis, *C* 12 dixerunt alii *α* ee *sup. lin. a* 13 initium scribendi facimus *v* 15 uerisimile *l* 16 feminam l^1 17 qui/, a *eras.*, *C* 21 colligisse *C;* qđ legisse *d* 26 tantum e^1 29 rationem, *in margine* rationalē animā, *e*

cuncta conplexus est, perdidisse. Caelo enim tribuit masculos deos, feminas terrae; inter quas posuit Mineruam, quam supra ipsum caelum ante posuerat. Deinde masculus deus Neptunus in mari est, quod ad terram potius quam ad caelum pertinet. Dis pater postremo, qui Graece Πλούτων dicitur, etiam ipse masculus frater amborum terrenus deus esse perhibetur, superiorem terram tenens, in inferiore habens Proserpinam coniugem. Quo modo ergo deos ad caelum, deas ad terram referre conantur? Quid solidum quid constans, quid sobrium quid definitum habet haec disputatio? Illa est autem Tellus initium dearum, Mater scilicet Magna, aput quam mollium et abscisorum seseque secantium adque iactantium insana perstrepit turpitudo. Quid est ergo quod dicitur caput deorum Ianus, caput dearum Tellus? Nec ibi facit unum caput error, nec hic sanum furor. Quur haec frustra referre nituntur ad mundum? Quod etsi possent, pro Deo uero mundum nemo pius colit; et tamen eos nec hoc posse ueritas aperta conuincit. Referant haec potius ad homines mortuos et ad daemones pessimos, et nulla quaestio remanebit.

CAPUT XXVIIII.

Quod omnia, quae physiologi ad mundum partesque ipsius rettulerunt, ad unum uerum Deum referre debuerint.

Namque omnia, quae ab eis ex istorum deorum theologia uelut physicis rationibus referuntur ad mundum, quam sine ullo scrupulo sacrilegae opinionis Deo potius uero, qui fecit

1 est *m. 1 sup. lin. C* 5 diis *C*^{t} pluton *codd.* 7 inferiorem C^{1} *l;* inferior//ibus. em *eras., q* 8 quodo *C*^{mo} conantur *C a d e l p q v;* conatur *b* k^{1} *Domb.* 9 solum *l* 10 Illa autem est *v* 12 insana, *prius a m. 2 in ras., C* 13 turpitudo, *in marg. correctoris manu* al. multitudo, *l;* turpido *C*^{tu} 16 possint *e l* 17 ob hoc *c* 18 referant hoc *a* ad om*f d* 21 fysiologia ad *C* 23 debuerunt *p* 26 scripulo *e* opinionibus *l*

mundum, omnis animae et omnis corporis conditori, tribuantur, aduertamus hoc modo: Nos Deum colimus, non caelum et terram, quibus duabus partibus mundus hic constat; nec animam uel animas per uiuentia quaecumque diffusas, sed Deum, qui fecit caelum et terram et omnia, quae in eis sunt; qui fecit omnem animam, siue quocumque modo uiuentem et sensus ac rationis expertem, siue etiam sentientem, siue etiam intellegentem.

CAPUT XXX.

Qua pietate discernatur a creaturis Creator, ne pro uno tot di colantur, quot sunt opera unius auctoris.

Et ut iam incipiam illa unius et ueri Dei opera percurrere, propter quae isti sibi, dum quasi honeste conantur sacramenta turpissima et scelestissima interpretari, deos multos falsosque fecerunt: illum Deum colimus, qui naturis a se creatis et subsistendi et mouendi initia finesque constituit; qui rerum causas habet, nouit adque disponit; qui uim seminum condidit; qui rationalem animam, quod dicitur animus, quibus uoluit uiuentibus indidit; qui sermonis facultatem usumque donauit; qui munus futura dicendi quibus placuit spiritibus inpertiuit et per quos placet ipse futura praedicit et per quos placet malas ualetudines pellit; qui bellorum quoque ipsorum, cum sic emendandum et castigandum est genus humanum, exordiis progressibus finibusque moderatur; qui mundi huius ignem uehementissimum et uiolentissimum pro inmensae naturae temperamento et creauit et regit; qui uniuersarum aquarum creator et gubernator est; qui solem fecit corporalium clarissimum luminum eique uim congruam et motum dedit; qui ipsis etiam inferis

6 siue *m. 1 sup. lin. C* 7 et rat. *v* 10 Quae *C* 11 culantur quod *C* 13 Et ut iam ut *C;* Et iam ut *v* uiri C^1 15 et scelestissima *om.* d^1 scelentissima *C* 19 quod] quae *a* 22 ipse malas *l* 25 huius mundi *v* 26 et uiolentissimum *om.* $C^1 d$ p im messe *d*

dominationem suam potestatemque non subtrahit; qui semina et alimenta mortalium, siue arida siue liquida, naturis conpetentibus adtributa substituit; qui terram fundat adque fecundat; qui fructus eius animalibus hominibusque largitur; qui causas non solum principales, sed etiam subsequentes nouit adque ordinat; qui lunae statuit modum suum; qui uias caelestes adque terrestres locorum mutationibus praebet; qui humanis ingeniis, quae creauit, etiam scientias artium uariarum ad adiuuandam uitam naturamque concessit; qui coniunctionem maris et feminae ad adiutorium propagandae prolis instituit; qui hominum coetibus, quem focis et luminibus adhiberent, ad facillimos usus munus terreni ignis indulsit. Ista sunt certe, quae dis selectis per nescio quas physicas interpretationes uir acutissimus adque doctissimus Varro, siue quae aliunde accepit, siue quae ipse coniecit, distribuere laborauit. Haec autem facit adque agit unus uerus Deus, sed sicut Deus, id est ubique totus, nullis inclusus locis, nullis uinculis adligatus, in nullas partes sectilis, ex nulla parte mutabilis, inplens caelum et terram praesente potentia, non indigente natura. Sic itaque administrat omnia, quae creauit, ut etiam ipsa proprios exerere et agere motus sinat. Quamuis enim nihil esse possint sine ipso, non sunt quod ipse. Agit autem multa etiam per angelos; sed non nisi ex se ipso beatificat angelos. Ita quamuis propter aliquas causas hominibus angelos mittat, non tamen ex angelis homines, sed ex se ipso, sicut angelos, beatificat. Ab hoc uno et uero Deo uitam speramus aeternam.

1 subtrait *e* 6 qui ... suum *om. b* modum *codd. Domb.;* motum *v* 8 scientiam *b k² f* 11 coeptibus *e* quem] quae *C* fecis *d* 13 quas *m. 1 sup. lin. C* 17 inclusis e^1 18 sectiles C^1 21 exferere *C;* exerere *rell.;* exercere *v* 22 possit *q* α^m non sunt, *m. 2 superscripto* tamen, *C;* tamen non sunt *e* 24 quauis *C* 26 uro^e *C*

CAPUT XXXI.

Quibus proprie beneficiis Dei excepta generali largitate sectatores ueritatis utantur.

Habemus enim ab illo praeter huiusce modi beneficia, quae ex hac, de qua nonnulla diximus, administratione naturae bonis malisque largitur, magnum et bonorum proprium magnae dilectionis indicium. Quamquam enim, quod sumus, quod uiuimus, quod caelum terramque conspicimus, quod habemus mentem adque rationem, qua eum ipsum, qui haec omnia condidit, inquiramus, nequaquam ualeamus actioni sufficere gratiarum: tamen quod nos oneratos obrutosque peccatis et a contemplatione suae lucis auersos ac tenebrarum, id est iniquitatis, dilectione caecatos non omnino deseruit misitque nobis Verbum suum, qui est eius unicus filius, quo pro nobis adsumta carne nato adque passo, quanti Deus hominem penderet, nosceremus adque illo sacrificio singulari a peccatis omnibus mundaremur eiusque spiritu in cordibus nostris dilectione diffusa omnibus difficultatibus superatis in aeternam requiem et contemplationis eius ineffabilem dulcedinem ueniremus, quae corda, quot linguae ad agendas ei gratias satis esse contenderint?

CAPUT XXXII.

Quod sacramentum redemtionis Christi nullis retro temporibus defuerit semperque sit diuersis significationibus praedicatum.

Hoc mysterium uitae aeternae iam inde ab exordio generis humani per quaedam signa et sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per angelos praedicatum est. Deinde populus Hebraeus in unam quandam rem publicam, quae hoc sacramentum ageret, congregatus est, ubi per quosdam scientes,

2 propriae *C* 5 nonnulli *C* 10 actiones, e *m. 2 ex* i *corr.*, *e* 14 filius unicus *e* 15 adsumta (adsumpta). *C rell. v;* in ads. *Domb.* hominum C^1 20 quod C^1 21 conderent *C*

per quosdam nescientes id, quod ex aduentu Christi usque nunc et deinceps agitur, praenuntiaretur esse uenturum; sparsa etiam postea eadem gente per gentes propter testimonium scripturarum, quibus aeterna salus in Christo futura praedicta est. Omnes enim non solum prophetiae, quae in uerbis sunt, nec tantum praecepta uitae, quae mores pietatemque conformant adque illis litteris continentur, uerum etiam sacra, sacerdotia, tabernaculum siue templum, altaria, sacrificia, ceremoniae, dies festi et quidquid aliud ad eam seruitutem pertinet, quae Deo debetur et Graece proprie λατρεία dicitur, ea significata et praenuntiata sunt, quae propter aeternam uitam fidelium in Christo et inpleta credimus et inpleri cernimus et inplenda confidimus.

CAPUT XXXIII.

Quod per solam Christianam religionem manifestari potuerit fallacia spirituum malignorum de hominum errore gaudentium.

Per hanc ergo religionem unam et ueram potuit aperiri deos gentium esse inmundissimos daemones, sub defunctarum occasionibus animarum uel creaturarum specie mundanarum deos se putari cupientes et quasi diuinis honoribus eisdemque scelestis ac turpibus rebus superba inpuritate laetantes adque ad uerum Deum conuersionem humanis animis inuidentes. Ex quorum inmanissimo et inpiissimo dominatu homo liberatur, cum credit in eum, qui praebuit ad exsurgendum tantae humilitatis exemplum, quanta illi superbia ceciderunt. Hinc sunt non solum illi, de quibus multa iam diximus, et alii adque alii similes ceterarum gentium adque terrarum, sed

1 aduento C^1 5 profitiae C^1 6 confirmant C 7 sacerdotia C^1, sacerdotaa C^2 10 latria *codd.* significata et praenuntiata sunt *codd. praeter q;* significauerunt et praenuntiauerunt *q v* 20 occisionibus *e* uel creaturarum *m. 1 sup. lin. C* 23 conuersationem *e* α k^1 *f* animis, *corr. ex* hominis, *e* 24 et inpiissimo *m. 1 sup. lin. C* 25 ad surgendum *d* 27 iam *sup. lin. e*

etiam hi, de quibus nunc agimus, tamquam in senatum deorum selecti; sed plane selecti nobilitate criminum, non dignitate uirtutum. Quorum sacra Varro dum quasi ad naturales rationes referre conatur, quaerens honestare res turpes, quo modo his quadret et consonet non potest inuenire, quoniam non sunt ipsae illorum sacrorum causae, quas putat uel potius uult putari. Nam si non solum ipsae, uerum etiam quaelibet aliae huius generis essent, quamuis nihil ad Deum uerum uitamque aeternam, quae in religione quaerenda est, pertinerent, tamen qualicumque de rerum natura reddita ratione aliquantulum mitigarent offensionem, quam non intellecta in sacris aliqua uelut turpitudo aut absurditas fecerat; sicut in quibusdam theatrorum fabulis uel delubrorum mysteriis facere conatus est, ubi non theatra delubrorum similitudine absoluit, sed theatrorum potius similitudine delubra damnauit; tamen utcumque conatus est, ut sensum horribilibus rebus offensum uelut naturalium causarum ratio reddita deleniret.

CAPUT XXXIIII.

De libris Numae Pompilii, quos senatus, ne sacrorum causae, quales in eis habebantur, innotescerent, iussit incendi.

Sed contra inuenimus, sicut ipse uir doctissimus prodidit, de Numae Pompilii libris redditas sacrorum causas nullo modo potuisse tolerari nec dignas habitas, quae non solum lectae innotescerent religiosis, sed saltem scriptae reconderentur in tenebris. Iam enim dicam, quod in tertio huius operis libro me suo loco dicturum esse promiseram. Nam, sicut aput

26 c. 9

1 nunc *om.* α senatu *C* 2 selecti sed] selectis et *e* plenae *e* selicti *C;* selectis *e* 3 quasi ad] quasdā, dā *m. 2, e* 4 honestare, re *m. 2 sup. lin., e* 5 quadret et] qđ reddet *e* ///quoniam, quo *eras., C* 12 uel *e* 17 uelud *e* causarum] rerum *p* ratio reddita *C* a^1 *b d e l q* k^2; reddita ratio α k^1 *f' Domb.;* ratione reddita a^2 k^2 *v;* ratio *om. p* deleniret *C* l^1; deliniret *a b d e* l^2 *p q v* 23 causas sacrorum *C*

eundem Varronem legitur in libro de cultu deorum, 'Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius, ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae, in Urbem pertulit ad praetorem. At ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. Ubi cum primores quasdam causas legissent, quur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus adsensus est, eosque libros tamquam religiosi patres conscripti, praetor ut combureret, censuerunt'. Credat quisque quod putat; immo uero dicat, quod dicendum suggesserit uesana contentio, quilibet tantae inpietatis defensor egregius. Me admonere sufficiat sacrorum causas a rege Pompilio Romanorum sacrorum institutore conscriptas nec populo nec senatui nec saltem ipsis sacerdotibus innotescere debuisse ipsumque Numam Pompilium curiositate inlicita ad ea daemonum peruenisse secreta, quae ipse quidem scriberet, ut haberet unde legendo commoneretur; sed ea tamen, cum rex esset, qui minime quemquam metueret, nec docere aliquem nec delendo uel quoquo modo consumendo perdere auderet. Ita quod scire neminem uoluit, ne homines nefaria doceret, uiolare autem timuit, ne daemones iratos haberet, obruit, ubi tutum putauit, sepulcro suo propinquare aratrum posse non credens. Senatus autem cum religiones formidaret damnare maiorum et ideo Numae adsentiri cogeretur, illos tamen libros tam perniciosos esse iudicauit, ut nec obrui rursus iuberet, ne humana curiositas multo uehementius rem iam proditam quaereret, sed flammis aboleri nefanda monumenta, ut, quia iam necesse esse existimabant sacra illa facere, tolerabilius erraretur causis eorum ignoratis, quam cognitis ciuitas turbaretur.

3 sepulchum *C* 5 Ad *C*^{1} 7 legisset *C e l*^{1} 11 quodicendum *C* suggerit *l q* 13 a rege] agere *e* constitutore, *in marg.* instituere, *e* conscripta *C* 19 nec quoquo *l* 21 ꝓoluit timuit *e* 23 nec credens *e* legiones *e*^{1} 24 et ideo, *in marg.* et in deo, *c* assentire *e* 26 nec hum. *l* 28 iam *om.* *C*^{1} 29 erratur *e*^{1}

CAPUT XXXV.

De hydromantia, per quam Numa uisis quibusdam daemonum imaginibus ludificabatur.

Nam et ipse Numa, ad quem nullus Dei propheta, nullus sanctus angelus mittebatur, hydromantian facere conpulsus est, ut in aqua uideret imagines deorum uel potius ludificationes daemonum, a quibus audiret, quid in sacris constituere adque obseruare deberet. Quod genus diuinationis idem Varro a Persis dicit adlatum, quo et ipsum Numam et postea Pythagoram philosophum usum fuisse commemorat; ubi adhibito sanguine etiam inferos perhibet sciscitari et νεκυομαντείαν Graece dicit uocari, quae [siue hydromantia] siue necromantia dicatur, id ipsum est, ubi uidentur mortui diuinare. Quibus haec artibus fiant, ipsi uiderint. Nolo enim dicere has artes etiam ante nostri Saluatoris aduentum in ipsis ciuitatibus gentium legibus solere prohiberi et poena seuerissima uindicari. Nolo, inquam, hoc dicere; fortassis enim talia tunc licebant. His tamen artibus didicit sacra illa Pompilius, quorum sacrorum facta prodidit, causas obruit (ita timuit et ipse quod didicit), quarum causarum proditos libros senatus incendit. Quid mihi ergo Varro illorum sacrorum alias nescio quas causas uelut physicas interpretatur? quales si libri illi habuissent, non utique arsissent, aut et istos Varronis ad Caesarem pontificem scriptos adque editos patres conscripti similiter incendissent. Quod ergo aquam egesserit, id est exportauerit, Numa Pompilius, unde hydromantian faceret, ideo nympham

2 ydrom. *C, et sic l. 5. 26 C a d e l* 6 uiderent *e* 7 audierat *e* 9 qua *C;* quod *e* phytagoram *d e* 10 adibito *d l* 11 f/cifcitari, i *eras., C* νεκυομαντείαν *Domb.*[2]; necyomantian *b;* nequiomantian *d l p q;* necquiomantiam *α k;* ae/romantian, a *m. rec. in ras., post* e *erasum est* c, *ita ut* necrom. *m. 1 scriptum fuisse uideatur, C;* nichromantiã *a;* ni/cromantiam, e (?) *eraso, et sic l. 12 e;* νεκρομαντείαν *v* 12 siue hydromantia *om. C d e l p q α k f;* siue nichromantia uel ydromantia *a* nycromantia *b;* nichromantia *p q* 22 libri *om. C*[1] 26 ideo. *in marg.* in deo, *e*

Egeriam coniugem dicitur habuisse, quem ad modum in supradicto libro Varronis exponitur. Ita enim solent res gestae aspersione mendaciorum in fabulas uerti. In illa igitur hydromantia curiosissimus rex ille Romanus et sacra didicit, quae in libris suis pontifices haberent, et eorum causas, quas praeter se neminem scire uoluit. Itaque eas seorsum scriptas secum quodam modo mori fecit, quando ita subtrahendas hominum notitiae sepeliendasque curauit. Aut ergo daemonum illic tam sordidae et noxiae cupiditates erant conscriptae, ut ex his tota illa theologia ciuilis etiam aput tales homines execrabilis appareret, qui tam multa in ipsis sacris erubescenda susceperant; aut illi omnes nihil aliud quam homines mortui prodebantur, quos tam prolixa temporis uetustate fere omnes populi gentium deos inmortales esse crediderant, cum et talibus sacris idem illi daemones oblectarentur, qui se colendos pro ipsis mortuis, quos deos putari fecerant, quibusdam fallacium miraculorum adtestationibus subponebant. Sed occulta Dei ueri prouidentia factum est, ut et Pompilio amico suo illis conciliati artibus, quibus hydromantia fieri potuit, cuncta illa confiteri permitterentur, et tamen, ut moriturus incenderet ea potius quam obrueret, admonere non permitterentur; qui ne innotescerent nec aratro, quo sunt eruta, obsistere potuerunt, nec stilo Varronis, quo ea, quae de hac re gesta sunt, in nostram memoriam peruenerunt. Non enim possunt quod non sinuntur efficere; sinuntur autem alto Dei summi iustoque iudicio pro meritis eorum, quos ab eis uel adfligi tantum, uel etiam subici ac decipi iustum est. Quam uero perniciosae uel a cultu uerae diuinitatis alienae illae litterae iudicatae sint, hinc intellegi potest, quod eas maluit senatus incendere, quas Pompilius occultauit, quam timere quod timuit, qui hoc audere non potuit. Qui ergo uitam nec modo habere

4 ille rex *v* 10 his *C* 13 prolixa (p lexa l^1) *codd.*; prolixi *v* 14 popoli *C* credidert *e* 21 admoneri *e* promitt. e^1 23 necistilo *d* 27 subici, ci *m. 2 in ras.*, *e* 30 timere/, t *eras.*, *C* 31 hoc *codd. excepto C*, haec *C Domb.*

uult piam, talibus sacris quaerat aeternam; qui autem cum malignis daemonibus non uult habere societatem, non superstitionem, qua coluntur, noxiam pertimescat, sed ueram religionem, qua produntur et uincuntur, agnoscat.

LIBER VIII.

CAPUT I.

De quaestione naturalis theologiae cum philosophis excellentioris scientiae discutienda.

Nunc intentiore nobis opus est animo multo quam erat in superiorum solutione quaestionum et explicatione librorum. De theologia quippe, quam naturalem uocant, non cum quibuslibet hominibus (nón enim fabulosa est uel ciuilis, hoc est uel theatrica uel urbana; quarum altera iactitat deorum crimina, altera indicat deorum desideria criminosiora ac per hoc malignorum potius daemonum quam deorum), sed cum philosophis est habenda conlatio; quorum ipsum nomen si Latine interpretemur, amorem sapientiae profitetur. Porro si sapientia Deus est, per quem facta sunt omnia, sicut diuina auctoritas ueritasque monstrauit, uerus philosophus est amator Dei. Sed quia res ipsa, cuius hoc nomen est, non est in omnibus, qui hoc nomine gloriantur (neque enim continuo uerae sapientiae sunt amatores quicumque appellantur philosophi): profecto ex omnibus, quorum sententias ex litteris nosse potuimus, eligendi sunt cum quibus non indigne quaestio ista

18 Sap. 7, 24 sqq.

1 mortem quaerat *Domb.*[1] 2 p̄stitionem, *in marg.* superstitionē, *e in fine libri VII* c̄tulj *C* AVRILI AVG̅. CONTRA | PAGANOS. DE CIVITATE DI̅ | EXPL̅. LIB. VII | INC̅. LIB. VIII *C* 9 est animo opus *s* 13 uel urbana *sup. lin. C* 17 profitemur *e*[1] porro si sapientiam profitemur et si *s* 23 sen//tentiae *C* ex litteris *p s;* e litteris *v;* litteris *C rell. Domb.* 24 elegendi *C*

tractetur. Neque enim hoc opere omnes omnium philosophorum uanas opiniones refutare suscepi, sed eas tantum, quae ad theologian pertinent, quo uerbo Graeco significari intellegimus de diuinitate rationem siue sermonem; nec eas omnium, sed eorum tantum, qui cum et esse diuinitatem et humana curare consentiant, non tamen sufficere unius incommutabilis Dei cultum ad uitam adipiscendam etiam post mortem beatam, sed multos ab illo sane uno conditos adque institutos ob eam causam colendos putant. Hi iam etiam Varronis opinionem ueritatis propinquitate transcendunt; si quidem ille totam theologian naturalem usque ad mundum istum uel animam eius extendere potuit, isti uero supra omnem animae naturam confitentur Deum, qui non solum mundum istum uisibilem, qui saepe caeli et terrae nomine nuncupatur, sed etiam omnem omnino animam fecerit, et qui rationalem et intellectualem, cuius generis anima humana est, participatione sui luminis incommutabilis et incorporei beatam facit. Hos philosophos Platonicos appellatos a Platone doctore uocabulo deriuato nullus, qui haec uel tenuiter audiuit, ignorat. De hoc igitur Platone, quae necessaria praesenti quaestioni existimo, breuiter adtingam, prius illos commemorans, qui eum in eodem genere litterarum tempore praecesserunt.

CAPUT II.

De duobus philosophorum generibus, id est Italico et Ionico, eorumque auctoribus.

Quantum enim adtinet ad litteras Graecas, quae lingua inter ceteras gentium clarior habetur, duo philosophorum genera traduntur: unum Italicum ex ea parte Italiae, quae quondam magna Graecia nuncupata est; alterum Ionicum in eis terris,

1 omnes *om.* C^1 3 quod *e* 5 *prius* et *om.* e^1 esset *e* 9 hi *om.* *s* opinione *C* 10 transcedunt C^1 11 eius animam *v* 12 animae *om.* *l* 14 omnem etiam *v* 16 animā humanā ēst s^2 17 fecerit *e* 19 hoc *e* 20 estimo *s* braebiter *C* 22 tempore] genere *l*

ubi et nunc Graecia nominatur. Italicum genus auctorem habuit Pythagoram Samium, a quo etiam ferunt ipsum philosophiae nomen exortum. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui modo quodam laudabilis uitae aliis praestare uidebantur, iste interrogatus, quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est studiosum uel amatorem sapientiae: quoniam sapientem profiteri adrogantissimum uidebatur. Ionici uero generis princeps fuit Thales Milesius, unus illorum septem, qui sunt appellati sapientes. Sed illi sex uitae genere distinguebantur et quibusdam praeceptis ad bene uiuendum adcommodatis; iste autem Thales, ut successores etiam propagaret, rerum naturam scrutatus suasque disputationes litteris mandans eminuit maximeque admirabilis extitit, quod astrologiae numeris conprehensis defectus solis et lunae etiam praedicere potuit. Aquam tamen putauit rerum esse principium et hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum et quae in eo gignuntur existere. Nihil autem huic operi, quod mundo considerato tam mirabile aspicimus, ex diuina mente praeposuit. Huic successit Anaximander, eius auditor, mutauitque de rerum natura opinionem. Non enim ex una re, sicut Thales ex umore, sed ex suis propriis principiis quasque res nasci putauit. Quae rerum principia singularum esse credidit infinita. et innumerabiles mundos gignere et quaecumque in eis oriuntur; eosque mundos modo dissolui, modo iterum gigni existimauit, quanta quisque aetate sua manere potuerit; nec ipse aliquid diuinae menti in his rerum operibus tribuens. Iste Anaximenen discipulum et successorem reliquit, qui omnes rerum causas aeri infinito dedit, nec deos negauit aut tacuit:

1 et ubi *q* nominatur] nuncupatur *l q* 9 sunt sap. appell. *a;* appell. sunt sap. *v* ex uita/, e *eras.*, *s* 11 successores *l* 13 eminuit, *in marg.* emicuit. *e* 15 quam *C* 17 gignantur *e* 18 admirabile *v* 19 huic autem *s* aditor *d;* adiutor, *in marg.* auditor. *e* 24 *prius* modo *sup. lin.*, *e* estimauit *e* 27 anaximender *e* 28 infinito aeri *v* at *C*

non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit. Anaxagoras uero eius auditor harum rerum omnium, quas uidemus, effectorem diuinum animum sensit et dixit ex infinita materia, quae constaret *dis*similibus inter se particulis rerum omnium, *similibus* quibus*que* suis et propriis singula fieri, sed animo faciente diuino. Diogenes quoque Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent; sed eum esse compotem diuinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset. Anaxagorae successit auditor eius Archelaus. Etiam ipse de particulis inter se similibus, quibus singula quaeque fierent, ita putauit constare omnia, ut inesse etiam mentem diceret, quae corpora aeterna, id est illas particulas, coniungendo et dissipando ageret omnia. Socrates huius discipulus fuisse perhibetur, magister Platonis, propter quem breuiter cuncta ista recolui.

CAPUT III.

De Socratica disciplina.

Socrates ergo primus uniuersam philosophiam ad corrigendos componendosque mores flexisse memoratur, cum ante illum omnes magis physicis, id est naturalibus, rebus perscrutandis operam maximam inpenderent. Non mihi autem uidetur posse ad liquidum colligi, utrum Socrates, ut hoc faceret, taedio rerum obscurarum et incertarum ad aliquid

1 ortos] factos *s* 4 *dis*similibus e. q. s. *scripsi, ut res ipsa postulat, cum infinita materia certe* ex *dissimilibus inter se particulis rerum omnium constet, singulae uero res similibus quibusque suis et propriis fiant.* dissimilibus *habent editt. uett. (Venet. 1470, Basil. 1490, Norimb. 1520, Basil. Erasm. 1529),* similibus *codd. v Domb.* 5 ***similibus*** *suppleui respiciens uerba infra sequentia l. 10 sq.* quibus*que* suis *teste Dübnero cod. Cygirannensis;* quaeque suis *p s;* quibus suis *rell. v Domb.* genera pro modulis et speciebus propriis *v* 7 auditor, *in marg.* adiutor *et sic l. 9, e* 8 eum *om. e* 9 po///sset. tui *eras., C* 11 omnia constare put. *v* 21 inpenderint $C^2 e l^1$ 23 obscuratarum, ar *ex* ur *corr., l* ad liquidum apertum et certum ad repperiendum *s*

apertum et certum reperiendum animum intenderit, quod esset beatae uitae necessarium, propter quam unam omnium philosophorum inuigilasse ac laborasse uidetur industria, an uero, sicut de illo quidam beneuolentius suspicantur, nolebat inmundos terrenis cupiditatibus animos se extendere in diuina conari. Quando quidem ab eis causas rerum uidebat inquiri, quas primas adque summas non nisi in unius ac summi Dei uoluntate esse credebat; unde non eas putabat nisi mundata mente posse conprehendi; et ideo purgandae bonis moribus uitae censebat instandum, ut deprimentibus libidinibus exoneratus animus naturali uigore in aeterna se adtolleret naturamque incorporei et incommutabilis luminis, ubi causae omnium factarum naturarum stabiliter uiuunt, intellegentiae puritate conspiceret. Constat eum tamen inperitorum stultitiam scire se aliquid opinantium etiam in ipsis moralibus quaestionibus, quo totum animum intendisse uidebatur, uel confessa ignorantia sua uel dissimulata scientia lepore mirabili disserendi et acutissima urbanitate agitasse adque uersasse. Unde et concitatis inimicitiis calumniosa criminatione damnatus morte multatus est. Sed eum postea illa ipsa, quae publice damnauerat, Atheniensium ciuitas publice luxit, in duos accusatores eius usque adeo populi indignatione conuersa, ut unus eorum obpressus ui multitudinis interiret, exilio autem uoluntario adque perpetuo poenam similem alter euaderet. Tam praeclara igitur uitae mortisque fama Socrates reliquit plurimos suae philosophiae sectatores, quorum certatim studium fuit in quaestionum

1 apertum, *in marg.* appbatū, *e* intenderit *p v;* intenderet *C q;* intendit *rell. Domb.* 4 suspicantur *codd. praeter C;* suspicatur *C Domb.* in mundo *s;* in inmundos *e* 5 extendere et *s* extendere conarq; nō qdē ab eis, *in marg.* in dina (*sic*), *e* 8 non nisi *s* munda *e* 9 purgandaę, *superscripto* ł m, *s* 10 instando C^1 prementibus *s* exhoneratus *l s* 11 [aetern]a, [ ] *m. 1 in ras. C* 13 uibunt *s* 16 uidebat e^1 20 qu.ē e^2 publice d. Ath. ciuitas *om.* C^1 21 luxit duos e^2; luxin duos e^1 24 praeclarę *e* 26 sectores e^1

moralium disceptatione uersari, ubi agitur de summo bono, quo fieri homo beatus potest. Quod in Socratis disputationibus, dum omnia mouet adserit destruit, quoniam non euidenter apparuit, quod cuique placuit inde sumserunt et ubi cuique uisum est constituerunt finem boni. Finis autem boni appellatur, quo quisque cum peruenerit beatus est. Sic autem diuersas inter se Socratici de isto fine sententias habuerunt, ut (quod uix credibile est unius magistri potuisse facere sectatores) quidam summum bonum esse dicerent uoluptatem, sicut Aristippus; quidam uirtutem, sicut Antisthenes. Sic alii adque alii aliud adque aliud opinati sunt, quos commemorare longum est.

CAPUT IIII.

De praecipuo inter Socratis discipulos Platone, qui omnem philosophiam triplici partitione distinxit.

Sed inter discipulos Socratis, non quidem inmerito, excellentissima gloria claruit, qua omnino ceteros obscuraret, Plato. Qui cum esset Atheniensis honesto aput suos loco natus et ingenio mirabili longe suos condiscipulos anteiret, parum tamen putans perficiendae philosophiae sufficere se ipsum ac Socraticam disciplinam, quam longe ac late potuit peregrinatus est, quaquauersum eum alicuius nobilitatae scientiae percipiendae fama rapiebat. Itaque et in Aegypto didicit quaecumque magna illic habebantur adque docebantur, et inde in eas Italiae partes ueniens, ubi Pythagoreorum fama cele-

2 non potest *e* socraticis *s* 3 moueȧt *b* adserit] '*malim* atterit' *Domb.* distruit *l* 9 diceret *e* uoluntatem *s* 11 si e^1 aliud adque aliud *om. s* ut opinati *s* 14 inter discip. socr. *p* platonem *C* 16 diſſtinxit *C* 18 qua $C b^2 l p s$; quia $a b^1 \alpha$; qui $e k f v$; quae *Domb. parum recta Dübneri de codicibus Paris. adnotatione deceptus* 20 longe suos] longeuos *p* 21 ipso *C* ac] ad *e* 22 ac late *C*; lateque *a b d e l p q s a k f v* 23 nobilitatae *Domb.*; nobilitatem *C*; nobilitate *rell. v* 25 illic magna *p v* adque docebantur *om.* C^1 26 celebratur $C d l p^1 q$

brabatur, quidquid Italicae philosophiae tunc florebat, auditis eminentioribus in ea doctoribus facillime conprehendit. Et quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem faciens fere in omnibus sermonibus suis etiam illa, quae uel ab aliis didicerat, uel ipse quanta potuerat intellegentia uiderat, cum illius lepore et moralibus disputationibus temperauit. Itaque cum studium sapientiae in actione et contemplatione uersetur, unde una pars eius actiua, altera contemplatiua dici potest (quarum actiua ad agendam uitam, id est ad mores instituendos pertinet, contemplatiua autem ad conspiciendas naturae causas et sincerissimam ueritatem): Socrates in actiua excelluisse memoratur; Pythagoras uero magis contemplatiuae, quibus potuit intellegentiae uiribus, institisse. Proinde Plato utrumque iungendo philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit: unam moralem, quae maxime in actione uersatur; alteram naturalem, quae contemplationi deputata est; tertiam rationalem, qua uerum disterminatur a falso. Quae licet utrique, id est actioni et contemplationi, sit necessaria, maxime tamen contemplatio perspectionem sibi uindicat ueritatis. Ideo haec tripertitio non est contraria illi distinctioni, qua intellegitur omne studium sapientiae in actione et contemplatione consistere. Quid autem in his uel de his singulis partibus Plato senserit, id est, ubi finem omnium actionum, ubi causam omnium naturarum, ubi lumen omnium rationum esse cognouerit uel crediderit, disserendo explicare et longum esse arbitror et temere adfirmandum esse non arbitror. Cum enim magistri sui Socratis, quem facit in suis uoluminibus disputantem, notissimum morem dissimulandae scientiae uel opinionis suae

1 auditis *om. s* 4 faciens *post* sermonibus suis *habet q v* suis *om. a*^{1} 5 *prius* uel *sup. lin. l* 10 insti///tuendos, tue *in fine uersus eras., C* 12 magis cont. q. potuit magis *l* 15 mortalem e^2 16 contemplatione C^1 18 est et *s* 19 necessa e^1 20 ueritas e^1 haec] et *e* tripartitio *v* 22 et *om. e* 23 partibus singulis *l* partibus *om. C* 24 causas *s* 27 enim] autem *l*

seruare adfectat, quia et illi iste mos placuit, factum est ut etiam ipsius Platonis de rebus magnis sententiae non facile perspici possint. Ex his tamen, quae aput eum leguntur, siue quae dixit, siue quae ab aliis dicta esse narrauit adque conscripsit, quae sibi placita uiderentur, quaedam commemorari et operi huic inseri oportet a nobis, uel ubi suffragatur religioni uerae, quam fides nostra suscipit ac defendit, uel ubi ei uidetur esse contrarius, quantum ad istam de uno Deo et pluribus pertinet quaestionem, propter uitam, quae post mortem futura est, ueraciter beatam. Fortassis enim qui Platonem ceteris philosophis gentium longe recteque praelatum acutius adque ueracius. intellexisse ac secuti esse fama celebriore laudantur, aliquid tale de Deo sentiunt, ut in illo inueniatur et causa subsistendi et ratio intellegendi et ordo uiuendi; quorum trium unum ad naturalem, alterum ad rationalem, tertium ad moralem partem intellegitur pertinere. Si enim homo ita creatus est, ut per id, quod in eo praecellit, adtingat illud, quod cuncta praecellit, id est unum uerum optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit: ipse quaeratur, ubi nobis seria sunt omnia; ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia.

1 iste *scripsi;* ipse *codd.* 3 Ex his tamen *om. s* 4 ab illis *l* esse *om. l* 6 huic operi *v* ueluti *s* 7 suscipit *C a b d e l*^{2} *p q s v;* suscepit *l*^{1} *Domb.* uel *sup. lin. l* 9 et *sup. lin. l* quaest. *om. s* 10 est *m. 1 in ras. C* 12 intellegisse *C* atque *v* 13 inueniatur *C* 14 et ordo uiuendi *om. d* 19 subsistet *C*^{1} 21 seria *scripsi. opponuntur enim haec eis quae supra de Platone dicta sunt utpote Socratis notissimum morem dissimulandae scientiae uel opinionis suae seruare adfectante.* serta *l*^{1} *s* α^1*;* sita *p;* certa *C*^{1} a^1 *l*^{2}*;* diserta *C*^{2} *Domb.;* disserta e *in marg., k*^{2} *f;* seruata *d* α^2*;* secura a^2, *in ras. b, e q k*^{1} *v* ipse cernatur .... omnia *om.* a^1 22 recte *C*^{1}

CAPUT V.

Quod de theologia cum Platonicis potissimum disceptandum sit, quorum opinioni omnium philosophorum postponenda sint dogmata.

Si ergo Plato Dei huius imitatorem cognitorem amatorem dixit esse sapientem, cuius participatione sit beatus, quid opus est excutere ceteros? Nulli nobis quam isti propius accesserunt. Cedat eis igitur non solum theologia illa fabulosa deorum criminibus oblectans animos inpiorum, nec solum etiam illa ciuilis, ubi inpuri daemones terrestribus gaudiis deditos populos deorum nomine seducentes humanos errores tamquam suos diuinos honores habere uoluerunt, ad spectandos suorum criminum ludos cultores suos tamquam ad suum cultum studiis inmundissimis excitantes et sibi delectabiliores ludos de ipsis spectatoribus exhibentes (ubi si qua uelut honesta geruntur in templis, coniuncta sibi theatrorum obscenitate turpantur, et quaecumque turpia geruntur in theatris, comparata sibi templorum foeditate laudantur), et ea, quae Varro ex his sacris quasi ad caelum et terram rerumque mortalium semina et actus interpretatus est (quia nec ipsa illis ritibus significantur, quae ipse insinuare conatur, et ideo ueritas conantem non sequitur; et si ipsa essent, tamen animae rationali ea, quae infra illam naturali ordine constituta sunt, pro deo suo colenda non essent, nec sibi debuit praeferre tamquam deos eas res, quibus ipsam praetulit uerus Deus), et ea, quae Numa Pompilius re uera ad sacra eius modi pertinentia secum sepeliendo curauit abscondi et aratro eruta senatus iussit incendi. (In eo genere sunt etiam illa, ut aliquid de Numa mitius suspicemur, quae Alexander Macedo scribit ad matrem sibi a

5 conditorem *s* 7 propius *om. e* 11 diuinos suos *s* 12 spectandosꝝm *C* 15 expect. *α f* exib. *e l* 18 ex his, *in marg.* ex suis, *e* 20 illi fitib' C^1; illis tribus *s* 21 ipse *om. s* cona/tur, n *eras.*, *e* 22 si *sup. lin. l* nꝙn essent *l* 23 naturali *Cv;* naturae *Domb.* ordinem b^1 *q* 24 praef. deb. *r* 28 etiam] et *s* 29 sibi, bi *m. 2 sup. lin.*, *e* a *om. e*

magno antistite sacrorum Aegyptiorum quodam Leone patefacta, ubi non Picus et Faunus et Aeneas et Romulus uel etiam Hercules et Aesculapius et Liber Semela natus et Tyndaridae fratres et si quos alios ex mortalibus pro dis habent, sed ipsi etiam maiorum gentium di, quos Cicero in Tusculanis tacitis nominibus uidetur adtingere, Iuppiter, Iuno, Saturnus, Vulcanus, Vesta et alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes siue elementa transferre, homines fuisse produntur. Timens enim et ille quasi reuelata mysteria petens admonet Alexandrum, ut, cum ea matri conscripta insinuauerit, flammis iubeat concremari.) Non solum ergo ista, quae duae theologiae, fabulosa continet et ciuilis, Platonicis philosophis cedant, qui uerum Deum et rerum auctorem et ueritatis inlustratorem et beatitudinis largitorem esse dixerunt; sed alii quoque philosophi, qui corporalia naturae principia corpori deditis mentibus opinati sunt, cedant his tantis et tanti Dei cognitoribus uiris, ut Thales in umore, Anaximenes in aere, Stoici in igne, Epicurus in atomis, hoc est minutissimis corpusculis, quae nec diuidi nec sentiri queunt, et quicumque alii, quorum enumeratione inmorari non est necesse, siue simplicia siue coniuncta corpora, siue uita carentia siue uiuentia, sed tamen corpora, causam principiumque rerum esse dixerunt. Nam quidam eorum a rebus non uiuis res uiuas fieri posse crediderunt, sicut Epicurei; quidam uero a uiuente quidem et uiuentia et non uiuentia, sed tamen a corpore corpora. Nam Stoici ignem,

5 I, 13

1 magna *e* patefactam *s* 2 non solum *s* 3 semela *C b l;* semele *e* p^2 *q* α^2 *k f v;* semel p^1 semel aenatus *d;* semel pnatus *s* 4 alios *sup. lin. C* 5 malorum *s* 7 modi s^1 8 siue] uł *m. 2 in. ras. e* 9 admonet] ammonem et *s* 11 iubea *C* ista *om. e* 12 credant *s* 13 autorem e^1 ueritati e^1 14 sedalium, t *m. 1, C* 16 his *om. s* ueris l^2 17 anaxim/en/es, *ut uidetur ex* amaximaenaes *corr., C* ere *C* 18 qui *l* 19 sentiri (secari?), ca *m. 2, e* numerat. *q;* enumerationi *d v* 23 eorum *om. e* ex rebus, ex *m. 2 in ras., e* 24 a *sup. lin. l* a/ uiuente/, d *et* m *eras., C*

id est corpus unum ex his quattuor elementis, quibus uisibilis mundus hic constat, et uiuentem et sapientem et ipsius mundi fabricatorem adque omnium, quae in eo sunt, eumque omnino ignem deum esse putauerunt. Hi et ceteri similes eorum id solum cogitare potuerunt, quod cum eis corda eorum obstricta carnis sensibus fabulata sunt. In se quippe habebant quod non uidebant, et aput se imaginabantur quod foris uiderant, etiam quando non uidebant, sed tantummodo cogitabant. Hoc autem in conspectu talis cogitationis iam non est corpus, sed similitudo corporis; illud autem, unde uidetur in animo haec similitudo corporis, nec corpus est nec similitudo corporis; et unde uidetur adque utrum pulchra an deformis sit iudicatur, profecto est melius quam ipsa quae iudicatur. Haec mens hominis et rationalis animae natura est, quae utique corpus non est, si iam illa corporis similitudo, cum in animo cogitantis aspicitur adque iudicatur, nec ipsa corpus est. Non est ergo nec terra nec aqua, nec aer nec ignis, quibus quattuor corporibus, quae dicuntur quattuor elementa, mundum corporeum uidemus esse conpactum. Porro si noster animus corpus non est, quo modo Deus creator animi corpus est? Cedant ergo et isti, ut dictum est, Platonicis; cedant et illi, quos quidem puduit dicere Deum corpus esse, uerum tamen eiusdem naturae, cuius ille est, animos nostros esse putauerunt; ita non eos mouit tanta mutabilitas animae, quam Dei naturae tribuere nefas est. Sed dicunt: Corpore mutatur animae natura, nam per se ipsa incommutabilis est. Poterant isti dicere: corpore aliquo uulneratur caro, nam per se ipsa inuulnerabilis est. Prorsus quod mutari non potest, nulla re potest, ac per hoc quod corpore mutari potest, aliqua re potest et ideo incommutabile recte dici non potest.

6 tabulata *s* 8 tantummodum C^1 10 illud *usque ad* corporis *l. 11 om. s* 12 adque *om. s* 14 et ipsa *s* 16 cogitatis e^1 18 corp. q. d. quattuor *repetita et lineolis deleta, e* 20 animo b^1 est *om.* $q\,a^1$ 21 et isti *om. s* quos quidem] quibus *s* 25 corpus anime mutatur *e* natura *sup. lin. C* 26 ipsa *C d l a k f;* ipsam *a b e p q s v* 27 caro nam] coronā *d* ipsam *e s v* 28 est *sup. lin. C* per *om.* l^1

CAPUT VI.

De Platonicorum sensu in ea parte philosophiae, quae physica nominatur.

Viderunt ergo isti philosophi, quos ceteris non inmerito fama adque gloria praelatos uidemus, nullum corpus esse Deum, et ideo cuncta corpora transcenderunt quaerentes Deum. Viderunt, quidquid mutabile est, non esse summum Deum, et ideo animam omnem mutabilesque omnes spiritus transcenderunt quaerentes summum Deum. Deinde uiderunt omnem speciem in re quacumque mutabili, qua est, quidquid illud est, quoquo modo et qualiscumque natura est, non esse posse nisi ab illo, qui uere est, quia incommutabiliter est. Ac per hoc siue uniuersi mundi corpus figuras qualitates ordinatumque motum et elementa disposita a caelo usque ad terram et quaecumque corpora in eis sunt, siue omnem uitam, uel quae nutrit et continet, qualis est in arboribus, uel quae et hoc habet et sentit, qualis est in pecoribus, uel quae et haec habet et intellegit, qualis est in hominibus, uel quae nutritorio subsidio non indiget, sed tantum continet sentit intellegit, qualis est in angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est; quia non aliud illi est esse, aliud uiuere, quasi possit esse non uiuens; nec aliud illi est uiuere, aliud intellegere, quasi possit uiuere non intellegens; nec aliud illi est intellegere, aliud beatum esse, quasi possit intellegere non beatus; sed quod illi est uiuere, intellegere, beatum esse, hoc est illi esse. Propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia ista fecisse, et ipsum a nullo fieri potuisse. Considerauerunt enim, quidquid est, uel corpus esse uel uitam, meliusque aliquid uitam esse quam corpus, speciem-

3 nominantur *C* 6 dominum—dominum *s* et *usque ad* Deum *l. 9 om. e* 8 mutabilisq; C^1 transcederunt C^1 16 et qualis *e* 17 hoc *e* 20 est *sup. lin. C* esse *om. s* 23 intellegens *C* 24 uiuere *superscripto* intellegere, *s* non beatus C^1 *a d l p q α* k^1; aliud non beatus *b;* non beatus esse C^2 *e* k^2 *f;* et non beatus esse *v* 25 illi est *C;* est illi *rell. v* 27 et *ante* omnia *sup. lin.*

que corporis esse sensibilem, intellegibilem uitae. Proinde intellegibilem speciem sensibili praetulerunt. Sensibilia dicimus, quae uisu tactuque corporis sentiri queunt; intellegibilia, quae conspectu mentis intellegi. Nulla est enim pulchritudo corporalis siue in statu corporis, sicut est figura, siue in motu, sicut est cantilena, de qua non animus iudicet. Quod profecto non posset, nisi melior in illo esset haec species, sine tumore molis, sine strepitu uocis, sine spatio uel loci uel temporis. Sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de specie sensibili iudicaret; melius ingeniosior quam tardior, melius peritior quam inperitior, melius exercitatior quam minus exercitatus, et idem ipse unus, cum proficit, melius utique postea quam prius. Quod autem recipit magis et minus, sine dubitatione mutabile est. Unde ingeniosi et docti et in his exercitati homines facile collegerunt non esse in eis rebus primam speciem, ubi mutabilis esse conuincitur. Cum igitur in eorum conspectu et corpus et animus magis minusque speciosa essent, si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent: uiderunt esse aliquid ubi prima esset incommutabilis et ideo nec conparabilis; adque ibi esse rerum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset et ex quo facta cuncta essent. Ita quod notum est Dei, manifestauit eis ipse, cum ab eis inuisibilia eius per ea, quae facta sunt, intellecta conspecta sunt: sempiterna quoque uirtus eius et diuinitas; a quo etiam uisibilia et temporalia cuncta creata sunt. Haec de illa parte, quam physicam, id est naturalem, nuncupant, dicta sint.

25 Rom. 1, 19 sq.

4 intellegi *C a b d l p s α k*^{1}; intellegi possunt *e q k*^{2} *r v* 7 in *erasum l* 12 profecit *l* 13 recepit *l*^{1} maius *e l p q s* et] aut *e* 14 in *sup. lin. l* 17 maius *l;* maius, *in marg.* magis, *e* minus, *omisso* que, *e*^{1} 18 si autem *codd.;* et si *v* 19 esset et *s* 20 corparalis (*sic*) *e* 22 quo *C*^{1} ipse manif. eis *v* 25 inuisibilia *C* 26 Haec *init. c. VII C*

CAPUT VII.

Quanto excellentiores ceteris in logica, id est rationali philosophia, Platonici sint habendi.

Quod autem adtinet ad doctrinam, ubi uersatur pars altera, quae ab eis logica, id est rationalis, uocatur: absit ut his conparandi uideantur qui posuerunt iudicium ueritatis in sensibus corporis eorumque infidis et fallacibus regulis omnia, quae discuntur, metienda esse censuerunt, ut Epicurei et quicumque alii tales, ut etiam ipsi Stoici, qui cum uehementer amauerint sollertiam disputandi, quam dialecticam nominant, a corporis sensibus eam ducendam putarunt, hinc adseuerantes animum concipere notiones, quas appellant ἐννοίας, earum rerum scilicet quas definiendo explicant; hinc propagari adque conecti totam discendi docendique rationem. Ubi ego multum mirari soleo, cum pulchros dicant non esse nisi sapientes, quibus sensibus corporis istam pulchritudinem uiderint, qualibus oculis carnis formam sapientiae decusque conspexerint. Hi uero, quos merito ceteris anteponimus, discreuerunt ea, quae mente conspiciuntur, ab his, quae sensibus adtinguntur, nec sensibus adimentes quod possunt, nec eis dantes ultra quam possunt. Lumen autem mentium esse dixerunt ad discenda omnia eundem ipsum Deum, a quo facta sunt omnia.

CAPUT VIII.

Quod etiam in morali philosophia Platonici obtineant principatum.

Reliqua est pars moralis, quam Graeco uocabulo dicunt ethicam, ubi quaeritur de summo bono, quo referentes omnia quae agimus, et quod non propter aliud, sed propter se ipsum

4 altera pars uersatur *v* 8 epicu/rei, e *eras.*, *C* 11 putauerunt *l* ēe uerantes *e* 12 ennoeas *codd. praeter p;* ydeas, *in marg.* al. ennoeas, *p* 13 scilicet rerum *l* 14 ergo *e* 15 n̄ dicant *e* 19 eis *b;* iis *v* 20 adhimentes *l* 27 ethicam *C a b d*^{2} *e l p q s α k* ^{r}; et hi quē *d*^{1}; ἠθικὴν *v*

adpetentes idque adipiscentes nihil, quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cetera uolumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. Hoc ergo beatificum bonum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque homini esse dixerunt. Videbant quippe ipsum hominem constare ex animo et corpore et ideo ab alterutro istorum duorum aut ab utroque bene sibi esse posse credebant, finali quodam bono, quo beati essent, quo cuncta quae agebant referrent adque id quo referendum esset non ultra quaererent. Unde illi, qui dicuntur addidisse tertium genus bonorum, quod appellatur extrinsecus, sicuti est honor gloria pecunia et si quid huius modi, non sic addiderunt, ut finale esset, id est propter se ipsum adpetendum, sed propter aliud; bonumque esse hoc genus bonis, malum autem malis. Ita bonum hominis qui uel ab animo uel a corpore uel ab utroque expetiuerunt, nihil aliud quam ab homine expetendum esse putauerunt; sed qui id adpetiuerunt a corpore, a parte hominis deteriore; qui uero ab animo, a parte meliore; qui autem ab utroque, a toto homine. Siue ergo a parte qualibet siue a toto, non nisi ab homine. Nec istae differentiae, quoniam tres sunt, ideo tres, sed multas dissensiones philosophorum sectasque fecerunt, quia et de bono corporis et de bono animi et de bono utriusque diuersi diuersa opinati sunt. Cedant igitur omnes illis philosophis, qui non dixerunt beatum esse hominem fruentem corpore uel fruentem animo, sed fruentem Deo; non sicut corpore uel se ipso animus aut sicut amico amicus, sed sicut luce oculus, si aliquid ab his ad illa similitudinis ad-

4 donum *p s* 5 homini C^1 *a b d l p q s α* k^1; homini C^2; in homine *e* k^2 *f v* esse, *m. 2 sup. lin., l* 6 isto//rum, ru *eras., C* 7 duorum *C a b d e l p s α k;* duũm *q v* crediderunt *l* 8 bono *om. s* 9 quod *C* 11 sicut *s* 13 bonum quod esset hoc genus bonũ bonis *e* 17 Si quid l^1; Se quid l^2 19 siue a toto homine *e* 21 disscens. *e* 24 omnes *C a;* homines b^1 *e p s α;* hi homines b^2; hi omnes *d l q k f v* illis] hiis *q* 26 sicut ..... sed *m. 1 in marg. super: C* fruitur animus *a* 27 ad illa similitudinis e^1; ad illã similitudinẽ e^2

ferendum est, quod quale sit, si Deus ipse adiuuerit, alio loco, quantum per nos fieri poterit, apparebit. Nunc satis sit commemorare Platonem determinasse finem boni esse secundum uirtutem uiuere et ei soli euenire posse, qui notitiam Dei habeat et imitationem nec esse aliam ob causam beatum; ideoque non dubitat hoc esse philosophari, amare Deum, cuius natura sit incorporalis. Unde utique colligitur tunc fore beatum studiosum sapientiae (id enim est philosophus), cum frui Deo coeperit. Quamuis enim non continuo beatus sit, qui eo fruitur quod amat (multi enim amando ea, quae amanda non sunt, miseri sunt et miseriores cum fruuntur): nemo tamen beatus est, qui eo quod amat non fruitur. Nam et ipsi, qui res non amandas amant, non se beatos putant amando, sed fruendo. Quisquis ergo fruitur eo, quod amat, uerumque et summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus negat? Ipsum autem uerum ac summum bonum Plato dicit Deum, unde uult esse philosophum amatorem Dei, ut, quoniam philosophia ad beatam uitam tendit, fruens Deo sit beatus qui Deum amauerit.

CAPUT VIIII.

De ea philosophia, quae ad ueritatem fidei Christianae propius accessit.

Quicumque igitur philosophi de Deo summo et uero ista senserunt, quod et rerum creatarum sit effector et lumen cognoscendarum et bonum agendarum, quod ab illo nobis sit et principium naturae et ueritas doctrinae et felicitas uitae, siue Platonici adcommodatius nuncupentur, siue quodlibet aliud sectae suae nomen inponant; siue tantummodo Ionici generis, qui in eis praecipui fuerunt, ista senserint, sicut idem

1 adiuuaret, e *in* i *corr.*, *l* 2 potuerit *d l q* 7 undiq;, *m. 1 superscripto* ł utiq;, *d* batum *C* 8 deo frui *l v* 13 amando putant *v* sed///, *bis scriptum*, *C* 15 eum///, *bis scriptum*, *C* 17 philos. esse *l* 22 propinquius *p* 23 ita e^1 24 quod et] ut *e* creaturarum *e* 25 et quod *s* 27 siue quod aliud libet *s* 28 imponatur *s* 29 senserint *C a b d e l s* k^1 *v*; senserunt *p q α* k^2 *f*^{r} *Domb.*

Plato et qui eum bene intellexerunt; siue etiam Italici, propter Pythagoram et Pythagoreos et si qui forte alii eiusdem sententiae indidem fuerunt; siue aliarum quoque gentium qui sapientes uel philosophi habiti sunt, Atlantici Libyes, Aegyptii, Indi, Persae, Chaldaei, Scythae, Galli, Hispani aliqui reperiuntur, qui hoc uiderint ac docuerint: eos omnes ceteris anteponimus eosque nobis propinquiores fatemur.

CAPUT X.

Quae sit inter philosophicas artes religiosi excellentia Christiani.

Quamuis enim homo Christianus litteris tantum ecclesiasticis eruditus Platonicorum forte nomen ignoret, nec utrum duo genera philosophorum extiterint in Graeca lingua, Ionicorum et Italicorum, sciat: non tamen ita surdus est in rebus humanis, ut nesciat philosophos uel studium sapientiae uel ipsam sapientiam profiteri. Cauet eos tamen, qui secundum elementa huius mundi philosophantur, non secundum Deum, a quo ipse factus est mundus. Admonetur enim praecepto apostolico fideliterque audit quod dictum est: Cauete ne quis uos decipiat per philosophiam et inanem seductionem secundum elementa mundi. Deinde ne omnes tales esse arbitretur, audit ab eodem apostolo dici de quibusdam: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestauit. Inuisibilia enim eius a constitutione mundi per ea, quae

19 Col. 2, 8 23 Rom. 1, 19 sq.

2 sententiae itidem *sup. lin. C* 3 indidem *l Domb.;* inidem *a* b^1 *d p s;* inididem *α f;* identidem b^2 *k v;* inidentidē idē *e;* idemptitatē *q* 4 athalantici *s* libyes (libye/f *C*) *uel* lybies *codd.;* Libyci *v* 5 indie parf aechaldei *d* Hispani] ispani *l;* hiſparti *C* aliqui *C d p s;* aliique *a b e l q v Domb.* reꝑperiantur, a *m. 2 ex* u *corr., C;* reperiuntur *rell. v* 7 propinquiores esse *s* 20 decipit *C* 22 arbitraretur *e* 23 quod *m. 2 sup. lin. l* 24 manif.] reuelauit *a* 25 constit.] cretura *C*

facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque uirtus eius et diuinitas, et ubi Atheniensibus loquens, cum rem magnam de Deo dixisset et quae a paucis possit intellegi, quod in illo uiuimus et mouemur et sumus, adiecit et ait: Sicut et uestri quidam dixerunt. Nouit sane etiam ipsos, in quibus errant, cauere; ubi enim dictum est, quod per ea, quae facta sunt, Deus illis manifestauit intellectu conspicienda inuisibilia sua: ibi etiam dictum est non illos ipsum Deum recte coluisse, quia et aliis rebus, quibus non oportebat, diuinos honores illi uni tantum debitos detulerunt: Quoniam cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis et obscuratum est cor insipiens eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt et inmutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et uolucrum et quadrupedum et serpentium; ubi et Romanos et Graecos et Aegyptios, qui de sapientiae nomine gloriati sunt, fecit intellegi. Sed de hoc cum istis post modum disputabimus. In quo autem nobis consentiunt de uno Deo huius uniuersitatis auctore, qui non solum super omnia corpora est incorporeus, uerum etiam super omnes animas incorruptibilis, principium nostrum, lumen nostrum, bonum nostrum, in hoc eos ceteris anteponimus. Nec, si litteras eorum Christianus ignorans uerbis, quae non didicit, in disputatione non utitur, ut uel naturalem Latine uel physicam Graece appellet eam partem, in qua de naturae inquisitione tractatur. et rationalem siue logicam, in qua quaeritur quonam modo ueritas percipi possit,

4 Act. 17, 28 11 Rom. 1, 21 sqq.

2 eius *om.* *C* 4 et mouemur *C*, et *om.* *rell. v Domb*, 6 ipsa, a *m. 2 in ras.*, *e* erant l^1 9 qui *s* 14 cor insip. *C*; insip. cor *rell. v* sap. esse *v* 16 inmutabilis *l* 20 postea,putabimus *l*; disput. postmod' *q* 25 si *om.* *s* ignorat s^1 26 uel ut *l* 28 de *om.* *e* inquis. naturae *v* 29 quonam, nam *m. 2 sup. lin.*, *l*; quo *s*

et moralem uel ethicam, in qua de moribus agitur bonorumque finibus adpetendis malorumque uitandis, ideo nescit ab uno uero Deo adque optimo et naturam nobis esse, qua facti ad eius imaginem sumus, et doctrinam, qua eum nosque noueri-
5 mus, et gratiam, qua illi cohaerendo beati simus. Haec itaque causa est quur istos ceteris praeferamus, quia, cum alii philosophi ingenia sua studiaque contriuerint in requirendis rerum causis, et quinam esset modus discendi adque uiuendi, isti Deo cognito reppererunt ubi esset et causa constitutae uni-
10 uersitatis et lux percipiendae ueritatis et fons bibendae felicitatis. Siue ergo isti Platonici siue quicumque alii quarumlibet gentium philosophi de Deo ista sentiunt, nobiscum sentiunt. Sed ideo cum Platonicis magis agere placuit hanc causam, quia eorum sunt litterae notiores. Nam et Graeci,
15 quorum lingua in gentibus praeminet, eas magna praedicatione celebrarunt, et Latini permoti earum uel excellentia uel gloria, ipsas libentius didicerunt adque in nostrum eloquium transferendo nobiliores clarioresque fecerunt.

CAPUT XI.

20 Unde Plato eam intellegentiam potuerit adquirere, qua Christianae scientiae propinquauit.

Mirantur autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt uel legunt Platonem de Deo ista sensisse, quae multum congruere ueritati nostrae religionis agnoscunt. Unde nonnulli
25 putauerunt eum, quando perrexit in Aegyptum, Hieremiam audisse prophetam uel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse; quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui. Sed diligenter subputata temporum ratio,

28 de doctr. Christ. II, c. 28

4 nos. *eraso* que, *e* 5 gratia *C* 8 discendi *s* 9 et *om. b v* constituta *s* 10 bibende, *in marg.* uiuende, *e* 11 si uero *e* 13 placuit agere *s;* placuit hanc causam agere *v* 14 quia] quam *s* 15 praed. magna *e* 23 sentisse s^1 multi *s* 25 ieremiam *q v*

quae chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore, quo prophetauit Hieremias, centum ferme annos postea natum fuisse; qui cum octoginta et unum uixisset, ab anno mortis eius usque ad id tempus, quo Ptolomaeus rex Aegypti scripturas propheticas gentis Hebraeorum de Iudaea poposcit et per septuaginta uiros Hebraeos, qui etiam Graecam linguam nouerant, interpretandas habendasque curauit, anni reperiuntur ferme sexaginta. Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Hieremiam uidere potuit tanto ante defunctum, nec easdem scripturas legere, quae nondum fuerant in Graecam linguam translatae, qua ille pollebat; nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut Aegyptias, ita et istas per interpretem didicit, non ut scribendo transferret (quod Ptolomaeus pro ingenti beneficio, qui a regia potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur), sed ut conloquendo quid continerent, quantum capere posset, addisceret. Hoc ut existimetur, illa suadere uidentur indicia, quod liber geneseos sic incipit: In principio fecit Deus caelum et terram. Terra autem erat inuisibilis et inconposita, et tenebrae [erant] super abyssum, et spiritus Dei superferebatur super aquam; in Timaeo autem Plato, quem librum de mundi constitutione conscripsit, Deum dicit in illo opere terram primo ignemque iunxisse. Manifestum est autem, quod igni tribuat caeli locum: habet ergo haec sententia quandam illius similitudinem, qua dictum est: In principio fecit Deus caelum et terram. Deinde illa duo media, quibus interpositis sibimet haec extrema copularentur, aquam dicit et

17 Gen. 1, 1 sq. 21 p. 31 B 27 p. 32 B

2 ferme centum *l* 4 ad idē, *in marg.* in id, *e* ptolomeus *a d α k f*; ptolemeus *C*; ptholomeus *e l p s*; tholomeus *b q* 5 a gente *α* 7 repperiuntur *ex* reppererunt *corr. l* ferme reper. *v* 8 fere *l* 14 qui a *Domb. secundum Dübnerum*; quia *Cp*; qui *rell. v* 16 potuisset *s* 18 fecit] creauit *a p q* 19 erant *om. C*^{1} *b*^{1} *d e* 20 ferebatur *a d e*^{1} *q* 21 aquas *d e l* 26 ille *C a b*^{1} *d e* duo medi *α* 27 haec *om. l* haec et *e* copulatur *e*

aerem; unde putatur sic intellexisse quod scriptum est: spiritus Dei superferebatur super aquam. Parum quippe adtendens quo more soleat illa scriptura appellare spiritum Dei, quoniam et aer spiritus dicitur, quattuor opinatus elementa loco illo commemorata uideri potest. Deinde quod Plato dicit amatorem Dei esse philosophum, nihil sic illis sacris litteris flagrat; et maxime illud (quod et me plurimum adducit, ut paene adsentiar Platonem illorum librorum expertem non fuisse), quod, cum ad sanctum Moysen ita uerba Dei per angelum perferantur, ut quaerenti quod sit nomen eius, qui eum pergere praecipiebat ad populum Hebraeum ex Aegypto liberandum, respondeatur: Ego sum qui sum, et dices filiis Israel: Qui est, misit me ad uos, tamquam in eius conparatione, qui uere est quia incommutabilis est, ea quae mutabilia facta sunt non sint, uehementer hoc Plato tenuit et diligentissime commendauit. Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt, nisi ubi dictum est: Ego sum qui sum, et dices eis: Qui est, misit me ad uos.

CAPUT XII.

Quod etiam Platonici, licet de uno uero Deo bene senserint, multis tamen dis sacra facienda censuerint.

Sed undecumque ille ista didicerit, siue praecedentibus eum ueterum libris siue potius, quo modo dicit apostolus, quia quod notum est Dei manifestum est in illis; Deus

12 Exod. 3, 14 Rom. 1, 19 sq.

3 remo *e* 4 et aer] &her *d* et *om. C* aer, a *m. 2 in ras., C* 5 ēc elem. *a* 6 sic] sit *s* 7 in illis *v* fragrat *q* 9 sactum *C* 12 respondea/tur *C* 13 israhel *C* misit, it *sup. lin., C* 14 quia *et* est *post* incommut. *om. s* 15 et ea *e* commutabilia *s* 16 ut et. *in marg.* utrū, *e* 18 fuerint *s* 19 eis *om. a*[1] 24 ista ille *e Domb.;* illa iste *s*

enim illis manifestauit; inuisibilia enim eius a constitutione mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque uirtus eius et diuinitas: nunc non inmerito me Platonicos philosophos elegisse cum quibus agam, quod in ista quaestione, quam modo suscepimus, agitur de naturali theologia, utrum propter felicitatem, quae post mortem futura est, uni Deo an pluribus sacra facere oporteat, satis, ut existimo, exposui. Ideo quippe hos potissimum elegi, quoniam de uno Deo qui fecit caelum et terram, quanto melius senserunt, tanto ceteris gloriosiores et inlustriores habentur, in tantum aliis praelati iudicio posterorum, ut, cum Aristoteles, Platonis discipulus, uir excellentis ingenii et eloquio Platoni quidem inpar, sed multos facile superans, cum sectam Peripateticam condidisset, quod deambulans disputare consueuerat, plurimosque discipulos praeclara fama excellens uiuo adhuc praeceptore in suam haeresim congregasset, post mortem uero Platonis Speusippus, sororis eius filius, et Xenocrates, dilectus eius discipulus, in scholam eius, quae Academia uocabatur, eidem successissent adque ob hoc et ipsi et eorum successores Academici appellarentur, recentiores tamen philosophi nobilissimi, quibus Plato sectandus placuit, noluerint se dici Peripateticos aut Academicos, sed Platonicos. Ex quibus sunt ualde nobilitati Graeci Plotinus, Iamblichus, Porphyrius; in utraque autem lingua, id est et Graeca et Latina, Apuleius Afer extitit Platonicus nobilis. Sed hi omnes et ceteri eius modi et ipse Plato dis plurimis esse sacra facienda putauerunt.

3 eius uirtus *s v* 4 me *om. s* et philos. *e* 5 egisse l^1 quid *e* 6 suscipitur s^1 7 dō, o *m. 2 ex* i *corr., C* 8 sacrificare *α* estimo *s* 14 cum sectam *C a b d l p s α* k^1 *f;* consectam *e;* cum *om. v Domb.* pypateticā *a;* phypatetica *d* 17 xeusippus *C;* peusippus *l;* feuſyppus *d p s;* eusippus *a b e q* 18 xenocratis *C;* senocrates *b;* exnocrates *d* 19 scolam *C a b d e l p s* 22 noluerunt *s* 24 iamblicus *C d e l* graeca, *omisso* et *e l* 27 sacra facienda, *in marg.* sacrificandū, *e*

CAPUT XIII.

De sententia Platonis, qua definiuit deos non esse nisi bonos amicosque uirtutum.

Quamquam ergo a nobis et in aliis multis rebus magnisque dissentiant, in hoc tamen, quod modo posui, quia neque parua res est et inde nunc quaestio est, primum ab eis quaero, quibus dis istum cultum exhibendum arbitrentur, utrum bonis an malis an et bonis et malis. Sed habemus Platonis sententiam dicentis omnes deos bonos esse nec esse omnino ullum deorum malum. Consequens est igitur, ut bonis haec exhibenda intellegantur; tunc enim dis exhibentur, quoniam nec di erunt, si boni non erunt. Hoc si ita est, (nam de dis quid aliud decet credere?) illa profecto uacuatur opinio, qua nonnulli putant deos malos sacris placandos esse, ne laedant, bonos autem, ut adiuuent, inuocandos. Mali enim nulli sunt di; bonis porro debitus, ut dicunt, honor sacrorum est deferendus. Qui sunt ergo illi, qui ludos scaenicos amant eosque diuinis rebus adiungi et suis honoribus flagitant exhiberi? quorum uis non eos indicat nullos, sed iste adfectus nimirum indicat malos. Quid enim de ludis scaenicis Plato senserit, notum est, cum poetas ipsos, quod tam indigna deorum maiestate adque bonitate carmina conposuerint, censet ciuitate pellendos. Qui sunt igitur isti di, qui de scaenicis ludis cum ipso Platone contendunt? Ille quippe non patitur deos falsis criminibus infamari; isti eisdem criminibus suos honores celebrari iubent. Denique isti cum eosdem ludos instaurari praeciperent, poscentes turpia etiam maligna gesserunt, Tito Latinio auferentes filium et inmittentes morbum, quod eorum abnuisset imperium, eumque morbum retrahentes, cum

2 diffiniuit *p* 6 et *in fine uersus m. 2 C* 7 arbitrentur *sup. lin. a;* arbitratur *s* 8 Sed habemus, *m. 2 superscripto* de hoc, *C;* Sed de hoc habemus *e* platonis sent. *C;* sentent. plat. *rell. v* 9 esse est *s* 10 nullum, n *m. 2 sup. lin., l* 13 quia *s* 19 nullus *s* 20 malos] maius *s* 24 ludis *om. s* 26 celebrare *e* ludos *om. s* 28 imittentes *C* 29 abnuisset, *in marg.* abuisset, *e;* annuisset *s*

iussa conplesset; iste autem illos nec tam malos timendos putat, sed suae sententiae robur constantissime retinens omnes poetarum sacrilegas nugas, quibus illi inmunditiae societate oblectantur, a populo bene instituto remouere non dubitat. Hunc autem Platonem, quod iam in secundo libro commemoraui, inter semideos Labeo ponit. Qui Labeo numina mala uictimis cruentis adque huius modi supplicationibus placari existimat, bona uero ludis et talibus quasi ad laetitiam pertinentibus rebus. Quid est ergo quod semideus Plato non semideis, sed deis, et hoc bonis, illa oblectamenta, quia iudicat turpia, tam constanter audet auferre? Qui sane di refellunt sententiam Labeonis; nam, se in Latinio non lasciuos tantum adque ludibundos, sed etiam saeuos terribilesque monstrarunt. Exponant ergo nobis ista Platonici, qui omnes deos secundum auctoris sui sententiam bonos et honestos et uirtutibus sapientium socios esse arbitrantur aliterque de ullo deorum sentiri nefas habent. Exponimus, inquiunt. Adtente igitur audiamus.

CAPUT XIIII.

De opinione eorum, qui rationales animas trium generum esse dixerunt, id est in dis caelestibus, in daemonibus aeriis et in hominibus terrenis.

Omnium, inquiunt, animalium, in quibus est anima rationalis, tripertita diuisio est, in deos, homines, daemones. Di excelsissimum locum tenent, homines infimum, daemones medium. Nam deorum sedes in caelo est, hominum in terra, in aere daemonum. Sicut eis diuersa dignitas est locorum, ita etiam naturarum. Proinde di sunt hominibus daemonibusque

5 c. 14

2 sententiae robor, *in marg.* scientie robur, *e* 8 et talibus] theatralibus *m. 2 in ras. e* 11 auderet *s* sane] autem *l* 15 auctori *s* 16 esse socios *v* 17 Adtente *init. c. XIIII C* 20 animos *p* 22 aeris *Cp* 27 diuersa, *in marg.* diuisa, *e*

potiores; homines uero infra deos et daemones constituti sunt, ut elementorum ordine, sic differentia meritorum. Daemones igitur medii, quem ad modum dis, quibus inferius habitant, postponendi, ita hominibus, quibus superius, praeferendi sunt. Habent enim cum dis communem inmortalitatem corporum, animorum autem cum hominibus passiones. Quapropter non est mirum, inquiunt, si etiam ludorum obscenitatibus et poetarum figmentis delectantur, quando quidem humanis capiuntur adfectibus, a quibus di longe absunt et modis omnibus alieni sunt. Ex quo colligitur, Platonem poetica detestando et prohibendo figmenta non deos, qui omnes boni et excelsi sunt, priuasse ludorum scaenicorum uoluptate, sed daemones.

Haec si ita sunt (quae licet aput alios quoque reperiantur, Apuleius tamen Platonicus Madaurensis de hac re sola unum scripsit librum, cuius esse titulum uoluit 'de deo Socratis', ubi disserit et exponit, ex quo genere numinum Socrates habebat adiunctum et amicitia quadam conciliatum, a quo perhibetur solitus admoneri, ut desisteret ab agendo, quando id quod agere uolebat, non prospere fuerat euenturum; dicit enim apertissime et copiosissime adserit non illum deum fuisse, sed daemonem, diligenti disputatione pertractans istam Platonis de deorum sublimitate et hominum humilitate et daemonum medietate sententiam) — haec ergo si ita sunt, quonam modo ausus est Plato, etiamsi non dis, quos ab omni humana contagione semouit, certe ipsis daemonibus poetas urbe pellendo auferre theatricas uoluptates, nisi quia hoc pacto admonuit animum humanum, quamuis adhuc in his

16 p. 17, 20 sqq. 21, 17 sqq. Goldb.

2 ordinem *C;* ordines *e l* diferentia *l;* diffirentia *e* 3 inferius h. p. i. h. q. superius *om. e* 4 superius *om. l*[1] 7 est enim *e* 9 longo *s*[1] 11 et *ante* excelsi *om. s* 16 titulum esse *v* socrat *C* 17 numinum *a* 19 perhibentur, *in marg.* phibet, *e* 25 quoniam *C* 26 humana, *in marg.* uana, *e* contag.] cogitatione *s* 27 pellendos *e* 28 adhuc *om. C*[1]

moribundis membris positum, pro splendore honestatis inpura daemonum iussa contemnere eorumque inmunditiam detestari? Nam si Plato haec honestissime arguit et prohibuit, profecto daemones turpissime poposcerunt adque iusserunt. Aut ergo fallitur Apuleius et non ex isto genere numinum habuit amicum Socrates aut contraria inter se sentit Plato modo daemones honorando, modo eorum delicias a ciuitate bene morata remouendo, aut non est Socrati amicitia daemonis gratulanda, de qua usque adeo et ipse Apuleius erubuit, ut de deo Socratis praenotaret librum, quem secundum suam disputationem, qua deos a daemonibus tam diligenter copioseque discernit, non appellare de deo, sed de daemone Socratis debuit. Maluit autem hoc in ipsa disputatione quam in titulo libri ponere. Ita enim per sanam doctrinam, quae humanis rebus inluxit, omnes uel paene omnes daemonum nomen exhorrent, ut, quisquis ante disputationem Apulei, qua daemonum dignitas commendatur, titulum libri de daemone Socratis legeret, nequaquam illum hominem sanum fuisse sentiret. Quid autem etiam ipse Apuleius quod in daemonibus laudaret inuenit praeter subtilitatem et firmitatem corporum et habitationis altiorem locum? Nam de moribus eorum, cum de omnibus generaliter loqueretur, non solum nihil boni dixit, sed etiam plurimum mali. Denique lecto illo libro prorsus nemo miratur eos etiam scaenicam turpitudinem in rebus diuinis habere uoluisse, et cum deos se putari uelint, deorum criminibus oblectari potuisse, et quidquid in eorum sacris obscena sollemnitate seu turpi crudelitate uel ridetur uel horretur, eorum adfectibus conuenire.

6 contra se *s* 9 et usque ipse *s* 11 tam *om. e* cupioseq; *C* 12 *alterum* de *om. l* 15 ut omnes *e* omnium *l* exhorreant *e* 20 propter *s* et firmitatem *sup. lin. C* 21 de moribus *s* 27 in obsc., in *m. 2 in fine uersus, C*

CAPUT XV.

Quod neque propter aeria corpora neque propter superiora habitacula daemones hominibus antecellant.

Quam ob rem absit ut ista considerans animus ueraciter religiosus et uero Deo subditus ideo arbitretur daemones se ipso esse meliores, quod habeant corpora meliora. Alioquin multas sibi et bestias praelaturus est, quae nos et acrimonia sensuum et motu facillimo adque celerrimo et ualentia uirium et annosissima firmitate corporum uincunt. Quis hominum uidendo aequabitur aquilis et uulturibus? quis odorando canibus? quis uelocitate leporibus, ceruis, omnibus auibus? quis multum ualendo leonibus et elephantis? quis diu uiuendo serpentibus, qui etiam deposita tunica senectutem deponere adque in iuuentam redire perhibentur? Sed sicut his omnibus ratiocinando et intellegendo meliores sumus, ita etiam daemonibus bene adque honeste uiuendo meliores esse debemus. Ob hoc enim et prouidentia diuina eis, quibus nos constat esse potiores, data sunt quaedam potiora corporum munera, ut illud, quo eis praeponimur, etiam isto modo nobis commendaretur multo maiore cura excolendum esse quam corpus, ipsamque excellentiam corporalem, quam daemones habere nossemus, prae bonitate uitae, qua illis anteponimur, contemnere disceremus, habituri et nos inmortalitatem corporum, non quam suppliciorum aeternitas torqueat, sed quam puritas praecedat animorum.

Iam uero de loci altitudine, quod daemones in aere, nos autem habitamus in terra, ita permoueri, ut hinc eos nobis esse praeponendos existimemus, omnino ridiculum est. Hoc

2 aerea *p* 9 motum facillimum C^1 celerrimum C^1 12 auibus omnibus *v* 13 qui diuuendo *C* 15 ad iuuentā C^1; aḋ // uentam C^2 perhibentur] reperiuntur *s* 16 rationando l^1 in daemonibus *s* 18 enim] etiam, *in marg.* enī, *e* 20 quod *e* 23 bonitate, e *m. 2 in ras., C* 25 non quam *sup. lin. C* 28 perueri *l* 29 praepon. esse *l*

enim pacto nobis et omnia uolatilia praeponimus. At enim uolatilia cum uolando fatigantur uel reficiendum alimentis corpus habent, terram repetunt uel ad requiem uel ad pastum, quod daemones, inquiunt, non faciunt. Numquid ergo placet eis, ut uolatilia nobis, daemones autem etiam uolatilibus antecellant? Quod si dementissimum est opinari, nihil est quod de habitatione superioris elementi dignos esse daemones existimemus, quibus nos religionis adfectu subdere debeamus. Sicut enim fieri potuit, ut aeriae uolucres terrestribus nobis non solum non praeferantur, uerum etiam subiciantur propter rationalis animae, quae in nobis est, dignitatem: ita fieri potuit, ut daemones, quamuis magis aerii sint, terrestribus nobis non ideo meliores sint, quia est aer quam terra superior; sed ideo eis homines praeferendi sint, quoniam spei piorum hominum nequaquam illorum desperatio conparanda est. Nam et illa ratio Platonis, qua elementa quattuor proportione contexit adque ordinat, ita duobus extremis, igni mobilissimo et terrae inmobili, media duo, aerem et aquam, interserens, ut, quanto est aer aquis et aere ignis, tanto et aquae superiores sint terris, satis nos admonet animalium merita non pro elementorum gradibus aestimare. Et ipse quippe Apuleius cum ceteris terrestre animal hominem dicit, qui tamen longe praeponitur animalibus aquatilibus, cum ipsas aquas terris praeponat Plato: ut intellegant, non eundem ordinem tenendum, cum agitur de meritis animarum, qui uidetur esse ordo in gradibus corporum; sed fieri posse, ut inferius corpus anima melior inhabitet deteriorque superius.

21 de deo Socr. p. 8, 10 Goldb.

1 prę̨ponemus l^1 *s;* prę̨poneremus l^2 2 reficiendo alimentis corpori opus habent *s* 9 arię̨ *et l. 12* arii C^1 13 sint *om. l;* sunt q^1 *s* aer *C* 14 speimpiorum *C;* spei impiorum *s* 15 comparanda est, nda est *m. 2 in ras.*, *e* 17 extremos C^1 nobiliss. $e^1 s^1$ 19 aer est *v* aerem *C* 21 grad. elem. *v* existimare *l* 22 terrestribus animalibus *s* 23 animalibus *om. s* terris *typothetae errore (?) om. Domb.*[2] 24 intellegant *C a b d e l p s;* intellegamus *q α k f v Domb.*[2]

CAPUT XVI.

Quid de moribus adque actionibus daemonum Apuleius Platonicus senserit.

De moribus ergo daemonum cum idem Platonicus loqueretur, dixit eos eisdem quibus homines animi perturbationibus agitari, inritari iniuriis, obsequiis donisque placari, gaudere honoribus, diuersis sacrorum ritibus oblectari et in eis si quid neglectum fuerit commoueri. Inter cetera etiam dicit ad eos pertinere diuinationes augurum, aruspicum, uatum adque somniorum; ab his quoque esse miracula magorum. Breuiter autem eos definiens ait daemones esse genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aeria, tempore aeterna; horum uero quinque tria priora illis esse quae nobis, quartum proprium, quintum eos cum dis habere commune. Sed uideo trium superiorum, quae nobiscum habent, duo etiam cum dis habere. Animalia quippe esse dicit et deos, suaque cuique elementa distribuens in terrestribus animalibus nos posuit cum ceteris quae in terra uiuunt et sentiunt, in aquatilibus pisces et alia natatilia, in aeriis daemones, in aetheriis deos. Ac per hoc quod daemones genere sunt animalia, non solum eis cum hominibus, uerum etiam cum dis pecoribusque commune est; quod mente rationalia, cum dis et hominibus; quod tempore aeterna, cum dis solis; quod animo passiua, cum hominibus solis; quod corpore aeria, ipsi sunt soli. Proinde quod genere sunt animalia, non est magnum, quia hoc sunt et pecora;

5 ib. p. 15, 15 sqq. 8 ib. p. 11, 5 sqq. 10 ib. p. 16, 17 16 ib. p. 12

2 adque action. *om. p* 4 ergo daemonum *om. s* 7 neclectum *C;* necglectum *e* 11 animalia *m. 2 in ras. l* animo p. m. rationalia *m. 2 in marg. infer. l* 13 quartum *om. e erasa ut uidetur uoce* partū 16 dicit esse *l s* suaque *scripsi;* quę (quae) sua *C b*^{1} *d e*^{1} *l q a*^{1} *k;* ///sua, *eraso ut uidetur* que, *a;* qui sua *b*^{2} *p a*^{2} *v Domb.;* quia sua *f;* quia (uia *m. 2 in ras.*) sua, *in marg.* qa sua, *e*^{2} elemento *k* 17 tribuens *q* 19 natilia *C*^{1}*;* natalia *e*^{1} *l*^{1} aeris *e*^{1} 22 rationa//lia, bi (?) *erasis, l;* rationabilia *a*

quod mente rationalia, non est supra nos, quia sumus et nos; quod tempore aeterna, quid boni est, si non beata? Melior est enim temporalis felicitas quam misera aeternitas. Quod animo passiua, quo modo supra nos est, quando et nos hoc sumus, nec ita esset, nisi miseri essemus? Quod corpore aeria, quanti aestimandum est, cum omni corpori praeferatur animae qualiscumque natura, et ideo religionis cultus, qui debetur ex animo, nequaquam debeatur ei rei, quae inferior est animo? Porro si inter illa, quae daemonum esse dicit, adnumeraret uirtutem, sapientiam, felicitatem et haec eos diceret habere cum dis aeterna adque communia, profecto aliquid diceret exoptandum magnique pendendum; nec sic eos tamen propter haec tamquam Deum colere deberemus, sed potius ipsum, a quo haec illos accepisse nossemus. Quanto minus nunc honore diuino aeria digna sunt animalia, ad hoc rationalia ut misera esse possint, ad hoc passiua ut misera sint, ad hoc aeterna ut miseriam finire non possint!

CAPUT XVII.

An dignum sit eos spiritus ab homine coli, a quorum uitiis eum oporteat liberari.

Quapropter, ut omittam cetera et hoc solum pertractem, quod nobiscum daemones dixit habere commune, id est animi passiones, si omnia quattuor elementa suis animalibus plena sunt, inmortalibus ignis et aer, mortalibus aqua et terra, quaero quur animi daemonum passionum turbelis et tempestatibus agitentur. Perturbatio est enim, quae Graece πάθος

2 tempora *e* 6 exſtimandum l^1; existimandum *e* l^2 est *sup. lin. C* omnia corpora *C* omī p̄ferat *a* ipſa et feratur C^1; /prae/feratur C^2; praeferantur *s* 8 debetur ei C^1 *e* 13 deberem *C* sed ..... nossemus *om.* l^1 15 rationabilia *s* 17 miseriam *codd. v*; miseriam suam *Domb.* 19 a *om. C* 20 eum *C v*; etiam *p q Domb.* 22 animam *s* 24 aer, r *in rasura trium litterarum, C* 25 passionibus *C* turbilis *d*; turbeleq, *m. 2 in ras., in marg.* turuelis, *e*; turbinis *s* et *om. e* 26 est *om. e* enim est *v* 26 *et* p. 383, 2 phatos *s*

dicitur; unde illa uoluit uocare animo passiua, quia uerbum de uerbo πάθος passio diceretur motus animi contra rationem. Quur ergo sunt ista in animis daemonum, quae in pecoribus non sunt? Quoniam si quid in pecore simile apparet, non est perturbatio, quia non est contra rationem, qua pecora carent. In hominibus autem ut sint istae perturbationes, facit hoc stultitia uel miseria; nondum enim sumus in illa perfectione sapientiae beati, quae nobis ab hac mortalitate liberatis in fine promittitur. Deos uero ideo dicunt istas perturbationes non perpeti, quia non solum aeterni, uerum etiam beati sunt. Easdem quippe animas rationales etiam ipsos habere perhibent, sed ab omni labe ac peste purissimas. Quam ob rem si propterea di non perturbantur, quod animalia sunt beata, non misera, et propterea pecora non perturbantur, quod animalia sunt, quae nec beata possunt esse nec misera: restat ut daemones sicut homines ideo perturbentur, quod animalia sunt non beata, sed misera.

[XVII.] Qua igitur insipientia uel potius amentia per aliquam religionem daemonibus subdimur, cum per ueram religionem ab ea uitiositate, in qua illis sumus similes, liberemur? Cum enim daemones, quod et iste Apuleius, quamuis eis plurimum parcat et diuinis honoribus dignos censeat, tamen cogitur confiteri, ira instigentur, nobis uera religio praecipit, ne ira instigemur, sed ei potius resistamus. Cum daemones donis inuitentur, nobis uera religio praecipit, ne cuiquam donorum acceptione faueamus. Cum daemones honoribus mulceantur, nobis uera religio praecipit, ut talibus nullo modo moueamur.

2 pathos passio dicitur, sed melius perturbatio diceretur *a* 3 sunt *om. C*^{1} *e*^{1} 5 perbatio *C* carent, *in marg.* habent, *e* 7 in illa felicitate, *in marg.* pfeccione. *e* 8 nobis *om. s* 10 beti *C* 12 peste ac labe *s* 14 non *post* pecora *sup. lin. C* 15 possunt, pos *sup. lin., l* esse *in ras. C* ne *C;* nec *om. e*^{1} ut *om. C* 19 cum] cur *e* 20 ea *om. l*^{1} in *om. v* 22 pareat *l* cogitur confiteri ira instigentur, *eraso* cogitur *m. 2 correctum in* confitet quia ira instig., *e* 23 insti.gentur, *et l. 24* insti.gemur, n *eraso, C;* instigari, ari *in ras., s*

Cum daemones quorundam hominum osores, quorundam amatores sint, non prudenti tranquilloque iudicio, sed animo ut appellat ipse passiuo, nobis uera religio praecipit, ut nostros etiam diligamus inimicos. Postremo omnem motum cordis et salum mentis omnesque turbelas et tempestates animi, quibus daemones aestuare adque fluctuare adserit, nos uera religio deponere iubet. Quae igitur causa est nisi stultitia errorque mirabilis, ut ei te facias uenerando humilem, cui te cupias uiuendo dissimilem; et religione colas, quem imitari nolis, cum religionis summa sit imitari quem colis?

CAPUT XVIII.

Qualis religio sit, in qua docetur, quod homines, ut commendentur dis bonis, daemonibus uti debeant aduocatis.

Frustra igitur eis Apuleius, et quicumque ita sentiunt, hunc detulit honorem, sic eos in aere medios inter aetherium caelum terramque constituens, ut, quoniam nullus deus miscetur homini, quod Platonem dixisse perhibent, isti ad deos perferant preces hominum et inde ad homines inpetrata quae poscunt. Indignum enim putauerunt qui ista crediderunt misceri homines dis et deos hominibus; dignum autem misceri daemones et dis et hominibus, hinc petita qui adlegent, inde concessa qui adportent; ut uidelicet homo castus et ab artium magicarum sceleribus alienus eos patronos adhibeat, per quos illum di exaudiant, qui haec amant, quae ille non amando

18 Conuiu. p. 203 A

2 pudenti C^1 3 *sq.* inim. n. et. diligamus *v* 5 salutem *s* turbines *s* 8 mirabilis *C a* b^1 *d p s k;* miserabilis b^2 *e l q* α *f v Domb.;* mirabilit˜ b^3 9 esse *ante* dissim. *m. 2 sup. lin. e* imitare noles C^1 12 sit relig. *p* 13 *sq.* debeant uti *p* 15 ei asentiunt *correctum ut uidetur ex* ita sent. *b* 17 et *ante* terramque *eras. C* 22 hic C^1 quę alleg. *a* 23 quę afferant *a* catus *C* 24 alienus *sup. lin. e* adhibeat, *in marg.* adeat, *e*

fit dignior, quem facilius et libentius exaudire debeant. Amant quippe illi scaenicas turpitudines, quas non amat pudicitia; amant in maleficiis magorum 'mille nocendi artes,' quas non amat innocentia. Ergo et pudicitia et innocentia si quid ab dis inpetrare uoluerit, non poterit suis meritis nisi suis interuenientibus inimicis. Non est quod iste poetica figmenta et theatrica ludibria iustificare conetur. Habemus contra ista magistrum eorum et tantae aput eos auctoritatis Platonem, si pudor humanus ita de se male meretur, ut non solum diligat turpia, uerum etiam diuinitati existimet grata.

CAPUT XVIIII.

De inpietate artis magicae, quae patrocinio nititur spirituum malignorum.

Porro aduersus magicas artes, de quibus quosdam nimis infelices et nimis inpios etiam gloriari libet, nonne ipsam publicam lucem testem citabo? Quur enim tam grauiter ista plectuntur seueritate legum, si opera sunt numinum colendorum? An forte istas leges Christiani instituerunt, quibus artes magicae puniuntur? Secundum quem alium sensum, nisi quod haec maleficia generi humano perniciosa esse non dubium est, ait poeta clarissimus:

> Testor, cara, deos et te, germana, tuumque
> Dulce caput, magicas inuitam accingier artes?

Illud etiam, quod alio loco de his artibus dicit:

> Adque satas alio uidi traducere messes,

eo quod hac pestifera sceleratagque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur, nonne in duodecim tabulis,

3 Verg. Aen. VII, 338 22 Verg. Aen IIII, 492 sq. 25 Eclog. 8, 98

1 quam e^1 7 abemus C 9 sic pudor *m. 2 rescript.*, *e* de *sup. lin. C* 10 turpia, tur *sup. lin.*, *e* 17 plec... tuntur, tun *eras.*, *C* 20 quo *e s* malif. C^1 22 *in marg. adscriptum* uergilii, *C* testo *C* 23 capud C^1 *d e* inuitū C^1 25 uidit *l* esses *C*

id est Romanorum antiquissimis legibus, Cicero commemorat esse conscriptum et ei, qui hoc fecerit, supplicium constitutum? Postremo Apuleius ipse numquid aput Christianos iudices de magicis artibus accusatus est? Quas utique sibi obiectas si diuinas et pias esse nouerat et diuinarum potestatum operibus congruas, non solum eas confiteri debuit, sed etiam profiteri, leges culpans potius, quibus haec prohiberentur et damnanda putarentur, quae haberi miranda et ueneranda oporteret. Ita enim uel sententiam suam persuaderet iudicibus, uel, si illi secundum iniquas leges saperent eumque talia praedicantem adque laudantem morte multarent, digna animae illius daemones dona rependerent, pro quorum diuinis operibus praedicandis humanam uitam sibi adimi non timeret; sicut martyres nostri, cum eis pro crimine obiceretur Christiana religio, qua nouerant se fieri saluos et gloriosissimos in aeternum, non eam negando temporales poenas euadere delegerunt, sed potius confitendo profitendo praedicando et pro hac omnia fideliter fortiterque tolerando et cum pia securitate moriendo leges, quibus prohibebatur, erubescere conpulerunt mutarique fecerunt. Huius autem philosophi Platonici copiosissima et disertissima extat oratio, qua crimen artium magicarum a se alienum esse defendit seque aliter non uult innocentem uideri nisi ea negando, quae non possunt ab innocente committi. At omnia miracula magorum, quos recte sentit esse damnandos, doctrinis fiunt et operibus daemonum, quos uiderit quur censeat honorandos, eos necessarios adserens perferendis ad deos precibus nostris, quorum debemus opera deuitare, si ad Deum uerum preces nostras uolumus peruenire. Deinde quaero, quales preces hominum dis bonis per daemones ad-

2 Plin. H. N. XXVIII, 1, 2, 18

2 et ei *C d e l p q s α f*; ei *a b k v* 3 ipse Apul. *v* nonquid *l*; nunc quid *s* iud. christ. *v* 8 quae haec *e* 10 spernerent *s* 19 prohibeatur l^1 26 censeat *l* honorando C^1 necess. eos *v* 27 nostris prec. *v* 28 adligari *C d* l^1 s^1

legari putat, magicas an licitas? Si magicas, nolunt tales; si licitas, nolunt per tales. Si autem peccator paenitens preces fundit, maxime si aliquid magicum admisit, itane tandem illis intercedentibus accipit ueniam, quibus inpellentibus aut fauentibus se cecidisse plangit in culpam? an et ipsi daemones, ut possint paenitentibus mereri indulgentiam, priores agunt, quod eos deceperint, paenitentiam? Hoc nemo umquam de daemonibus dixit, quia, si ita esset, nequaquam sibi auderent diuinos honores expetere, qui paenitendo desiderarent ad gratiam ueniae peruenire. Ibi enim est detestanda superbia, hic humilitas miseranda.

CAPUT XX.

An credendum sit quod di boni libentius daemonibus quam hominibus misceantur.

At enim urgens causa et artissima cogit daemones medios inter deos et homines agere, ut ab hominibus adferant desiderata, et a dis referant inpetrata. Quaenam tandem ista causa est et quanta necessitas? Quia nullus, inquiunt, Deus miscetur homini. Praeclara igitur sanctitas Dei, qui non miscetur homini supplicanti, et miscetur daemoni adroganti; non miscetur homini paenitenti, et miscetur daemoni decipienti; non miscetur homini confugienti ad diuinitatem, et miscetur daemoni fingenti diuinitatem; non miscetur homini petenti indulgentiam, et miscetur daemoni suadenti nequitiam; non miscetur homini per philosophicos libros poetas de bene instituta ciuitate pellenti, et miscetur daemoni a principibus et pontificibus ciuitatis per scaenicos ludos poetarum ludibria

3 ammisit *l* s^1; /amisit *e* 4 accepit C^1 *l* accipit ueniam *in marg. s* 10 peruenire *p s α v;* pertinere *C a b d e l q k f Domb.* 15 Ad C^1; aut *s* urguens *e l* 16 adferant *codd.;* offerant *v* ///desiderata, *erasis* dese, *C* 17 causa est ista *v* 19 Praeclara ..... homini *om. s* 20 hom. suppl. et miscentur *m. 2 in marg. C* 22 et *om. l* 23 daemoni *sup. lin. e* 25 dae *C* 27 ciuitatū, ū *m. 2 in ras., e* ludos poetarum ..... crimina *om.* C^1, *m. 2 in margine sed omisso* ludos

requirenti; non miscetur homini deorum crimina fingere prohibenti, et miscetur daemoni se falsis deorum criminibus oblectanti; non miscetur homini magorum scelera iustis legibus punienti, et miscetur daemoni magicas artes docenti et inplenti; non miscetur homini imitationem daemonis fugienti, et miscetur daemoni deceptionem hominis aucupanti.

CAPUT XXI.

An daemonibus nuntiis et interpretibus diutantur fallique se ab eis aut ignorent aut uelint.

Sed nimirum tantae huius absurditatis et indignitatis est magna necessitas, quod scilicet deos aetherios humana curantes quid terrestres homines agerent utique lateret, nisi daemones aerii nuntiarent; quoniam aether longe a terra est alteque suspensus, aer uero aetheri terraeque contiguus. O mirabilem sapientiam! Quid aliud de dis isti sentiunt, quos omnes optimos uolunt, nisi eos et humana curare, ne cultu uideantur indigni, et propter elementorum distantiam humana nescire, ut credantur daemones necessarii et ob hoc etiam ipsi putentur colendi, per quos di possint et quid in rebus humanis agatur addiscere et ubi oportet hominibus subuenire? Hoc si ita est, dis istis bonis magis notus est daemon per corpus uicinum quam homo per animum bonum. O multum dolenda necessitas, an potius inridenda uel detestanda uanitas, ne sit uana diuinitas! Si enim animo ab obstaculo corporis libero animum nostrum uidere di possunt, non ad hoc indigent daemonibus nuntiis; si autem animorum indicia corporalia, qualia sunt locutio uultus motus, per corpus suum aetherii

2 se *om. e* 6 occupanti, *in marg.* aucupanti, *e* 7 c. XXI *cum superiore cohaeret in C;* c. XXI *significatum est p. 389, 5:* Vellem 9 ut ign. *C* 10 et indignitatis *om. C*^{1} 12 laterent *C* 13 alteque] ita .... *m. 2 in ras., e* 14 conti.guus, n *eras., e* 16 et *om. C*^{1} curare/, t *eraso, C* 23 ne sit uana diuinitas *in marg. s* 25 dii uidere *v* daemon. indigent *v* 26 dae|monibus nuntiis *C* 27 uultus locutio *s v*

di sentiunt et inde colligunt quid etiam daemones nuntient, possunt et mendaciis daemonum decipi. Porro si deorum diuinitas a daemonibus non potest falli, eadem diuinitate quod agimus non potest ignorari.

Vellem autem mihi isti dicerent, utrum dis daemones nuntiauerint de criminibus deorum poetica Platoni displicere figmenta et sibi ea placere celauerint, an utrumque occultauerint deosque esse maluerint totius rei huius ignaros, an utrumque indicauerint, et religiosam erga deos Platonis prudentiam et in deos iniuriosam libidinem suam, an sententiam quidem Platonis, qua noluit deos per inpiam licentiam poetarum falsis criminibus infamari, ignotam dis esse uoluerint, suam uero nequitiam, qua ludos scaenicos amant, quibus illa deorum dedecora celebrantur, prodere non erubuerint uel timuerint. Horum quattuor, quae interrogando proposui, quodlibet eligant et in quolibet eorum quantum mali de dis bonis opinentur adtendant. Si enim primum elegerint, confessuri sunt non licuisse dis bonis habitare cum bono Platone, quando eorum iniurias prohibebat, et habitasse cum daemonibus malis, quando eorum iniuriis exultabant, cum di boni hominem bonum longe a se positum non nisi per malos daemones nossent, quos uicinos nosse non possent. Si autem secundum elegerint et utrumque occultatum a daemonibus dixerint, ut di omnino nescirent et Platonis religiosissimam legem et daemonum sacrilegam delectationem: quid in rebus humanis per internuntios daemones di nosse utiliter possunt, quando illa nesciunt, quae in honorem bonorum deorum religione bonorum hominum contra libidinem malorum daemonum decernuntur? Si uero tertium elegerint et non solum sententiam Platonis deorum iniurias prohibentem, sed etiam

3 eadem *C a b d e l p s a k;* ab eadem *q f v* 5 isti mihi *e* 7 sibi ea displicere *s* 10 liuidinem *C* 14 erubuerunt nec timuerunt *s* 15 interroganda *s* 17 *et* 23 eligerint C^1 20 exultabat e^1 22 uici nos *l* possint *d l* 24 omno ni *C* omni non scirent *d* 27 deor. bon. *s v* per religionem *s* 28 libidinum C^1 30 prohibentis, is *ex* em *corr.*, *s*

daemonum nequitiam deorum iniuriis exultantem per eosdem daemones nuntios dis innotuisse responderint: hoc nuntiare est an insultare? et di utrumque sic audiunt, sic utrumque cognoscunt, ut non solum malignos daemones deorum dignitati et Platonis religioni contraria cupientes adque facientes a suo accessu non arceant, uerum etiam per illos malos propinquos Platoni bono longinquo dona transmittant? sic enim eos elementorum quasi catenata series conligauit, ut illis, a quibus criminantur, coniungi possint, huic, a quo defenduntur, non possint, utrumque scientes, sed aeris et terrae transmutare pondera non ualentes. Iam, quod reliquum est, si quartum elegerint, peius est ceteris. Quis enim ferat, si poetarum de dis inmortalibus criminosa figmenta et theatrorum indigna ludibria suamque in his omnibus ardentissimam cupiditatem et suauissimam uoluptatem dis daemones nuntiauerunt, et quod Plato philosophica grauitate de optima re publica haec omnia censuit remouenda tacuerunt; ut iam di boni per tales nuntios nosse cogantur mala pessimorum, nec aliena, sed eorundem nuntiorum, adque his contraria non sinantur nosse bona philosophorum, cum illa sint in iniuriam, ista in honorem ipsorum deorum?

CAPUT XXII.

De abiciendo cultu daemonum contra Apuleium.

Quia igitur nihil istorum quattuor eligendum est, ne in quolibet eorum de dis tam male sentiatur, restat, ut nullo modo credendum sit, quod Apuleius persuadere nititur et quicumque alii sunt eiusdem sententiae philosophi, ita esse medios daemones inter deos et homines tamquam internuntios

1 deorum *om.* l^1 iniurias C^1 exultantis *s* 9 a quo *sup. lin. l* 10 possunt l^1 sed aeris] sideris *d* mutare *s;* transmeare *a* pond. transmut. *v* 11 relicum C^1 12 eligerint *d* 14 cupid. et suauissimam *om. e* 16 publica] post *s* 17 omnia *om. s* mouenda C^1 19 nose *C* 20 iniuria *s* honore *e s* 23 apoleium *C* 24 Quid igitur? *s* 27 philos. sunt eiusdem sent. *v*

et interpretes, qui hinc ferant petitiones nostras, inde referant deorum subpetias; sed esse spiritus nocendi cupidissimos, a iustitia penitus alienos, superbia tumidos, inuidentia liuidos, fallacia callidos, qui in hoc quidem aere habitant, quia de caeli superioris sublimitate deiecti merito inregressibilis transgressionis in hoc sibi congruo uelut carcere praedamnati sunt; nec tamen, quia supra terras et aquas aeri locus est, ideo et ipsi sunt meritis superiores hominibus, qui eos non terreno corpore, sed electo in auxilium Deo uero pia mente facillime superant. Sed multis plane participatione uerae religionis indignis tamquam captis subditisque dominantur, quorum maximae parti mirabilibus et fallacibus signis siue factorum siue praedictorum deos se esse persuaserunt. Quibusdam uero uitia eorum aliquanto adtentius et diligentius intuentibus non potuerunt persuadere quod di sint, adque inter deos et homines internuntios ac beneficiorum inpetratores se esse finxerunt; si tamen non istum saltem honorem homines eis deferendum putarunt, qui illos nec deos esse credebant, quia malos uidebant, deos autem omnes bonos uolebant, nec audebant tamen omnino indignos dicere honore diuino, maxime ne offenderent populos, a quibus eis cernebant inueterata superstitione per tot sacra et templa seruiri.

2 suppetias, *in marg.* ſuppedaſ, *e* 3 superbia tumidos *om. s* inuidia *l q* libidos C^1 l^1 4 fallacia callidos *sup. lin. C* in *om. C* qui de celiș *a* 5 ingressibilis l^1 7 qui e^1 8 sunt *om. e* 9 electum C^1 auxilio *C* dō *ex* dn̄ *corr. C* uerum *C* 11 domi..nantur, na *erasis, C* 12 partim *l* praedicatorum *e s* 13 deos *om. s* se *om. l* 16 uenefitiorum *e* 18 deos esse non cr. *l* qui C^1 *d* uidebat C^1

CAPUT XXIII.

Quid Hermes Trismegistus de idolatria senserit et unde scire potuerit superstitiones Aegyptias auferendas.

Nam diuersa de illis Hermes Aegyptius, quem Trismegistum uocant, sensit et scripsit. Apuleius enim deos quidem illos negat; sed cum dicit ita inter deos et homines quadam medietate uersari, ut hominibus aput ipsos deos necessarii uideantur, cultum eorum a supernorum deorum religione non separat. Ille autem Aegyptius alios deos esse dicit a summo Deo factos, alios ab hominibus. Hoc qui audit, sicut a me positum est, putat dici de simulacris, quia opera sunt manuum hominum; at ille uisibilia et contrectabilia simulacra uelut corpora deorum esse adserit; inesse autem his quosdam spiritus inuitatos, qui ualeant aliquid siue ad nocendum siue ad desideria nonnulla conplenda eorum, a quibus eis diuini honores et cultus obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus inuisibiles per artem quandam uisibilibus rebus corporalis materiae copulare, ut sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata et subdita simulacra, hoc esse dicit deos facere eamque magnam et mirabilem deos faciendi accepisse homines potestatem. Huius Aegyptii uerba, sicut in nostram linguam interpretata sunt, ponam. 'Et quoniam de cognatione, inquit, et consortio hominum deorumque nobis indicitur sermo, pote-

23 Apul. Asclep. p. 45, 11 Goldb.

2 trimeg. *p* 5 diuesa *C* de *om. l*¹ hermaes *C* trismegistum *C l p s v;* trimegistum *a d e;* trimegistrum *q;* trismegiston *f Domb.* 6 enim quidem illos deos *l* 7 deos et homines *C;* homines et deos *a b d e l q;* homines deosque *p s v Domb.* 9 superiorum *C* 10 esse *om. s* 12 manum *l*¹ 13 contractab. *C*¹ 15 ualent *e* nofcendum *C* nocendum dum *e* 16 eorum nonnulla compl. *s v* honoris *l* 17 inuisibilis *C*¹ 18 per .... corporalis *om. C*¹ inuisibilibus *e* 19 copularí *a* quasi *om. C*¹ 20. 21 deo *C* 23 ponamus *e* conatione *l*¹; conatione *l*²; cognitione *e* 24 deorumquale *C*

statem hominis, o Asclepi, uimque cognosce. Dominus, inquit, et Pater uel quod est summum Deus ut effector est deorum caelestium, ita homo fictor est deorum, qui in templis sunt humana proximitate contenti.' Et paulo post: 'Ita humanitas, inquit, semper memor naturae et originis suae in illa diuinitatis imitatione perseuerat, ut, sicuti Pater ac Dominus, ut sui similes essent, deos fecit aeternos, ita humanitas deos suos ex sui uultus similitudine figuraret.' Hic cum Asclepius, ad quem maxime loquebatur, ei respondisset adque dixisset: 'Statuas dicis, o Trismegiste?' tum ille: 'Statuas, inquit, o Asclepi, uides quatenus tu ipse diffidas; statuas animatas sensu et spiritu plenas tantaque facientes et talia, statuas futurorum praescias eaque sorte uate somniis multisque aliis rebus praedicentes, inbecillitates hominibus facientes easque curantes, tristitiam laetitiamque pro meritis. An ignoras, o Asclepi, quod Aegyptus imago sit caeli, aut, quod est uerius, translatio aut descensio omnium quae gubernantur adque exercentur in caelo. Ac si dicendum est uerius, terra nostra mundi totius est templum. Et tamen quoniam praescire cuncta prudentem decet, istud uos ignorare fas non est: Futurum tempus est, quo appareat Aegyptios incassum pia mente diuinitatem sedula religione seruasse.'

Deinde multis uerbis Hermes hunc locum exequitur, in quo uidetur hoc tempus praedicere, quo Christiana religio, quanto est ueracior adque sanctior, tanto uehementius et liberius cuncta fallacia figmenta subuertit, ut gratia uerissimi

10 ib. p. 46, 12

1 uimque] utcumque *s* 2 summuſ, ſ *m. 2 eraso* m, *l* 8 exui *C l* 10 Otrimegis tecū ille *d* o *om. p q s* 11 uides *codd.*; uidesne *v* quatinus *a d* 13 uate *om.* α^1; uates *b p q s* uates omnis *l* 15 laetitiam *omisso* que *l* laetitiamque afferentes *a* 17 discensio *C*; discensio *e* 18 est *ante* uerius *sup. lin. C* 20 tempus ēē *a* 21 quo *C v*; cum *rell.* diuinitate *C d* 22 *quae post* seruasse *addit v* et omnis eorum sancta ueneratio in irritum casura frustrabitur, *non exstant in codicibus* 23 hunc *in marg. l* 24 uideȧtur *C*

Saluatoris liberet hominem ab eis dis, quos facit homo, et ei Deo subdat, a quo factus est homo. Sed Hermes cum ista praedicit, uelut amicus eisdem ludificationibus daemonum loquitur, nec Christianum nomen euidenter exprimit, sed tamquam ea tollerentur adque delerentur, quorum obseruatione caelestis similitudo custodiretur in Aegypto, ita haec futura deplorans luctuosa quodam modo praedicatione testatur. Erat enim de his, de quibus dicit apostolus, quod cognoscentes Deum non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt et inmutauerunt gloriam incorrupti Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et cetera, quae commemorare longum est. Multa quippe talia dicit de uno uero Deo fabricatore mundi, qualia ueritas habet; et nescio quo modo illa obscuratione cordis ad ista delabitur, ut dis, quos confitetur ab hominibus fieri, semper uelit homines subdi et haec futuro tempore plangat auferri quasi quicquam sit infelicius homine, cui sua figmenta dominantur; cum sit facilius, ut tamquam deos colendo, quos fecit, nec ipse sit homo, quam ut per eius cultum di possint esse, quos fecit homo. Citius enim fit, ut homo in honore positus pecoribus non intellegens conparetur, quam ut operi Dei ad eius imaginem facto, id est ipsi homini, opus hominis praeferatur. Quapropter merito homo deficit ab illo qui eum fecit, cum sibi praeficit ipse quod fecit.

8 Rom. 1, 21 sqq. 23 Ps. 48, 13

2 ei *om.* α cum Hermes *v* 3 amicis *s* 4 exprimet C^1 5 obsecratione *l* 10 cognitionibus *l* 12 mutauerunt α 13 incorruptibilis $b^2 e$ dō C^1 15 alia *C* 16 haberet *s* 17 dilab. *d* 18 uelet C^1 20 homini $C^2 e^2$ 22 facit *l* Citicius *e* 26 deficit *C p q s k v;* defecit *a b d e l* α k^1 *f Domb.* praeficit *C a* b^1 *p q s k v;* praefecit b^2 *d e l* α *f Domb.*

Haec uana deceptoria, perniciosa sacrilega Hermes Aegyptius, quia tempus, quo auferrentur, uenturum sciebat, dolebat; sed tam inpudenter dolebat, quam inprudenter sciebat. Non enim haec ei reuelauerat sanctus Spiritus, sicut prophetis sanctis, qui haec praeuidentes cum exultatione dicebant: Si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt di; et alio loco: Erit in illo die, dicit Dominus, exterminabo nomina simulacrorum a terra, et non iam erit eorum memoria; proprie uero de Aegypto, quod ad hanc rem adtinet, ita sanctus Esaias prophetat: Et mouebuntur manufacta Aegypti a facie eius, et cor eorum uincetur in eis, et cetera huius modi. Ex quo genere et illi erant, qui uenturum quod sciebant uenisse gaudebant; qualis Symeon, qualis Anna, qui mox natum Iesum, qualis Elisabeth, quae etiam conceptum in Spiritu agnouit; qualis Petrus reuelante Patre dicens: Tu es Christus, filius Dei uiui. Huic autem Aegyptio illi spiritus indicauerant futura tempora perditionis suae, qui etiam praesenti in carne Domino trementes dixerunt: Quid uenisti ante tempus perdere nos? siue quia subitum illis fuit, quod futurum quidem, sed tardius opinabantur, siue quia perditionem suam hanc ipsam dicebant, qua fiebat ut cogniti spernerentur, et hoc erat ante tempus, id est ante tempus iudicii, quo aeterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum societate detinentur, sicut religio loquitur, quae nec fallit nec fallitur, non sicut iste quasi omni uento doctrinae hinc adque inde per-

5 Hierem. 16, 20 7 Zach. 13, 2 10 Esai. 19, 1 13 Lc. 2, 25 sqq.; 1, 41 sqq. 16 Matth. 16, 16 19 ib. 8, 29 26 Ephes. 4, 14

1 sacrilegia *C* 2 quo/, d *eras.*, *C* sciebat sed *omisso* dolebat *C* 3 sed tam inpudenter dolebat *om. d* quam inpudenter *e* inprudenter *utroque loco s* 4 sanctus spiritus *C e*; spir. sanctus *a d l v* *Domb.*[2] 6 faciat *e* di *C* et in *e* 7 est illo *C* 10 Isaias *v* 11 aegyptiorum *l* 13 symeon *C e l*[2]; Simeon *v* 14 IHM *sup. lin. m. 2 l* helisabeth *e s* 18 praesente *l*[1] 25 fallit, i *ex* e *corr.*, *C* 26 sicuti *s* qui quasi *a*

flatus et falsis uera permiscens dolet quasi perituram religionem, quem postea confitetur errorem.

CAPUT XXIIII.

Quo modo Hermes parentum suorum sit confessus errorem, quem tamen doluerit destruendum.

Post multa enim ad hoc ipsum redit, ut iterum dicat de dis, quos homines fecerunt, ita loquens: 'Sed iam de talibus sint satis dicta talia. Iterum, inquit, ad hominem rationemque redeamus, ex quo diuino dono [homo] animal dictum est rationale. Minus enim miranda etsi miranda sunt, quae de homine dicta sunt. Omnium enim mirabilium uicit admirationem, quod homo diuinam potuit inuenire naturam eamque efficere. Quoniam ergo proaui nostri multum errabant circa deorum rationem increduli et non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenerunt artem, qua efficerent deos. Cui inuentae adiunxerunt uirtutem de mundi natura conuenientem, eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, euocantes animas daemonum uel angelorum eas indiderunt imaginibus sanctis diuinisque mysteriis, per quas idola et bene faciendi et male uires habere potuissent.' Nescio utrum sic confiterentur ipsi daemones adiurati, quo modo iste confessus est. 'Quoniam, inquit, proaui nostri multum errrabant circa deorum rationem increduli et non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenerunt artem qua efficerent deos.' Numquidnam saltem mediocriter eos dixit errasse, ut hanc artem inuenirent faciendi deos, aut contentus fuit dicere: Errabant, nisi adderet et diceret: Multum errabant? Iste ergo

7 Apul. Ascl. p. 58, 11

2 quem *C a d l* q^1; quam *b e p* q^2 *α v* 4 modo *om. p* parentum *mss.*; patenter parentum *v* 5 tam *C* 7 omines *C* 8 inquit iterum *d* 9 [homo] *om. C d* 11 uincit *v* 17 miscente *C* /euocantes, a *eraso, C* 20 sic nec cfitent *e* 24 /efficerent, a *eraso, C* 26 inuenissent *α* contemptus *s* 27 addere/t, n *eraso, C*

multus error et incredulitas non animaduertentium ad cultum religionemque diuinam inuenit artem, qua efficeret deos. Et tamen quod multus error et incredulitas et a cultu ac religione diuina auersio animi inuenit, ut homo arte faceret deos, hoc dolet uir sapiens tamquam religionem diuinam uenturo certo tempore auferri. Vide si non et ui diuina maiorum suorum errorem praeteritum prodere, et ui diabolica poenam daemonum futuram dolere conpellitur. Si enim proaui eorum multum errando circa deorum rationem incredulitate et auersione animi a cultu ac religione diuina inuenerunt artem, qua efficerent deos: quid mirum, si, haec ars detestanda quidquid fecit auersa a religione diuina, aufertur religione diuina, cum ueritas emendat errorem, fides redarguit incredulitatem, conuersio corrigit auersionem?

Si enim tacitis causis dixisset proauos suos inuenisse artem, qua facerent deos: nostrum fuit utique, si quid rectum piumque saperemus, adtendere et uidere nequaquam illos ad hanc artem peruenturos fuisse, qua homo deos facit, si a ueritate non aberrarent, si ea, quae Deo digna sunt, crederent, si animum aduerterent ad cultum religionemque diuinam; et tamen si causas artis huius nos diceremus multum errorem hominum et incredulitatem et animi errantis adque infidelis a diuina religione auersionem, utcumque ferenda esset inpudentia resistentium ueritati. Cum uero idem ipse, qui potestatem huius artis super omnia cetera miratur in homine, qua illi deos facere concessum est, et dolet uenturum esse tempus, quo haec omnia deorum figmenta ab hominibus instituta etiam legibus iubeantur auferri, confitetur tamen adque exprimit causas, quare ad ista peruentum sit, dicens proauos suos multo errore et incredulitate et animum non aduertendo ad

1 multos *Domb.*[2] *(typoth. errore?)* 2 at *e* 4 auersio *m. 2 in ras. e* 6 tempo[re] *C* 9 u[a]ersione *C* 11 deos effic. *v* 12 aufertur a *e* 14 colligit *e*[1] 16 deos fac. *v* 19 oberrarent *l* 28 iubeant[ur] *C* expra[e]mit, *m. 2* a *in* j *corr.*, *C* 29 istam *C* sit *sup. lin. C*

cultum religionemque diuinam inuenisse hanc artem, qua facerent deos: nos quid oportet dicere, uel potius quid agere nisi quantas possumus gratias Domino Deo nostro, qui haec contrariis causis, quam instituta sunt, abstulit? Nam quod instituit multitudo erroris, abstulit uia ueritatis; quod instituit incredulitas, abstulit fides; quod instituit a cultu diuinae religionis auersio, abstulit ad unum uerum Deum sanctumqne conuersio; nec in sola Aegypto, quam solam in isto plangit daemonum spiritus, sed in omni terra, quae cantat Domino canticum nouum, sicut uere sacrae et uere propheticae litterae praenuntiarunt, ubi scriptum est: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Titulus quippe psalmi huius est: Quando domus aedificabatur post captiuitatem. Aedificatur enim domus Domino ciuitas Dei, quae est sancta ecclesia, in omni terra post eam captiuitatem, qua illos homines, de quibus credentibus in Deum tamquam lapidibus uiuis domus aedificatur, captos daemonia possidebant. Neque enim, quia deos homo faciebat, ideo non ab eis possidebatur ipse qui fecerat, quando in eorum societatem colendo traducebatur; societatem dico, non idolorum stolidorum, sed uersutorum daemoniorum. Nam quid sunt idola, nisi quod eadem scriptura dicit: Oculos habent, et non uidebunt, et quidquid tale de materiis licet adfabre effigiatis, tamen uita sensuque carentibus dicendum fuit. Sed inmundi spiritus eisdem simulacris arte illa nefaria conligati cultorum suorum animas in suam societatem redigendo mise-

11 Ps. 95, 1 16 1. Petr. 2, 5 22 Ps. 114, 5

5 multitudo] uia *s* uia *sup. lin. s* 7 abstulit ... deum *m. 2 in ras. e* 8 *prius* in *om. C*^{1} 10 *post* nouum *correctoris manu* dī domus edificatur *s* uerae sacrae *C* 11 praenuntiauerunt *l p s* 11 cante^{ta} *C* 12 *post* nouum *repetita sunt uerba* sicut uerae ..... scribtum est *C* 13 quoque *ex* quippe *corr. s* quando^{do}mus *l* 15 eam *om. p q s α* 18 homo deos *v* homo *om. l*^{1} 23 uidebunt *C l*^{1}*;* u̯id̯e̯bu̯nt uident *q;* uident *rell. v* quid *s* adfabre, d *in ras., C;* afabre *d l;* fabrae *e*

rabiliter captiuauerant. Unde dicit apostolus: Scimus quia nihil est idolum; sed quae immolant gentes, daemoniis immolant, et non Deo; nolo uos socios fieri daemoniorum. Post hanc ergo captiuitatem, qua homines a malignis daemonibus tenebantur, Dei domus aedificatur in omni terra; unde titulum ille psalmus accepit, ubi dicitur: Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, benedicite nomen eius, bene nuntiate diem ex die salutare eius. Adnuntiate in gentibus gloriam eius, in omnibus populis mirabilia eius; quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos. Quia omnes di gentium daemonia, dominus autem caelos fecit.

Qui ergo doluit uenturum fuisse tempus, quo auferretur cultus idolorum et in eos, qui colerent, dominatio daemoniorum, malo spiritu instigatus semper uolebat istam captiuitatem manere, qua transacta psalmus canit aedificari domum in omni terra. Praenuntiabat illa Hermes dolendo; praenuntiabat haec propheta gaudendo. Et quia Spiritus uictor est, qui haec per sanctos prophetas canebat, etiam Hermes ipse ea, quae nolebat et dolebat auferri, non a prudentibus et fidelibus et religiosis, sed ab errantibus et incredulis et a cultu diuinae religionis auersis esse instituta miris modis coactus est confiteri. Qui quamuis eos appellet deos, tamen cum dicit a talibus hominibus factos, quales esse utique non debemus, uelit nolit, ostendit colendos non esse ab eis, qui tales non sunt, quales fuerunt a quibus facti sunt, hoc est a prudentibus, fidelibus, religiosis; simul etiam demonstrans ipsos homines, qui eos fece-

1 1. Cor. 10, 20 7 Ps. 95, 1 sqq.

2 est *om. e* sacrificant *s* 3 et *erasum e* dō *ex* deum *corr.*, *C* 5 aedificabatur *e* 8 benedicite *C a b l q α k;* et benedicite *d e p f v* nomini *p q* 9 diem *om. e* di/e, a *eras.*, *C* salutare/, m *eras.*, *C* anuntiate *C* 12 et *C* 17 canet *C* aedificare *e* 18 omnē terram *e* 24 Qui] et *m. 2 in ras. e*

runt, sibimet inportasse, ut eos haberent deos, qui non erant di. Verum est quippe illud propheticum: Si faciet homo deos, et ecce ipsi non sunt di. Deos ergo tales, talium deos, arte factos a talibus, cum appellasset Hermes, id est idolis daemones per artem nescio quam cupiditatum suarum uinculis inligatos cum appellaret factos ab hominibus deos, non tamen eis dedit, quod Platonicus Apuleius (unde iam satis diximus et quam sit inconueniens absurdumque monstrauimus), ut ipsi essent interpretes et intercessores inter deos, quos fecit Deus, et homines, quos idem fecit Deus; hinc adferentes uota, inde munera referentes. Nimis enim stultum est credere deos, quos fecerunt homines, plus ualere aput deos, quos fecit Deus, quam ualent ipsi homines, quos idem ipse fecit Deus. Daemon quippe simulacro arte inpia conligatus ab homine factus est deus, sed tali homini, non omni homini. Qualis est ergo iste deus, quem non faceret homo nisi errans et incredulus et auersus a uero Deo? Porro si daemones, qui coluntur in templis, per artem nescio quam imaginibus inditi, hoc est uisibilibus simulacris, ab eis hominibus, qui hac arte fecerunt deos, cum aberrarent auersique essent a cultu et religione diuina, non sunt internuntii nec interpretes inter homines et deos et propter suos pessimos ac turpissimos mores, et quod homines, quamuis errantes et increduli et auersi a cultu ac religione diuina, tamen eis sine dubio meliores sunt, quos deos ipsi arte fecerunt; restat, ut, quod possunt, tamquam daemones possint, uel quasi beneficia praestando magis

2 Hierem. 16, 20

1 sibimet] uim *s* inpu/tasset, r *eras.*, *C;* portasse s^1 haberent, *in marg.* auerterent, *e* dii non erant *v* 2 illud, d *eraso* m, *C* 3 talium ḍḛọṣ *l* 4 cum appellasset Hermes *uncis inclusit Domb.* 6 appellarent *e* ab hom. factos *e* 7 iam satis *C a d e l q;* satis iam *rell. v Domb.* 12 ualere *sup. lin. l* 13 ipse *om. l* 14 si.mulacro, m *eraso*, *C* homine//////, *eraso* quippe. *s* 15 est *sup. lin. C* 16 ergo est *v* ni *C* 17 credulus *C* 22 sed deos *d* et *ante* propter *om. C a e* 24 ac] et *C* 26 quia si *s*

nocentes, quia magis decipientes, uel aperte malefaciendo (nec tamen quodlibet horum, nisi quando permittuntur alta et secreta Dei prouidentia), non autem tamquam medii inter homines et deos per amicitiam deorum multum aput homines ualeant. Hi enim dis bonis, quos sanctos angelos nos uocamus rationalesque creaturas sanctae caelestis habitationis siue sedes siue dominationes siue principatus siue potestates, amici esse omnino non possunt, a quibus tam longe absunt animi affectione, quam longe absunt a uirtutibus uitia et a bonitate malitia.

CAPUT XXV.

De his, quae sanctis angelis et hominibus bonis possunt esse communia.

Nullo modo igitur per daemonum quasi medietatem ambiendum est ad beneuolentiam seu beneficentiam deorum uel potius angelorum bonorum, sed per bonae uoluntatis similitudinem, qua cum illis sumus et cum illis uiuimus et cum illis Deum quem colunt colimus, etsi eos carnalibus oculis uidere non possumus; in quantum autem dissimilitudine uoluntatis et fragilitate infirmitatis miseri sumus, in tantum ab eis longe sumus uitae merito, non corporis loco. Non enim quia in terra condicione carnis habitamus, sed si inmunditia cordis terrena sapimus, non eis iungimur. Cum uero sanamur, ut quales ipsi sunt simus; fide illis interim propinquamus, si ab illo nos fieri beatos, a quo et ipsi facti sunt, etiam ipsis fauentibus credimus.

1 male *sup. lin. l* 2 quod l/ibet, i *ex* u *corr. C* quando *codd. excepto e, qui m. 2 correctus* quantū *habet* quando et quantum *q v* 6 creaturas .... sedes *om. l*[1] caelestes habitationes C^1 12 bonis *C p q, om. v Domb.* 14 quasi per daem. *s v* ambigendum *e* 15 beneficientiam *C a d e* 16 bonorum angelorum *v* 17 illis *ante* uiuimus *sup. lin. C* et cum illis uiuimus *om. d* 22 sed *sup. lin. C* si *sup. lin., deinde m. rec. in* quia *correctum l* 23 sapemus C^1 24 fide e^1; /idē e^2 interim illis *v* 25 ipsi pauentibus *e*

CAPUT XXVI.

Quod omnis religio paganorum circa homines mortuos fuerit inplicata.

Sane aduertendum est, quo modo iste Aegyptius, cum doleret tempus esse uenturum, quo illa auferrentur ex Aegypto, quae fatetur a multum errantibus et incredulis et a cultu diuinae religionis auersis esse instituta, ait inter cetera: 'Tunc terra ista, sanctissima sedes delubrorum adque templorum, sepulcrorum erit mortuorumque plenissima'; quasi uero, si illa non auferrentur, non essent homines morituri, aut alibi essent mortui ponendi quam in terra; et utique, quanto plus uolueretur temporis et dierum, tanto maior esset numerus sepulcrorum propter maiorem numerum mortuorum. Sed hoc uidetur dolere, quod memoriae martyrum nostrorum templis eorum delubrisque succederent. ut uidelicet, qui haec legunt animo a nobis auerso adque peruerso, putent a paganis cultos fuisse deos in templis, a nobis autem colí mortuos in sepulcris. Tanta enim homines inpii caecitate in montes quodam modo offendunt resque oculos suos ferientes nolunt uidere, ut non adtendant in omnibus litteris paganorum aut non inueniri aut uix inueniri deos, qui non homines fuerint mortuisque diuini honores delati sint. Omitto, quod Varro dicit omnes ab eis mortuos existimari manes deos et probat per ea sacra, quae omnibus fere mortuis exhibentur, ubi et ludos commemorat funebres, tamquam hoc sit maximum diuinitatis indicium, quod non soleant ludi nisi numinibus celebrari.

Hermes ipse, de quo nunc agitur, in eodem ipso libro, ubi quasi futura praenuntiando deplorans ait: 'Tunc terra

7 Apul. Ascl. p. 47, 5

3 implecata *C;* impleta *p q v* 5 auferentur *e l s* ex Aegypt. *om. s* 6 quae fatetur *m. 2 in ras. e* 14 dolere, *in marg.* dicere, *e* nostrorum *sup. lin. C* 16 praeuerso C^1 deos cultos fuisse *v* 18 monte *e* 22 sunt *s* 23 existimare *s* 24 omnibus, *in marg.* hominib;, *e* et *om. s* 27 Ermes *d* ipso eodem *v* 28 denuntiando *s*

ista, sanctissima sedes delubrorum adque templorum, sepulcrorum erit mortuorumque plenissima', deos Aegypti homines mortuos esse testatur. Cum enim dixisset proauos suos multum errantes circa deorum rationem, incredulos et non animaduertentes ad cultum religionemque diuinam, inuenisse artem, qua efficerent deos: 'Cui inuentae, inquit, adiunxerunt uirtutem de mundi natura conuenientem eamque miscentes, quoniam animas facere non poterant, euocantes animas daemonum uel angelorum eas indiderunt imaginibus sanctis diuinisque mysteriis, per quas idola et bene faciendi et male uires habere potuissent.' Deinde sequitur tamquam hoc exemplis probaturus et dicit: 'Auus enim tuus, o Asclepi, medicinae primus inuentor, cui templum consecratum est in monte Libyae circa litus crocodilorum, in quo eius iacet mundanus homo, id est corpus; reliquus enim, uel potius totus, si est homo totus in sensu uitae, melior remeauit in caelum, omnia etiam nunc hominibus adiumenta praestans infirmis numine nunc suo, quae solent medicinae arte praeberi.' Ecce dixit mortuum coli pro deo in eo loco, ubi habebat sepulcrum, falsus ac fallens, quod remeauit in caelum. Adiungens deinde aliud 'Hermes, inquit, cuius auitum mihi nomen est, nonne in sibi cognomine patria consistens omnes mortales undique uenientes adiuuat adque conseruat?' Hic enim Hermes maior, id est Mercurius, quem dicit auum suum fuisse, in Hermopoli, hoc est in sui nominis ciuitate, esse perhibetur. Ecce duos deos dicit homines fuisse, Aesculapium et Mercurium. Sed de Aescu-

6 ib. p. 58, 19 20 ib. p. 59, 1

8 potuerant *C* 12 et dicit] edicit *e* tuus] totus *C* 14 crocodillorum *a e l;* corcodyllorum *s;* crocot illorū *d* 16 sensu *sup. lin. C* meauit C^1 etiam] et enim *s* 17 suo quae solent C^1*;* suo quae solet *d e l p q s α f;* quo solet, *omisso* suo, k^1*;* quoque solet C^2 *a b;* suo quae ante solebat *Apul. v;* suo quae solebat *Domb.* 18 artē *e* praeberi *scripsi;* praebere (praeuere C^1) *codd. v* 20 alius *p* 21 inquit] autem *C* habitum *e s* est *om. s* cognominata *p s* 22 mortali C^1 25 perhibetur, *in marg.* testatur, *e* 26 de/, a *eras., C;* dea *d*

lapio et Graeci et Latini hoc idem sentiunt; Mercurium autem multi non putant fuisse mortalem, quem tamen iste auum suum fuisse testatur. At enim alius est ille, alius iste, quamuis eodem nomine nuncupentur. Non multum pugno, alius ille sit, alius iste; uerum et iste; sicut Aesculapius, ex homine deus secundum testimonium tanti aput suos uiri, huius Trismegisti, nepotis sui.

Adhuc addit et dicit: 'Isin uero Osiris quam multa bona praestare propitiam, quantis obesse scimus iratam!' Deinde ut ostenderet ex hoc genere esse deos, quos illa arte homines faciunt (unde dat intellegi daemones se opinari ex hominum mortuorum animis extitisse, quos per artem, quam inuenerunt homines multum errantes, increduli et inreligiosi, ait inditos simulacris, quia hi, qui tales deos faciebant, animas facere non utique poterant), cum de Iside dixisset, quod commemoraui, 'quantis obesse scimus iratam', secutus adiunxit: 'Terrenis etenim dis adque mundanis facile est irasci, utpote qui sint ab hominibus ex utraque natura facti adque conposiți.' 'Ex utraque natura' dicit ex anima et corpore, ut pro aňima sit daemon, pro corpore simulacrum. 'Unde contigit, inquit, ab Aegyptiis haec sancta animalia nuncupari colique per singulas ciuitates eorum animas, quorum sunt consecratae uiuentes, ita ut eorum legibus incolantur et eorum nominibus nuncupentur.' Ubi est illa uelut querela luctuosa, quod terra Aegypti, sanctissima sedes delubrorum adque templorum, sepulcrorum futura esset mortuorumque plenissima? Nempe spiritus fallax, cuius instinctu Hermes ista dicebat, per eum ipsum coactus est confiteri iam tunc illam terram sepulcrorum et mortuorum, quos pro dis colebant, fuisse plenissimam. Sed

3 est iste, alius ille *s* 5 et *om. s* 6 trimeg. *e* 8 ysin *a;* his in *d;* sin *s* Isidem uero uel osiris *q;* sin uero isidis, *in marg.* osiris, *e* uxorem osiris a^2v 14 quia hi *om. s* utique facere non *s* 15 de Iside] de his idem *l* commemoras *s* 17 terrens *e* 23 numin. *C* 24 uelut *sup. lin. e* querella C^1l^1; querilla d^1 27 extinctu *C* ita C^1 28 quo actus *d*

dolor daemonum per eum loquebatur, qui suas futuras poenas aput sanctorum martyrum memorias inminere maerebant. In multis enim talibus locis torquentur et confitentur et de possessis hominum corporibus eiciuntur.

CAPUT XXVII.

De modo honoris, quem Christiani martyribus inpendunt.

Nec tamen nos eisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra et sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum nobis est Deus. Honoramus sane memorias eorum tamquam sanctorum hominum Dei, qui usque ad mortem corporum suorum pro ueritate certarunt, ut innotesceret uera religio falsis fictisque conuictis; quod etiam si qui antea sentiebant, timendo reprimebant. Quis autem audiuit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum corpus martyris ad Dei honorem cultumque constructum, dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre uel Paule uel Cypriane, cum aput eorum memorias offeratur Deo, qui eos et homines et martyres fecit et sanctis suis angelis caelesti honore sociauit, ut ea celebritate et Deo uero de illorum uictoriis gratias agamus et nos ad imitationem talium coronarum adque palmarum eodem inuocato in auxilium ex illorum memoriae renouatione adhortemur? Quaecumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra uel sacrificia mortuorum tamquam deorum. Quicumque etiam epulas suas eo deferunt (quod quidem a Christianis melioribus non fit, et in plerisque terrarum nulla talis est consuetudo) — tamen quicumque id faciunt, quas

5 c. XXVII *in indice capitulorum cod. p* lib. VIIII, c. I 11 tamquam . . . . . suorum *om.* C^1 13 factisq; l^1 15 sanctum *om. s* 17 petri uel pauli uel cypriani *s* 19 martyres, e *ex* a *corr.*, *C* suis *om.* e^1 20 uictoria *e* 22 uocato C^1 ad *C* renouationem *C* 23 adortemur *l* 25 tam quam *C* 26 a *om. s* 28 est *om. s* quas cum] quascumque αk^2

cum adposuerint, orant et auferunt, ut uescantur uel ex eis etiam indigentibus largiantur, sanctificari sibi eas uolunt per merita martyrum in nomine domini martyrum. Non autem esse ista sacrificia martyrum nouit, qui nouit unum, quod etiam illic offertur, sacrificium Christianorum.

Nos itaque martyres nostros nec diuinis honoribus nec humanis criminibus colimus, sicut colunt illi deos suos, nec sacrificia illis offerimus, nec eorum probra in eorum sacra conuertimus. Nam de Iside, uxore Osiris, Aegyptia dea, et de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur (quibus parentibus suis illa cum sacrificaret, inuenit hordei segetem adque inde spicas marito regi et eius consiliario Mercurio demonstrauit, unde eandem et Cererem uolunt), quae et quanta mala non a poetis, sed mysticis eorum litteris memoriae mandata sint, sicut Leone sacerdote prodente ad Olympiadem matrem scribit Alexander, legant qui uolunt uel possunt, et recolant qui legerunt, et uideant quibus hominibus mortuis uel de quibus eorum factis tamquam dis sacra fuerint instituta. Absit ut eos, quamuis deos habeant, sanctis martyribus nostris, quos tamen deos non habemus, ulla ex parte audeant comparare. Sic enim non constituimus sacerdotes nec offerimus sacrificia martyribus nostris, quia incongruum indebitum inlicitum est adque uni Deo tantummodo debitum, ut nec criminibus suis nec ludis eos turpissimis oblectemus, ubi uel flagitia isti celebrant deorum suorum, si, cum homines essent, talia commiserunt, uel conficta delectamenta daemonum noxiorum,

2 largiuntur α sanctificare C^1 5 illiconfertur *C* 8 offerimus *sup. lin. C* deorum probra *Domb. nihil tamen de uaria scriptura adnotans* sacrificia *sup. lin., in marg.:* sacra, *e* 9 de Iside] de isto *d;* difide e^1 11 suis *om. C* 12 merito, *in marg.* marito, *e* 14 a *sup. lin. l* sed a *l* litteris eorum *C* 18 sacrificauerint, *inter columnas* sacra fuerint, *in marg. m. 2* sacrificia instituti sint, *e* 20 tam *C* nos deos *m. 2 in ras., e* 23 est *om. s* 24 ne C^1 oblectemur C^1 26 conficta,menta *C*

si homines non fuerunt. Ex isto genere daemonum Socrates non haberet deum, si haberet deum; sed fortasse homini ab illa arte faciendi deos alieno et innocenti illi inportauerint talem deum, qui eadem arte excellere uoluerunt. Quid ergo plura? Non esse spiritus istos colendos propter uitam beatam, quae post mortem futura est, nullus uel mediocriter prudens ambigit. Sed fortasse dicturi sunt deos quidem esse omnes bonos, daemones autem alios malos, alios bonos, et eos, per quos ad uitam in aeternum beatam perueniamus, colendos esse censebunt, quos bonos opinantur. Quod quale sit iam in uolumine sequenti uidendum est.

LIBER VIIII.

CAPUT I.

Ad quem articulum disputatio praemissa peruenerit et quid discutiendum sit de residua quaestione.

Et bonos et malos deos esse quidam opinati sunt; quidam uero de dis meliora sentientes tantum eis honoris laudisque tribuerunt, ut nullum deorum malum credere auderent. Sed illi, qui deos quosdam bonos, quosdam malos esse dixerunt, daemones quoque appellauerunt nomine deorum, quamquam et deos, sed rarius, nomine daemonum, ita ut ipsum Iouem, quem uolunt esse regem ac principem ceterorum, ab Homero fateantur daemonem nuncupatum. Hi autem, qui omnes deos non nisi bonos esse adserunt et longe praestantiores eis ho-

1 demonum, *in marg.* demoniorū, *e* 2 haberent *e;* habebat *a* si haberet deum *om.* C^1 *a d, manu rec. sup. lin.* *C* 3 inportauerunt l^1 7 dicituri *l* 8 alios uonos alios malos *s* 9 ad///uitam *C* in *om. e* aeternā, ā *m. 2 in ras., e* 10 esse] eos *e* censebunt *om. e* *In fine libri* ctuli *C* AVRELI. AVGVSTINI. EPI. | DE CIVITATE DI. CONTRA | PAGANOS. FINIT. LIB. VIII. | INC. LIB. VIIII. | IN DNO AMEN. *C Hic desinit codex d* 17 laudisque] ludis// *e* 18 credere auderent] crederent *s*

minibus, qui perhibentur boni, merito mouentur daemonum factis, quae negare non possunt, eaque nullo modo a dis, quos omnes bonos uolunt, committi posse existimantes differentiam inter deos et daemones adhibere coguntur, ut, quidquid eis merito displicet in operibus uel affectibus prauis, quibus uim suam manifestant occulti spiritus, id credant esse daemonum, non deorum. Sed quia eosdem daemones inter homines et deos ita medios constitutos putant, tamquam nullus deus homini misceatur, ut hinc perferant desiderata, inde referant inpetrata, adque hoc Platonici, praecipui philosophorum ac nobilissimi, sentiunt, cum quibus uelut cum excellentioribus placuit istam examinare quaestionem, utrum cultus plurimorum deorum prosit ad consequendam uitam beatam quae post mortem futura est: libro superiore quaesiuimus, quo pacto daemones, qui talibus gaudent, qualia boni et prudentes homines auersantur et damnant, id est sacrilega flagitiosa facinerosa non de quolibet homine, sed de ipsis dis figmenta poetarum et magicarum artium sceleratam puniendamque uiolentiam, possint quasi propinquiores et amiciores dis bonis conciliare homines bonos, et hoc nulla ratione posse compertum est.

CAPUT II.

An inter daemones, quibus di superiores sunt, sit aliqua pars bonorum, quorum praesidio ad ueram beatitudinem possit humana anima peruenire.

Proinde hic liber, sicut in illius fine promisimus, disputationem continere debebit de differentia (si quam uolunt esse) non deorum inter se, quos omnes bonos dicunt, nec de diffe-

1 boni perhib. *v* 2 quae] quia *s* 4 et homines, *in marg. m. 2* ł daemones, *C* 7 qui *s* 10 philos. praecipui *e* 11 sentiant *s* cum *om. e* 16 aduersantur, *in marg.:* spernunt detestantur *e* id est, *in marg.* ideo, *e* 17 facinerosa *C l k*^{1}; facinorosa *a*^{1} *b*^{1} *p v*; ac facinor. *a*^{2} *b*^{2} 23 di] de *C* 27 de *om. e*^{1} 28 derum *C* nec] sed *m. 2 in ras. e*

rentia deorum et daemonum, quorum illos ab hominibus longe alteque seiungunt, istos inter deos et homines conlocant; sed de differentia ipsorum daemonum, quod ad praesentem pertinet quaestionem. Aput plerosque enim usitatum est dici, alios bonos alios malos daemones; quae siue sit etiam Platonicorum, siue quorumlibet sententia, nequaquam eius est neglegenda discussio, ne quisquam uelut daemones bonos sequendos sibi esse arbitretur, per quos tamquam medios dis, quos omnes bonos credit, dum conciliari adfectat et studet, ut quasi cum eis possit esse post mortem, inretitus malignorum spirituum deceptusque fallacia longe aberret a uero Deo, cum quo solo et in quo solo et de quo solo anima humana, id est rationalis et intellectualis, beata est.

CAPUT III.

Quae daemonibus Apuleius adscribat, quibus cum rationem non subtrahat, nihil uirtutis adsignat.

Quae igitur est differentia daemonum bonorum et malorum? Quando quidem Platonicus Apuleius de his uniuersaliter disserens et tam multa loquens de aeriis eorum corporibus de uirtutibus tacuit animorum, quibus essent praediti, si essent boni. Tacuit ergo beatitudinis causam, indicium uero miseriae tacere non potuit, confitens eorum mentem, qua rationales esse perhibuit, non saltem inbutam munitamque uirtute passionibus animi inrationabilibus nequaquam cedere, sed ipsam quoque, sicut stultarum mentium mos est, procellosis quodam modo perturbationibus agitari. Verba namque eius de hac re ista sunt: 'Ex hoc ferme daemonum numero, inquit, poetae

27 de deo Socr. p. 15, 13 Goldb.

1 illos] alios *m. 2 in ras. e* 2 alteque *C a* k^1; lateque *b l p q s* α k^2 *f v*; lateque disiungunt *m. 2 in ras. e* 3 differentia *C* de *om. s* 5 Platon. philosophorum *e* 8 deos *l* 9 credidit *e* 10 ut] et *e* 13 rationabilis *s* 19 disputans *l* 21 si *om. s* boni essent *v* 23 minutamq., *in marg.* ł munitam, *C* 24 inrationalibus *l* edere *e*

solent haudquaquam procul a ueritate osores et amatores quorundam hominum deos fingere; hos prosperare et euehere, illos contra aduersari et adfligere; igitur et misereri et indignari, et angi et laetari omnemque humani animi faciem pati, simili motu cordis et salo mentis per omnes cogitationum aestus fluctuare. Quae omnes turbelae tempestatesque procul a deorum caelestium tranquillitate exulant.' Num est in his uerbis ulla dubitatio, quod non animorum aliquas inferiores partes, sed ipsas daemonum mentes, quibus rationalia sunt animalia, uelut procellosum salum dixit passionum tempestate turbari? ut ne hominibus quidem sapientibus conparandi sint, qui huius modi perturbationibus animorum, a quibus humana non est inmunis infirmitas, etiam cum eas huius uitae condicione patiuntur, mente inperturbata, resistunt, non eis cedentes ad aliquid adprobandum uel perpetrandum, quod exorbitet ab itinere sapientiae et lege iustitiae; sed stultis mortalibus et iniustis non corporibus, sed moribus similes (ut non dicam deteriores, eo quo uetustiores et debita poena insanabiles) ipsius quoque mentis, ut iste appellauit, salo fluctuant, nec in ueritate adque uirtute, qua turbulentis et prauis affectionibus repugnatur, ex ulla animi parte consistunt.

CAPUT IIII.

De perturbationibus, quae animo accidunt, quae sit Peripateticorum Stoicorumque sententia.

Duae sunt sententiae philosophorum de his animi motibus, quae Graeci πάθη, nostri autem quidam, sicut Cicero, perturbationes, quidam affectiones uel affectus, quidam uero,

1 aut quaquam, aut *m. 2 in* h aud *corr.*, *C* so ores *e* 3 auersari *s* et *ante* mis. *om. l* miseri e^1 6 turbulae *e* s^2 7 exultant C^1, exol/ant C^2; exolant l^1; excolant *s* 9 partes *sup. lin. e* ipsas *m. 2 in ras. e* mentes, es *m. 2 in ras., e* 10 salum *sup. lin. C* 12 qui/, *littera erasa, C* 14 inturbata l^1 18 *uerba* eo *usque ad* debita *m. 2 in ras. e* quod *s* insanabilis C^1 26 graece *l* pathen *s* quiquam *s*

sicut iste de Graeco expressius, passiones uocant. Has ergo perturbationes siue affectiones siue passiones quidam philosophi dicunt etiam in sapientem cadere, sed moderatas rationique subiectas, ut eis leges quodam modo, quibus ad necessarium redigantur modum, dominatio mentis inponat. Hoc qui sentiunt, Platonici sunt siue Aristotelici, cum Aristoteles discipulus Platonis fuerit, qui sectam Peripateticam condidit. Aliis autem, sicut Stoicis, cadere ullas omnino huiusce modi passiones in sapientem non placet. Hos autem, id est Stoicos, Cicero in libris de finibus bonorum et malorum uerbis magis quam rebus aduersus Platonicos seu Peripateticos certare conuincit; quando quidem Stoici nolunt bona appellare, sed commoda corporis et externa, eo quod nullum bonum uolunt esse hominis praeter uirtutem, tamquam artem bene uiuendi, quae non nisi in animo est. Haec autem isti simpliciter et ex communi loquendi consuetudine appellant bona; sed in conparatione uirtutis, qua recte uiuitur, parua et exigua. Ex quo fit, ut ab utrisque quodlibet uocentur, seu bona seu commoda, pari tamen aestimatione pensentur, nec in hac quaestione Stoici delectentur nisi nouitate uerborum. Videtur ergo mihi etiam in hoc, ubi quaeritur utrum accidant sapienti passiones animi, an ab eis sit prorsus alienus, de uerbis eos potius quam de rebus facere controuersiam. Nam et ipsos nihil hinc aliud quam Platonicos et Peripateticos sentire existimo, quantum ad uim rerum adtinet, non ad uocabulorum sonum.

Ut enim alia omittam, quibus id ostendam, ne longum faciam, aliquid unum quod sit euidentissimum dicam. In libris, quibus titulus est Noctium Atticarum, scribit A. Gellius, uir

1 sicut iste *m. 2 in ras. e* 4 ad *sup. lin. l* 8 sicut/ istoici fcandere illas *s* omnino ullas *C* 9 insipientem C^1 11 couincit *C* 12 istoici *s* sed commoda *m. 2 in ras. e* 13 et *om. a* eterna *p* 16 corporatione *s* 17 parueexigua *l* 18 uocetur *s* 19 extimatione *l* pensetur *s* 20 istoici *s* 25 sonum, on *m. 2 in ras. C* 27 aliquidi *l m. 2 corr.* euidentissime s^1 28 uir *om. a*

elegantissimi eloquii et multae undecumque scientiae, se nauigasse aliquando cum quodam philosopho nobili Stoico. Is philosophus, sicut latius et uberius, quod ego breuiter adtingam, narrat A. Gellius, cum illud nauigium horribili caelo et mari periculosissime iactaretur, ui timoris expalluit. Id animaduersum est ab eis, qui aderant, quamuis in mortis uicinia curiosissime adtentis, utrumne philosophus animo turbaretur. Deinde tempestate transacta mox ut securitas praebuit conloquendi uel etiam garriendi locum, quidam ex his, quos nauis illa portabat, diues luxuriosus Asiaticus philosophum conpellat inludens, quod extimuisset adque palluisset, cum ipse mansisset intrepidus in eo quod inpendebat exitio. At ille Aristippi Socratici responsum rettulit, qui cum in re simili eadem uerba ab homine simili audisset, respondit illum pro anima nequissimi nebulonis merito non fuisse sollicitum, se autem pro Aristippi anima timere debuisse. Hac illo diuite responsione depulso postea quaesiuit A. Gellius a philosopho non exagitandi animo, sed discendi, quaenam illa ratio esset pauoris sui. Qui ut doceret hominem sciendi studio nauiter accensum, protulit statim de sarcinula sua Stoici Epicteti librum, in quo ea scripta essent, quae congruerent decretis Zenonis et Chrysippi, quos fuisse Stoicorum principes nouimus. In eo libro se legisse dicit A. Gellius hoc Stoicis placuisse, quod animi uisa, quas appellant phantasias, nec in potestate est utrum et quando incidant animo, cum ueniunt ex terribilibus et formidabilibus rebus, necesse est etiam sapientis

4 XVIIII, c. 1

1 multae undecumque *p;* multae unde C^1 *l s, (in l in marg.* ualde*);* multe eunde αf; m. ac fecunde *q;* multae ac facundae C^2 *a b e k v Domb.; 'scribere malim* multae ac profundae' *Domb.* 7 utrumne *C p s v;* utrum nec l^1; utrum necne *a b e* l^2 *q* α *k* f *Domb.* 9 loquendi $a \alpha f$ 10 luxoriosus *C* 11 compellabat *e* existimuisset *C* 13 qui *m. 2 in fine uersus C* 20 sarcinola *e* stoice e^1 22 crhys. *l;* chirs. *e* quo e^1 24 phansias l^1 25 ueniant *e l s* terribilius et formidabilius *s* 26 rebus *om. s* sap. animum] sapientissimum *s*

animum moueant, ita ut paulisper uel pauescat metu, uel tristitia contrahatur, tamquam his passionibus praeuenientibus mentis et rationis officium; nec ideo tamen in mente fieri opinionem mali, nec adprobari ista eisque consentiri. Hoc enim esse uolunt in potestate idque interesse censent inter animum sapientis et stulti, quod stulti animus eisdem passionibus cedit adque adcommodat mentis adsensum; sapientes autem, quamuis eas necessitate patiantur, retinent tamen de his, quae adpetere uel fugere rationabiliter debent, ueram et stabilem inconcussa mente sententiam. Haec ut potui non quidem commodius A. Gellio, sed certe breuius et, ut puto, planius exposui, quae ille se in Epicteti libro legisse commemorat eum ex decretis Stoicorum dixisse adque sensisse.

Quae si ita sunt, aut nihil aut paene nihil distat inter Stoicorum aliorumque philosophorum opinionem de passionibus et perturbationibus animorum; utrique enim mentem rationemque sapientis ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortasse dicunt eas in sapientem non cadere Stoici, quia nequaquam eius sapientiam, qua utique sapiens est, ullo errore obnubilant aut labe subuertunt. Accidunt autem animo sapientis salua serenitate sapientiae propter illa, quae commoda uel incommoda appellant, quamuis ea nolint dicere bona uel mala. Nam profecto si nihili penderet eas res ille philosophus, quas amissurum se naufragio sentiebat, sicuti est uita ista salusque corporis, non ita illud periculum perhorresceret, ut palloris etiam testimonio proderetur. Verum tamen et illam poterat permotionem pati, et fixam tenere mente sententiam, uitam illam salutemque corporis, quorum amissionem minabatur tem-

3 inmen te *C* 5 inter ni v amo *C* 6 sapienti *C* eisdem *om. e;* eisque *l* 7 adque *om. e* 7 *sqq.* sapientes (sapientis l^1)—patiantur, retinent—debent *C a b l s α ζ;* sapientis—patiatur, retinet—debet *e p q v Domb.* 9 effugere *e* 11 agellio *m. 1 corr. in fine uersus C* 14 ut pene *s* 17 rationem *omisso* que C^1 20 laue C^1; lebe e^1 accedunt *C l* autem| enim *s* 21 uel incommoda *om.* C^1 22 uel bona uel *e* 23 nichil *b* 24 se *om. s* sicut *b l* 26 et *om. l* 27 mentis *C*

pestatis inmanitas, non esse bona, quae illos quibus inessent facerent bonos, sicut facit iustitia. Quod autem aiunt ea nec bona appellanda esse, sed commoda: uerborum certamini, non rerum examini deputandum est. Quid enim interest, utrum aptius bona uocentur an commoda, dum tamen ne his priuetur non minus Stoicus quam Peripateticus pauescat et palleat, ea non aequaliter appellando, sed aequaliter aestimando? Ambo sane, si bonorum istorum seu commodorum periculis ad flagitium uel facinus urgeantur, ut aliter ea retinere non possint, malle se dicunt haec amittere, quibus natura corporis salua et incolumis habetur, quam illa committere, quibus iustitia uiolatur. Ita mens, ubi fixa est ista sententia, nullas perturbationes, etiamsi accidunt inferioribus animi partibus, in se contra rationem praeualere permittit; quin immo eis ipsa dominatur eisque non consentiendo et potius resistendo regnum uirtutis exercet. Talem describit etiam Vergilius Aenean, ubi ait:

Mens inmota manet, lacrimae uoluuntur inanes.

CAPUT V.

Quod passiones, quae Christianos animos adficiunt, non in uitium trahant, sed uirtutem exerceant.

Non est nunc necesse copiose ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus doceat scriptura diuina, qua Christiana eruditio continetur. Deo quippe [illam] ipsam mentem subicit regendam et iuuandam mentique passiones ita moderandas

17 Aen. IIII. 449

2 bonos *m. 2 in ras. e* 3 uerborum *m. 2 in ras. e* 4 utrum ea *m. 2 rescripta, e* 7 extimando l^1 ambos'| tamen ne si *e* 8 istorum] stoicorum *l s* 9 uel *om. e* retine^{re} *C* 10 mallere^{r} *C* 11 iniustitia, in *lineolis deletum, C* 12 uiolatur] colatur *s* 13 accidunt *b e p s α k f*; accedunt *C;* accedit *a;* accedant *l;* accidant *q v* 14 eis *om. s* ipsa dominatur eis *p* 15 et] sed *p v* et potius resistendo *sup. lin. C* 16 discribit *l* 20 trahunt *C* 22 dina^{ui} *C* 23 [illam] *om.* C^1; illa *p s α Domb.;* illam *m. rec. sup. lin. C, rell. v* mentem] manentem *s* subicimus *e*

adque frenandas, ut in usum iustitiae conuertantur. Denique in disciplina nostra non tam quaeritur utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro adflicto ut liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat. Nam et misericordiam Stoicorum est solere culpare; sed quanto honestius ille Stoicus misericordia perturbaretur hominis liberandi quam timore naufragii. Longe melius et humanius et piorum sensibus adcommodatius Cicero in Caesaris laude locutus est, ubi ait: 'Nulla de uirtutibus tuis nec admirabilior nec gratior misericordia est.' Quid est autem misericordia nisi alienae miseriae quaedam in nostro corde conpassio, qua utique si possumus subuenire conpellimur? Seruit autem motus iste rationi, quando ita praebetur misericordia, ut iustitia conseruetur, siue cum indigenti tribuitur, siue cum ignoscitur paenitenti. Hanc Cicero locutor egregius non dubitauit appellare uirtutem, quam Stoicos inter uitia numerare non pudet, qui tamen, ut docuit liber Epicteti, nobilissimi Stoici, ex decretis Zenonis et Chrysippi, qui huius sectae primas habuerunt, huiusce modi passiones in animum sapientis admittunt, quem uitiis omnibus liberum uolunt. Unde fit consequens, ut haec ipsa non putent uitia, quando sapienti sic accidunt, ut contra uirtutem mentis rationemque nihil possint, et una sit eademque sententia Peripateticorum uel etiam Platonicorum et ipsorum Stoicorum, sed, ut ait

11 Lig. c. 12

1 usum *a b e l p q s α k f;* usu *C;* usus *v* iusticia *e* 3 sed ..... timeat *om. l; in marg. m. 2* sed quare tristetur. nec utrū timeat. 4 nec u. timeat *m. 2 in ras. e* sed quid timeat *sup. lin. C* 8 quato *C* 9 naufragi C^1 10 sensibus *sup. lin. C* 12 est *om. C* autem est *e* 14 consubuenire *e* 17 hanc *m. 2 in ras. e;* haec *l* loquitur *l* 18 hanc non *l* 19 &picteti *e* 20 et crysippi qui huius *m. 2 in ras. e* crisyppi *C* 21 huiusmodi *v* et in *e* animos *s* 24 accedunt *l* 25 nil *C*

Tullius, uerbi controuersia iam diu torqueat homines Graeculos contentionis cupidiores quam ueritatis. Sed adhuc merito quaeri potest, utrum ad uitae praesentis pertineat infirmitatem etiam in quibusque bonis officiis huiusce modi perpeti affectus, sancti uero angeli et sine ira puniant, quos accipiunt aeterna Dei lege puniendos, et miseris sine miseriae conpassione subueniant, et periclitantibus eis, quos diligunt, sine timore opitulentur; et tamen istarum nomina passionum consuetudine locutionis humanae etiam in eos usurpentur propter quandam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem, sicut ipse Deus secundum scripturas irascitur, nec tamen ulla passione turbatur. Hoc enim uerbum uindictae usurpauit effectus, non illius turbulentus affectus.

CAPUT VI.

Quibus passionibus daemones confitente Apuleio exagitentur, quorum ope homines aput deos adserit adiuuari.

Qua interim de sanctis angelis quaestione dilata uideamus quem ad modum dicant Platonici medios daemones inter deos et homines constitutos istis passionum aestibus fluctuare. Si enim mente ab his libera eisque dominante motus huiusce modi paterentur, non eos diceret Apuleius simili motu cordis et salo mentis per omnes cogitationum aestus fluctuare. Ipsa igitur mens eorum, id est pars animi superior, qua rationales sunt, in qua uirtus et sapientia, si ulla eis esset, passionibus turbulentis inferiorum animi partium regendis moderandisque

1 de orat. I, 11 22 de deo Socr. p. 15, 18

1 torqueat C^2 *a b l p s;* torque ad C^1*;* torquet *e q k* f^2 homines, *in marg.* oñſ, *e* 2 adhac C^1 5 sancti////angeli *b* (cum) puniunt, iunt *m. 2 in ras., e* accipiant *C* 6 Dei *om. l* sime *C* 8 consuetudo *l* 9 propter *m. 2 ex* per *corr. C* 15 apuleio, o *ex* u *corr., C* 16 exagitantur *p* 19 quemammodum C^1 20 ipsi, *in marg. m. rec.* istis, *C* 21 libera eisque dominante *om.* C^1 22 non eos diceret *om.* C^1 23 salus *s* 26 inferiorū *ex* inferioribus *corr. s* partibus *s*

dominaretur, — ipsa, inquam, mens eorum, sicut iste Platonicus confitetur, salo perturbationum fluctuat. Subiecta est ergo mens daemonum passionibus libidinum formidinum irarum adque huiusce modi ceteris. Quae igitur pars in eis libera est composque sapientiae, qua placeant dis et ad bonorum morum similitudinem hominibus consulant, cum eorum mens passionum uitiis subiugata et obpressa, quidquid rationis naturaliter habet, ad fallendum et decipiendum tanto acrius intendat, quanto eam magis possidet nocendi cupiditas?

CAPUT VII.

Quod Platonici figmentis poetarum infamatos adserant deos de contrariorum studiorum certamine, cum hae partes daemonum, non deorum sint.

Quod si quisquam dicit, non ex omnium, sed ex malorum daemonum numero esse, quos poetae quorundam hominum osores et amatores deos non procul a ueritate confingunt (hos enim dixit Apuleius salo mentis per omnes cogitationum aestus fluctuare): quo modo istud intellegere poterimus, quando, cum hoc diceret, non quorundam, id est malorum, sed omnium daemonum medietatem propter aeria corpora inter deos et homines describebat? Hoc enim ait fingere poetas, quod ex istorum daemonum numero deos faciunt et eis deorum nomina inponunt et quibus uoluerint hominibus ex his amicos inimicosque distribuunt ficti carminis inpunita licentia, cum deos ab his daemonum moribus et caelesti loco et beatitudinis opulentia remotos esse perhibeat. Haec est ergo fictio poetarum deos dicere, qui di non sunt, eosque sub deorum no-

21 ib. p. 15, 13 sqq.

1 ipsam *C* inquid *s* 2 salus *s* fluctuaret *C* 3 formidinum *sup. lin. C* 4 huius modi *C s* 5 ad] a *s* 6 similitudine *s* 18 istuc *C* 19 id est *om. e* malorum *m. 2 in ras. e* 20 mediantem *s* 21 *et* p. 418, 4 discrib. *l* 24 car^{minis} *C* 26 perhibeat *p Domb.*^{2}; peri^{h}beat *s;* perhibeant *rell. v* est *om. l p*^{1} ergo] enim *p*

minibus inter se decertare propter homines, quos pro studio partium diligunt uel oderunt. Non procul autem a ueritate dicit hanc esse fictionem, quoniam deorum appellati uocabulis, qui di non sunt, tales tamen describuntur daemones, quales sunt. Denique hinc esse dicit Homericam illam Mineruam, 'quae mediis coetibus Graium cohibendo Achilli interuenit.' Quod ergo Minerua illa fuerit, poeticum uult esse figmentum, eo quod Mineruam deam putat eamque inter deos, quos omnes bonos beatosque credit, in alta aetheria sede conlocat, procul a conuersatione mortalium; quod autem aliquis daemon fuerit Graecis fauens Troianisque contrarius, sicut alius aduersus Graecos Troianorum opitulator, quem Veneris seu Martis nomine idem poeta commemorat, quos deos iste talia non agentes in habitationibus caelestibus ponit, et hi daemones pro eis, quos amabant, contra eos, quos oderant, inter se decertauerint, hoc non procul a ueritate poetas dixisse confessus est. De his quippe ista dixerunt, quos hominibus simili motu cordis et salo mentis per omnes cogitationum aestus fluctuare testatur, ut possint amores et odia non pro iustitia, sed sicut populus similis eorum in uenatoribus et aurigis secundum suarum studia partium pro aliis aduersus alios exercere. Id enim uidetur philosophus curasse Platonicus, ne, cum haec a poetis canerentur, non a daemonibus mediis, sed ab ipsis dis, quorum nomina poetae fingendo ponunt, fieri crederentur.

5 ib. p. 15, 2

3 finctionem *e s* 5 homerus mineruam, *m. rec. corr., a* 6 mediis] diis C^1 a^2 *l* cetibus *a* Graium] gradum *C;* gratum *s;* grauem a^2 cohibendo, n *super* h *scripto* (= coniuendo) *s* achille, e *ex* i *corr., a* 8 putet *l* 14 caelest. habitat. *v* hi] id *e* 15 amant *s* 16 de is *s* 18 testantur *s* 19 possint *C l;* possent *a b e p v Domb.* sed *om. l* 20 similes C^1 aurigis, *in marg.* auguriis, *e* 21 excere *C* 22 platonicus curasse *e*

CAPUT VIII.

De dis caelestibus et daemonibus aeriis hominibusque terrenis Apulei Platonici definitione.

Quid? illa ipsa definitio daemonum parumne intuenda est (ubi certe omnes determinando conplexus est), quod ait daemones esse genere animalia, animo passiua, mente rationalia, corpore aeria, tempore aeterna? In quibus quinque commemoratis nihil dixit omnino, quod daemones cum bonis saltem hominibus id uiderentur habere commune, quod non esset in malis. Nam ipsos homines cum aliquanto latius describendo conplecteretur, suo loco de illis dicens tamquam de infimis adque terrenis, cum prius dixisset de caelestibus dis, ut commendatis duabus partibus ex summo et infimo ultimis tertio loco de mediis daemonibus loqueretur: 'Igitur homines, inquit, ratione cluentes, oratione pollentes, inmortalibus animis, moribundis membris, leuibus et anxiis mentibus, brutis et obnoxiis corporibus, dissimilibus moribus, similibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singillatim mortales, cuncti tamen uniuerso genere perpetui, uicissim sufficienda prole mutabiles, uolucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula uita terras incolunt.' Cum hic tam multa diceret, quae ad plurimos homines pertinent, numquid etiam illud tacuit, quod nouerat esse paucorum, ubi ait 'tarda sapientia'? Quod si praetermisisset, nullo modo recte genus hu-

6 ib. p. 16, 18 14 ib. p. 8, 16

2 aeris *C* 3 platonica definitione *C* 6 genera e^1 rationabilia *e s* 8 quod *mss.;* quo *auctore Dübnero Domb.*^{2} saltim *l* 9 id *om. s, erasum in e* 10 discrib. *l;* conscrib. *s* 13 infemo C^1 15 cluentes *v; om. b;* claudentes *l p s α f* (*in p superscriptum est* utentes)*;* gaudentes *C Domb.;* plaudentes *a e* k^1*;* prudentes *q* oratione *om. b* ꝓn ꝺiffinitꝯ hominis plaudentis oratione *q* pollentes *superscripto* fruentes *b;* pellentes *s* 17 corpori/, s *eraso et m. rec. superscripto* bus, *C;* corpori *s* moribus simil. *sup. lin. C* 20 sufficiendam prolem *C* 21 citata *l;* ita *s* 22 etiam *sup. lin. l* 24 nullū *s*

manum descriptionis huius tam intenta diligentia terminasset. Cum uero deorum excellentiam commendaret, ipsam beatitudinem, quo uolunt homines per sapientiam peruenire, in eis adfirmauit excellere. Proinde si aliquos daemones bonos uellet intellegi, aliquid etiam in ipsorum descriptione poneret, unde uel cum dis aliquam beatitudinis partem, uel cum hominibus qualemcumque sapientiam putarentur habere communem. Nunc uero nullum bonum eorum commemorauit, quo boni discernuntur a malis. Quamuis et eorum malitiae liberius exprimendae pepercerit, non tam ne ipsos, quam ne cultores eorum, aput quos loquebatur, offenderet: significauit tamen prudentibus, quid de illis sentire deberent, quando quidem deos, quos omnes bonos beatosque credi uoluit, ab eorum passionibus adque, ut ait ipse, turbelis omni modo separauit, sola illos corporum aeternitate coniungens, animo autem non dis, sed hominibus similes daemones apertissime inculcans; et hoc non sapientiae bono, cuius et homines possunt esse participes, sed perturbatione passionum, quae stultis malisque dominatur, a sapientibus uero et bonis ita regitur, ut malint eam non habere quam uincere. Nam si non corporum, sed animorum aeternitatem cum dis habere daemones uellet intellegi, non utique homines ab huius rei consortio separaret, quia et hominibus aeternos esse animos procul dubio sicut Platonicus sentit. Ideo cum hoc genus animantum describeret, inmortalibus animis, moribundis membris dixit esse homines. Ac per hoc si propterea communem cum dis aeternitatem non habent homines, quia corpore sunt mortales: propterea ergo daemones habent, quia corpore sunt inmortales.

1. 5 discript. *l* in tanta *C* 4 adfirmaret *C* 5 etiam intellegi *e* 8 quod *e* discernerentur *s* 9 et *om.* C^1 10 pepercit *l* tamne C^1; tamen C^2 ne *om.* *l* 18 malisque] mentibus *s* 21 daemones habere *l* 24 dibio *s* animantium *a p v* 28 propterea *usque ad* inmortales *om.* *s*

CAPUT VIIII.

An amicitia caelestium deorum per intercessionem daemonum possit homini prouideri.

Quales igitur mediatores sunt inter homines et deos, per quos ad deorum amicitias homines ambiant, qui hoc cum hominibus habent deterius, quod est in animante melius, id est animum; hoc autem habent cum dis melius, quod est in animante deterius, id est corpus? Cum enim animans, id est animal, ex anima constet et corpore, quorum duorum anima est utique corpore melior, etsi uitiosa et infirma, melior certe corpore etiam sanissimo adque firmissimo, quoniam natura eius excellentior nec labe uitiorum postponitur corpori, sicut aurum etiam sordidum argento seu plumbo, licet purissimo, carius aestimatur: ista mediatores deorum et hominum, per quos interpositos diuinis humana iunguntur, cum dis habent corpus aeternum, uitiosum autem cum hominibus animum: quasi religio, qua uolunt dis homines per daemones iungi, in corpore sit, non in animo constituta. Quaenam tandem istos mediatores falsos adque fallaces quasi capite deorsum nequitia uel poena suspendit, ut inferiorem animalis partem, id est corpus, cum superioribus, superiorem uero, id est animum, cum inferioribus habeant, et cum dis caelestibus in parte seruiente coniuncti, cum hominibus autem terrestribus in parte dominante sint miseri? Corpus quippe seruum est, sicut etiam Sallustius ait: 'Animi imperio, corporis seruitio magis utimur.' Adiunxit autem ille: 'Alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est,' quoniam de hominibus loquebatur, quibus

25 Cat. 1

5 ambulant, *in marg.* ambiant, *a* 8 animans id est *om. e* 10 melior *om. e* 11 etiam *om. l* eius natura *v* 12 cor *corr.* pori *C* 13 licet *om. C*[1] 14 extimatur *l*[1] isti *s* 15 humana, a *finalis in ras., C* 18 tamen *l* 19 medatores *C* 21 corporis, *in marg.* corpus, *e* animā *e* 24 dominante *sup. lin. C* sunt *a* quippe] inquit *C* 26 adiuncxit *e l* 27 *et* p. 422, 4 esse *k*

sicut beluis mortale corpus est. Isti autem, quos inter nos et deos mediatores nobis philosophi prouiderunt, possunt quidem dicere de animo et corpore: alterum nobis cum dis, alterum cum hominibus commune est; sed, sicut dixi, tamquam in peruersum ligati adque suspensi, seruum corpus cum dis beatis, dominum animum cum hominibus miseris habentes, parte inferiore exaltati, superiore deiecti. Unde etiamsi quisquam propter hoc eos putauerit aeternitatem habere cum dis, quia nulla morte, sicut animalium terrestrium, animi eorum soluuntur a corpore: nec sic existimandum est eorum corpus tamquam honoratorum aeternum uehiculum, sed aeternum uinculum damnatorum.

CAPUT X.

Quod secundum Plotini sententiam minus miseri sint homines in corpore mortali quam daemones in aeterno.

Plotinus certe nostrae memoriae uicinis temporibus Platonem ceteris excellentius intellexisse laudatur. Is cum de humanis animis ageret: 'Pater, inquit, misericors mortalia illis uincla faciebat.' Ita hoc ipsum, quod mortales sunt homines corpore, ad misericordiam Dei patris pertinere arbitratus est, ne semper huius uitae miseria tenerentur. Hac misericordia indigna iudicata est iniquitas daemonum, quae in animi passiui miseria non mortale sicut homines, sed aeternum corpus accepit.

19 Enn. IIII, 3, 12

1 nos///et, *tribus erasis litteris, C* 2 prodiderunt $C^2 e k$ 3 alterum nobis cum dis *corr. m. in marg. b* 6 dominum] dñm *l* miseris habentes *p s v;* habentes *om. rell. Domb. (quid ex uerbis Maduigii Gr. 237, 6, ad quae Domb. prouocat, ad defendendam constructionem omisso* habentes *colligi possit, equidem non uideo)* 7 disiecti *l;* deiecti sunt *s* 8 haec *e* 14 platoni *C;* platonis *p* 15 corpore mortali] corporali *C* 16 eternū *p* 17 protinus *l* temporibus uicinis *e* platonis, is *m. 2 in* ē *corr., C* 19 mis. inquit *b* 20 uincla $C b \alpha^1 k$; uincula *rell. v* ipsud *s*

Essent quippe feliciores hominibus, si mortale cum eis haberent corpus et cum dis animum beatum. Essent autem pares hominibus, si cum animo misero corpus saltem mortale cum eis habere meruissent; si tamen adquirerent aliquid pietatis, ut ab aerumnis uel in morte requiescerent. Nunc uero non solum feliciores hominibus non sunt animo misero, sed etiam miseriores sunt perpetuo corporis uinculo. Non enim aliqua pietatis et sapientiae disciplina proficientes intellegi uoluit ex daemonibus fieri deos, cum apertissime dixerit daemones aeternos.

CAPUT XI.

De opinione Platonicorum, qua putant animas hominum daemones esse post corpora.

Dicit quidem et animas hominum daemones esse et ex hominibus fieri lares, si boni meriti sunt; lemures, si mali, seu laruas; manes autem deos dici, si incertum est bonorum eos seu malorum esse meritorum. In qua opinione quantam uoraginem aperiant sectandis perditis moribus, quis non uideat, si uel paululum adtendat? Quando quidem quamlibet nequam homines fuerint, uel laruas se fieri dum opinantur, uel dum manes deos, tanto peiores fiunt, quanto sunt nocendi cupidiores, ut etiam quibusdam sacrificiis tamquam diuinis honoribus post mortem se inuitari opinentur, ut noceant. Laruas quippe dicit esse noxios daemones ex hominibus factos. Sed hinc alia quaestio est. Inde autem perhibet appellari Graece beatos εὐδαίμονας, quod boni sint animi, hoc est boni daemones, animos quoque hominum daemones esse confirmans.

14 de deo Socr. p. 18, 11

2 beatum animum *v* 12 qui *p* 14 et *ante* ex *om. l* ex *om. s* 15 ilares *s* boni meriti *Cv;* meriti boni *rell. Domb.* 16 se/, u *eras., s* larbas s^1*;* larbus e^1 si] sed *l* 18 perditisque *s* 19 nequaquam *s* homines nequam fuerint *a;* nequam fuerint homines *v* 23 et, *in marg.* ut. *e* 25 aliqua *e* 26 beatos *om. a* beato feudaemones C^1*;* beatof feudaemones C^2 *e* heudaemones *s;* ee demones *l* sunt e^1 animo *s* daemonis *s*

CAPUT XII.

De ternis contrariis, quibus secundum Platonicos daemonum hominumque natura distinguitur.

Sed nunc de his agimus, quos in natura propria descripsit inter deos et homines genere animalia, mente rationalia, animo passiua, corpore aeria, tempore aeterna. Nempe cum prius deos in sublimi caelo, homines autem in terra infima disiunctos locis et naturae dignitate secerneret, ita conclusit: 'Habetis, inquit, interim bina animalia: deos ab hominibus plurimum differentes loci sublimitate, uitae perpetuitate, naturae perfectione, nullo inter se propinquo communicatu, cum et habitacula summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat, et uiuacitas illic aeterna et indefecta sit, hic caduca et subsiciua, et ingenia illa ad beatitúdinem sublimata, haec ad miserias infimata.' Hic terna uideo commemorata contraria de duabus naturae partibus ultimis, id est summis adque infimis. Nam tria quae proposuit de dis laudabilia, eadem repetiuit, aliis quidem uerbis, ut eis aduersa alia tria ex hominibus redderet. Tria deorum haec sunt: loci sublimitas, uitae perpetuitas, perfectio naturae. Haec aliis uerbis ita repetiuit, ut eis tria contraria hnmanae condicionis obponeret. 'Cum et habitacula, inquit, summa ab infimis tanta intercapedo fastigii dispescat', quia dixerat loci sublimitatem; 'et uiuacitas, inquit, illic aeterna et indefecta sit, hic caduca et subsiciua,' quia dixerat uitae perpetuitatem; 'et ingenia illa, inquit, ad beatitudinem

8 ib. p. 8, 23

2 De terrenis *p* 3 et hominum *q v* diįsstinguitur, *C* 4 discribsit *l* 9 inter b/ona *s* 12 fastigii *om. C* dispiscat C^1; dissipescat, *in marg.* dispescat, *e* 13 subsiciua $C^2 b e l p s \alpha^1 k^2 f$; subsicaua C^1; subsciua k^1; suc cisiua, c cis *m. 2 in ras.*, *a*; succidua α^2; subcisiua *v* 14 in beat. $a b^1 k^1 f$ 15 //terna *duabus erasis litt. C* 16 ultimis *om. s* 18 aliquis *e* 23 illic inquit *s* 24 subsiciua *C b e l p s α k f*; succisiua, cci *in ras.*, *a*; subcisiua *v* 25 inquit illa *l*

sublimata, haec ad miserias infimata', quia dixerat naturae perfectionem. Tria igitur ab eo posita sunt deorum, id est locus sublimis, aeternitas, beatitudo; et his contraria tria hominum, id est locus infimus, mortalitas, miseria.

CAPUT XIII.

Quo modo daemones, si nec cum dis beati nec cum hominibus sunt miseri, inter utramque partem sine utriusque communione sint medii.

Inter haec terna deorum et hominum quoniam daemones medios posuit, de loco nulla est controuersia; inter sublimem quippe et infimum medius locus aptissime habetur et dicitur. Cetera bina restant, quibus cura adtentior adhibenda est, quem ad modum uel aliena esse a daemonibus ostendantur, uel si eis distribuantur, ut medietas uidetur exposcere. Sed ab eis aliena esse non possunt. Non enim sicut dicimus locum medium nec summum esse nec infimum, ita daemones, cum sint animalia rationalia, nec beatos esse nec miseros, sicuti sunt arbusta uel pecora, quae sunt sensus uel rationis expertia, recte possumus dicere. Quorum ergo ratio mentibus inest, aut miseros esse aut beatos necesse est. Item non possumus recte dicere nec mortales esse daemones nec aeternos. Omnia namque uiuentia aut in aeternum uiuunt, aut finiunt morte quod uiuunt. Iam uero iste tempore aeternos daemones dixit. Quid igitur restat, nisi ut hi medii de duobus summis unum habeant et de duobus infimis alterum? Nam si utraque de imis habebunt aut utraque de summis, medii non erunt, sed in alterutram partem uel resiliunt uel recumbunt. Quia ergo his binis, sicut demonstratum est, carere utrisque non possunt,

3 tria *sup. lin. C* 6 si ne C^1 8 utrisque *p* sunt *p* 10 de loco nulla est *om. s* sublime *e* 14 Sed ..... possunt *om. l* 16 esse summum *v* 17 secuti C^1 21 ne aetern. e^1 22 morte/, m *eras., C* 24 de duob. summis *om. s* 25 de *ante* duob. *om. e* de imis .. utraque *sup. lin. C* 26 himis *l* 27 in alterutram, *in marg.* in alteram, *e* 28 bonis *l*

acceptis ex utraque parte singulis mediabuntur. Ac per hoc quia de infimis habere non possunt aeternitatem, quae ibi non est, unum hoc de summis habent; et ideo non est alterum ad conplendam medietatem suam, quod de infimis habeant, nisi miseriam.

Est itaque secundum Platonicos sublimium deorum uel beata aeternitas uel aeterna beatitudo; hominum uero infimorum uel miseria mortalis uel mortalitas misera; daemonum autem mediorum uel misera aeternitas uel aeterna miseria. Nam et quinque illis, quae in definitione daemonum posuit, non eos medios, sicut promittebat, ostendit; quoniam tria dixit eos habere nobiscum, quod genere animalia, quod mente rationalia, quod animo passiua sunt; cum dis autem unum, quod tempore aeterna; et unum proprium, quod corpore aeria. Quo modo ergo medii, quando unum habent cum summis, tria cum infimis? Quis non uideat relicta medietate quantum inclinentur et deprimantur ad infima? Sed plane etiam ibi medii possunt ita inueniri, ut unum habeant proprium, quod est corpus aerium, sicut et illi de summis adque infimis singula propria, di corpus aetherium hominesque terrenum; duo uero communia sint omnibus, quod genere sunt animalia et mente rationalia. Nam et ipse cum de dis et hominibus loqueretur: 'Habetis, inquit, bina animalia', et non solent isti deos nisi rationales mente perhibere. Duo sunt residua, quod sunt animo passiua et tempore aeterna; quorum habent unum cum infimis, cum summis alterum, ut proportionali ratione librata medietas neque sustollatur in summa, neque in infima deprimatur. Ipsa est autem illa daemonum misera aeternitas uel aeterna miseria. Qui enim ait 'animo passiua', etiam 'misera' dixisset, nisi eorum cultoribus erubuisset. Porro quia prouidentia summi Dei, sicut etiam ipsi fatentur, non fortuita

2 qui *s* 3 alterũtrum *e* 5 miseria *a b*^{1} 7 infirmorum *e* 13 passiba *C* sint *l*^{1} 14 et....aeria *om. C*^{1} hunum *l* 17 inclinantur *l* ad] in *l; om. s* ibi etiam *v* 19 aereum *l* 21 sunt *l*^{1} 22 de *om. C* 27 liberta *e*^{1} 28 illa *om. a*^{1} *e*^{1} *l*^{1} 30 cultores *a* 31 dei summi *C*

temeritate regitur mundus, numquam esset istorum aeterna miseria, nisi esset magna malitia.

Si igitur beati recte dicuntur eudaemones, non sunt eudaemones daemones, quos inter homines et deos isti in medio locauerunt. Quis ergo est locus bonorum daemonum, qui supra homines, infra deos istis praebeant adiutorium, illis ministerium? Si enim boni aeternique sunt, profecto et beati sunt. Aeterna autem beatitudo medios eos esse non sinit, quia multum cum dis conparat multumque ab hominibus separat. Unde frustra isti conabuntur ostendere, quo modo daemones boni, si et inmortales sunt et beati, recte medii constituantur inter deos inmortales ac beatos et homines mortales ac miseros. Cum enim utrumque habeant cum dis, et beatitudinem scilicet et inmortalitatem, nihil autem horum cum hominibus et miseris et mortalibus: quo modo non potius remoti sunt ab hominibus disque coniuncti, quam inter utrosque medii constituti? Tunc enim medii essent, si haberent et ipsi duo quaedam sua, non cum binis alterutrorum, sed cum singulis utrorumque communia; sicut homo medium quiddam est, sed inter pecora et angelos, ut, quia pecus est animal inrationale adque mortale, angelus autem rationale et inmortale, medius homo est, sed inferior angelis, superior pecoribus, habens cum pecoribus mortalitatem, rationem cum angelis, animal rationale mortale. Ita ergo cum quaerimus medium inter beatos inmortales miserosque mortales, hoc inuenire debemus, quod aut mortale sit beatum, aut inmortale sit miserum.

1 temeri/tate, e *eras.*, *C* 3 hi daemones, hi *m. 2 erasis* eu *litteris*, *C* non sunt eud. daemones *om. C (in fine paginae)* 4 daemones *om.* a^1 deos/:, *in margine superiore m. 2* /: et cetera eudaemones ñ sunt eudaemones daemones quos inter homines et deos, *C* et in *e* in medio *om. s* 5 qui] si *l* 7 et *om. e* 8 eos *sup. lin. C* non sinit esse *l* 9 cum dis *C;* cum *om. rell. v* 11 si] sint *m. 2 sup. lin. l;* sic *e* recte *om. a* 18 bonis *s* alterutrum *l* sed . . ntrorumque *om.* b^1 19 utrumque *l* 21 àdque . . . rationale *in marg. s* rationalis et immortalis *e* 22 est sed *p;* esset *C a b l v;* esse *s;* est *e* α^2 *Domb.* 24 querimur C^1 25 mis. mortales *om. l s*

CAPUT XIIII.

An homines, cum sint mortales, possint uera beatitudine esse felices.

Utrum et beatus et mortalis homo esse possit, magna est inter homines quaestio. Quidam enim condicionem suam humilius inspexerunt negaueruntque hominem capacem esse posse beatitudinis, quamdiu mortaliter uiuit. Quidam uero extulerunt se et ausi sunt dicere sapientiae compotes beatos esse posse mortales. Quod si ita est, quur non ipsi potius medii constituuntur inter mortales miseros et inmortales beatos, beatitudinem habentes cum inmortalibus beatis, mortalitatem cum mortalibus miseris? Profecto enim, si beati sunt, inuident nemini (nam quid miserius inuidentia?) et ideo mortalibus miseris, quantum possunt, ad consequendam beatitudinem consulunt, ut etiam inmortales ualeant esse post mortem et angelis inmortalibus beatisque coniungi.

CAPUT XV.

De mediatore Dei et hominum, homine Christo Iesu.

Si autem, quod multo credibilius et probabilius disputatur, omnes homines, quamdiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, quaerendus est medius, qui non solum homo, uerum etiam deus sit, ut homines ex mortali miseria ad beatam inmortalitatem huius medii beata mortalitas interueniendo perducat; quem neque non fieri mortalem oportebat, neque permanere mortalem. Mortalis quippe factus est non infirmata Verbi diuinitate, sed carnis infirmitate suscepta; non autem permansit in ipsa carne mortalis, quam resuscitauit

4 utrum et *mss.;* Utrum autem et *v* 6 capacem] compotem *C* 7 posse *m. 1 sup. lin. C, rell. v; om. Domb.* 9 posse *C a e l p s v; om. b α k*[1]*; inclusit Domb.*[2] 10 inter mort. mis. et *om. l*[1] 12 cum immortalibus *C* 15 ut etiam *a b e l p α k f;* ut et etiam *C v* pos *C;* p' *a* 19 probalius *e* 22 homines *om. a*[1] 25 permanere *C*[2]*;* peruenire *C*[1]

a mortuis; quoniam ipse est fructus mediationis eius, ut nec ipsi, propter quos liberandos mediator effectus est, in perpetua uel carnis morte remanerent. Proinde mediatorem inter nos et Deum et mortalitatem habere oportuit transeuntem et beatitudinem permanentem, ut per id, quod transit, congrueret morituris, et ad id, quod permanet, transferret ex mortuis. Boni igitur angeli inter miseros mortales et beatos inmortales medii esse non possunt, quia ipsi quoque et beati et inmortales sunt; possunt autem medii esse angeli mali, quia inmortales sunt cum illis, miseri cum istis. His contrarius est mediator bonus, qui aduersus eorum inmortalitatem et miseriam et mortalis esse ad tempus uoluit, et beatus in aeternitate persistere potuit; ac sic eos et inmortales superbos et miseros noxios, ne inmortalitatis iactantia seducerent ad miseriam, et suae mortis humilitate et suae beatitudinis benignitate destruxit in eis, quorum corda per suam fidem mundans ab illorum inmundissima dominatione liberauit.

Homo itaque mortalis et miser longe seiunctus ab inmortalibus et beatis quid eligat medium, per quod inmortalitati et beatitudini copuletur? Quod possit delectare in daemonum inmortalitate, miserum est; quod posset offendere in Christi mortalitate, iam non est. Ibi ergo cauenda est miseria sempiterna; hic mors timenda non est, quae non esse potuit sempiterna, et beatitudo amanda est sempiterna. Ad hoc se quippe interponit medius inmortalis et miser, ut ad inmortalitatem beatam transire non sinat, quoniam persistit quod

1 fructus est *v* meditationis *l* 2 liberando *s* 3 remanerent, ent *m. 2, C* 4 oportut *C* 6 et *om. l* per id *s* transferre C^1 14 per immortalitatis iactantiam *s* seducere *e* et sue mortalitatis humilitate, *in marg.* et sue mortis hutilitate *(sic!) e* 15 suae *om.* a^1 bonitate *superscripto* ł benignitate *b;* dignitate *α Domb.*[1] dextruxit *e* 16 mundans, ns *ex* m *corr., C* 17 eorum s^1 18 se, *superscripto m. 1* iunctus, *C* 20 posset *a e s* 21 inmortalitatem *C* posset *a* b^1 *e p s α k f Domb.;* possit *C* b^2 *l v* 23 esse non *s v* 24 amando *e* quippe se *v*

inpedit, id est ipsa miseria; ad hoc se autem interposuit mortalis et beatus, ut mortalitate transacta et ex mortuis faceret inmortales, quod in se resurgendo monstrauit, et ex miseris beatos, unde numquam ipse discessit. Alius est ergo medius malus, qui separat amicos; alius bonus, qui reconciliat inimicos. Et ideo multi sunt medii separatores, quia multitudo, quae beata est, unius Dei participatione fit beata; cuius participationis priuatione misera multitudo malorum angelorum, quae se obponit potius ad inpedimentum, quam interponit ad beatitudinis adiutorium, etiam ipsa multitudine obstrepit quodam modo, ne possit ad illud unum beatificum peruenire, ad quod ut perduceremur, non multis, sed uno mediatore opus erat, et hoc eo ipso, cuius participatione simus beati, hoc est Verbo Dei non facto, per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc mediator est, quia Verbum; maxime quippe inmortale et maxime beatum Verbum longe est a mortalibus miseris; sed mediator, per quod homo, eo ipso utique ostendens ad illud non solum beatum, uerum etiam beatificum bonum non oportere quaeri alios mediatores, per quos arbitremur nobis peruentionis gradus esse moliendos, quia beatus et beatificus Deus factus particeps humanitatis nostrae compendium praebuit participandae diuinitatis suae. Neque enim nos a mortalitate et miseria liberans ad angelos inmortales beatosque ita perducit, ut eorum participatione etiam nos inmortales et beati simus; sed ad illam Trinitatem, cuius et angeli participatione beati sunt. Ideo quando in forma serui, ut mediator esset, infra angelos esse uoluit, in forma Dei

26 Phil. 2, 7

1 autem se *v* 2 ac beatus *s* 5 inicos *C* 8 priuatione *sup. lin. C* 11 quod ad modo C^1 illud *om. p* beatificum *C a b l s α k f; pacificum, in marg.* uł ad illud unum beatificum, *p;* beneficium *e;* beatificum bonum *v Domb.* peruenire *b e* 13 ipso eo *v* sumus *s* 14 sed per *e* 15 est *om.* C^1 maxime, v̄ *m. 2, C* 17 ostendens utique *v* 23 ad] sed *e* 26 participatione *om. l* 27 ē/, e *eras., e*

supra angelos mansit; idem in inferioribus uia uitae, qui in superioribus uita.

CAPUT XVI.

An rationabiliter Platonici definierint deos caelestes declinantes terrena contagia hominibus non misceri, quibus ad amicitiam deorum daemones suffragentur.

Non enim uerum est, quod idem Platonicus ait Platonem dixisse: 'Nullus Deus miscetur homini'; et hoc praecipuum eorum sublimitatis ait esse specimen, quod nulla adtrectatione hominum contaminantur. Ergo daemones contaminari fatetur, et ideo eos, a quibus contaminantur, mundare non possunt omnesque inmundi pariter fiunt, et daemones contrectatione hominum et homines cultu daemonum. Aut si et contrectari miscerique hominibus, nec tamen contaminari daemones possunt, dis profecto meliores sunt, quia illi, si miscerentur, contaminarentur. Nam hoc deorum dicitur esse praecipuum, ut eos sublimiter separatos humana contrectatio contaminare non possit. Deum quidem summum omnium creatorem, quem nos uerum Deum dicimus, sic a Platone praedicari adseuerat, quod ipse sit solus qui non possit penuria sermonis humani quauis oratione uel modice conprehendi; uix autem sapientibus uiris, cum se uigore animi quantum licuit a corpore

8 de deo Socr. p. 9, 6 21 ib. p. 8, 1

1 super *a v* que *e* 8 dixisse Platonem *v* 10 adtractatione $a^2 l$ 11 fatentur *e* 13 contractatione *C* a^2 14 hominum ..... contractare (*sic*) *corr. m. in margine b* et si *a* et *sup. lin. C* contrectare C^1 *l p s* α *k f*; contrectari a^1 *e*; contractari a^2 15 misceriqu/e, *m. 2 superscripto* miserisi (*sic!*), *C*; miserque *l* 16 illis *e* miserentur *l* 17 Nam, *in marg.* Nec, *e* 18 contrecio *s* 19 creatorem de deo uero, *glossa marginali in textum recepta, e* 21 quod] quo modo *p s fortasse recte* penuria sermonis C^2 *a b e l p s* α *k f v*, penuria *om.* C^1 *Domb.* 22 quamuis *C a* e^1 autem] a ter *e* 23 *post* uiris *inserta est correctura:* uix saltem a sapientibus uiris, *e*

remouerunt, intellectum huius Dei, id quoque interdum uelut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicare. Si ergo supra omnia uere summus Deus intellegibili et ineffabili quadam praesentia, etsi interdum, etsi tamquam rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicans, adest tamen sapientium mentibus, cum se quantum licuit a corpore remouerunt, nec ab eis contaminari potest: quid est quod isti di propterea constituuntur longe in sublimi loco, ne contrectatione contaminentur humana? Quasi uero aliud corpora illa aetheria quam uidere sufficiat, quorum luce terra, quantum sufficit, inlustratur. Porro si non contaminantur sidera, cum uidentur, quos deos omnes uisibiles dicit: nec daemones hominum contaminantur aspectu, quamuis de proximo uideantur. An forte uocibus humanis contaminarentur, qui acie non contaminantur oculorum, et ideo daemones medios habent, per quos eis uoces hominum nuntientur, a quibus longe absunt, ut incontaminatissimi perseuerent? Quid iam de ceteris sensibus dicam? Non enim olfaciendo contaminari uel di possent, si adessent, uel cum adsunt daemones possunt uiuorum corporum uaporibus humanorum, si tantis sacrificiorum cadauerinis non contaminantur nidoribus. In gustandi autem sensu nulla necessitate reficiendae mortalitatis urgentur, ut fame adacti cibos ab hominibus quaerant. Tactus uero in potestate est. Nam licet ab eo potissimum sensu contrectatio dicta uideatur, hactenus tamen, si uellent, miscerentur hominibus, ut uiderent et uiderentur, audirent et audirentur. Tangendi autem quae necessitas? Nam neque homines id concupiscere auderent, cum deorum uel daemonum bonorum

1 remouerunt (remoue ... run^{t} *C*) *codd. excepto e, qui* remouerint *habet, sic v* intellectū huius modi et hunc//quoque *a* huius dei patere dixit. id quoque *p* id *C b*^{1} *e l α f*; et id *b*^{2} *q k v* 4 quadam *om. e* 5 curusc. *e* 6 adest] idē, i *ex* a *corr., e* 11 inlustra///tur *C* 17 iam *om. e* 19 possint *l* 22 sensu *a e l p α f Domb.*; sensum *C b k v* mortalis ur|guentur *l*^{1}; mortalis uite|ur|guentur, *l*^{2} 23 fame *om. C*^{1} adati^{c} *C* 24 contractatio *C a*^{2} 25 actenus *l* 27 namque *l e* 28 nec auderent, nec *m. 2 sup. lin., e*

conspectu uel conloquio fruerentur; et si in tantum curiositas progrederetur, ut uellet: quonam pacto quispiam posset inuitum tangere deum uel daemonem, qui nisi captum non potest passerem?

Videndo igitur uisibusque se praebendo et loquendo et audiendo di corporaliter misceri hominibus possent. Hoc autem modo daemones si miscentur, ut dixi, et non contaminantur, di autem contaminarentur, si miscerentur: incontaminabiles dicunt daemones et contaminabiles deos. Si autem contaminantur et daemones, quid conferunt hominibus ad uitam post mortem beatam, quos contaminati mundare non possunt, ut eos mundos dis incontaminatis possint adiungere, inter quos et illos medii constituti sunt? Aut si hoc eis beneficii non conferunt, quid prodest hominibus daemonum amica mediatio? An ut post mortem non ad deos homines per daemones transeant, sed simul uiuant utrique contaminati ac per hoc neutri beati? Nisi forte quis dicat more spongiarum uel huiusce modi rerum mundare daemones amicos suos, ut tanto ipsi sordidiores fiant, quanto fiunt homines eis uelut tergentibus mundiores. Quod si ita est, contaminatioribus di miscentur daemonibus, qui, ne contaminarentur, hominum propinquitatem contrectationemque uitarunt. An forte di possunt ab hominibus contaminatos mundare daemones, nec ab eis contaminari, et eo modo non possent et homines? Quis talia sentiat, nisi quem fallacissimi daemones deceperunt? Quid quod, si uideri

2 uellet *C l p* α^1; uellent *a b v Domb.* quon/am, i *eras.*, *C* 3 uel daem. *om. s* 5 uisibilibusq;, bili *punctis delet.*, *e* se *om. s* loquendo et *sup. lin. C* 6 possint *l* 8 incontaminabiles, *in margine glossa erasa m. 2 leguntur* De mediatore dn̄o nr̄o iēu xp̄o, *e* 10 post mortem ad uitam beatam *l* post mortem beatam *sup. lin. C* 14 meditatio *C* 15 An ut] aut *e* 17 sphongiarum $C^2 l^1$; sphongearum C^1 *e* l^2; spongiarum *e in marg.*; fongearū uel spongearū *a* 20 contaminatioribus, r *m. 2 in* n *corr.*, *l*; contaminatoribus *e s* 21 nec *e* propinquitate *e* 22 possunt dii *p s* 23 daemones mund. *l* 24 et *ante* eo *om. s* eoque *p* possint *l*; possunt α

et uidere contaminat, uidentur ab hominibus di, quos uisibiles dicit, 'clarissima mundi lumina' et cetera sidera, tutioresque sunt daemones ab ista hominum contaminatione, qui non possunt uideri, nisi uelint? Aut si non uideri, sed uidere contaminat, negent ab istis clarissimis mundi luminibus, quos deos opinantur, uideri homines, cum radios suos terras usque pertendant. Qui tamen eorum radii per quaeque inmunda diffusi non contaminantur, et di contaminarentur, si hominibus miscerentur, etiamsi esset necessarius in subueniendo contactus? Nam radiis solis et lunae terra contingitur, nec istam contaminat lucem.

CAPUT XVII.

Ad consequendam uitam beatam, quae in participatione est summi boni, non tali mediatore indigere hominem qualis est daemon, sed tali qualis est unus Christus.

Miror autem plurimum tam doctos homines, qui cuncta corporalia et sensibilia prae incorporalibus et intellegibilibus postponenda iudicauerunt, cum agitur de beata uita, corporalium contrectationum facere mentionem. Ubi est illud Plotini, ubi ait: 'Fugiendum est igitur ad carissimam patriam, et ibi pater, et ibi omnia. Quae igitur, inquit, classis aut fuga? Similem Deo fieri.' Si ergo deo quanto similior, tanto fit quisque propinquior, nulla est ab illo alia longinquitas quam eius dissimilitudo. Incorporali uero illi aeterno et in-

1 ib. p. 6, 14 2 Verg. Georg. I, 5 21 Enn. I, 6, 8; 2, 3

6 terram *s* 8 miserentur C^1; c̃miscerentur *l* 10 radii *l* 14 medi/atore, *eraso* t, *C* indig. med. *p* 16 unus est *q v* 17 quam *s* 18 corporalia *C e l p s* α k^2; corporea *a*, *in marg. e*, *v Domb.* prae *om. p*; quae *s* corporabilibus *e* 19 igitur *p.s* 20 facerent *s* 21 platonis *ex* plotunis *corr.*, *C*; platoni b^1 l^1 a^1 22 classis inquit *v* inquit *om.* α clausis l^1 *p s* aut *om. p* aut similē, *superscr. m. rec.* fugiit, *l* 23 tanto deo similior fit quanto quisque *s* 25 incorporabili *l* illi *om. s*

commutabili tanto est anima hominis dissimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior. Hoc ut sanetur, quoniam inmortali puritati, quae in summo est, ea quae in imo sunt mortalia et inmunda conuenire non possunt, opus est quidem mediatore; non tamen tali, qui corpus quidem habeat inmortale propinquum summis, animum autem morbidum similem infimis (quo morbo nobis inuideat potius ne sanemur, quam adiuuet ut sanemur); sed tali, qui nobis infimis ex corporis mortalitate coaptatus inmortali spiritus iustitia, per quam non locorum distantia, sed similitudinis excellentia mansit in summis, mundandis liberandisque nobis uere diuinum praebeat adiutorium. Qui profecto incontaminabilis Deus absit ut contaminationem timeret ex homine quo indutus est, aut ex hominibus inter quos in homine conuersatus est. Non enim parua sunt haec interim duo, quae salubriter sua incarnatione monstrauit, nec carne posse contaminari ueram diuinitatem. nec ideo putandos daemones nobis esse meliores, quia non habent carnem. Hic est, sicut eum sancta scriptura praedicat, mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. de cuius et diuinitate, qua patri est semper aequalis, et humanitate, qua nobis factus est similis, non hic locus est ut conpetenter pro nostra facultate dicamus.

CAPUT XVIII.

Quod fallacia daemonum, dum sua intercessione uiam spondet ad Deum, hoc adnitatur, ut homines a uia ueritatis auertat.

Falsi autem illi fallacesque mediatores daemones, qui, cum per spiritus inmunditiam miseri ac maligni multis effectibus

19 1. Tim. 2, 5

7 bonis, *in marg.* nobis, *e* 9 coartatus *l;* quoaptatus *s* inmortalis b^1 e^2 *l* 10 excellentiam *C* 14 homo *a* 18 praed. sancta script. *c* 20 qua . . . . . humanitate *om. C*^{1} 22 cõpetentur l^1 27 *k* qui cũ spiritus immunditiam miseriae maligni, *in marg. k* al. lib.: q cũ ſpſ immunditia miseri ac maligni, *e* miseri ac] miseriae *s*

clareant, per corporalium tamen locorum interualla et per aeriorum corporum leuitatem a prouectu animorum nos auocare adque auertere moliuntur, non uiam praebent ad Deum, sed, ne uia teneatur, inpediunt. Quando quidem et in ipsa uia corporali (quae falsissima est et plenissima erroris, qua non iter agit iustitia; quoniam non per corporalem altitudinem, sed per spiritalem, hoc est incorporalem, similitudinem ad Deum debemus ascendere) — in ipsa tamen uia corporali, quam daemonum amici per elementorum gradus ordinant inter aetherios deos et terrenos homines aeriis daemonibus mediis constitutis, hoc deos opinantur habere praecipuum, ut propter hoc interuallum locorum contrectatione non contaminentur humana. Ita daemones contaminari potius ab hominibus, quam homines mundari a daemonibus credunt, et deos ipsos contaminari potuisse, nisi loci altitudine munirentur. Quis tam infelix est, ut ista uia mundari se existimet, ubi homines contaminantes, daemones contaminati, di contaminabiles praedicantur, et non potius eligat uiam, ubi contaminantes magis daemones euitentur et ab incontaminabili Deo ad ineundam societatem incontaminatorum angelorum homines a contaminatione mundentur?

CAPUT XVIIII.

Quod appellatio daemonum iam nec aput cultores eorum adsumatur in significationem alicuius boni.

Sed ne de uerbis etiam nos certare uideamur, quoniam nonnulli istorum, ut ita dixerim, daemonicolarum, in quibus

1 clarent *l*; calleant, *in marg.* careant, *e* 2 a prouecto *s*; a profectu *z*; ac prouectum *p* 3 dominum *s* 4 et in] etiam *s* 5 corporalisque *e* 6 quoniam] quia *l* 7 spiritualem *v* 8 dominum *s* corporali uia *v* 10 aeris *s*; eteris, et *m. 2 in ras.*, *e* demoniis *e* 13 humana . . . potius *om. C*[1]; *m. 2 extant in margine superiore* ab *sup. lin. C* 15 tam *s* 17 incontaminabiles *s* 18 elegat *l* 19 incontaminabili, *in marg.* et incomutabili, *e* 23 nec iam *p* 24 in signum *p* 25 de *om. l*

et Labeo est, eosdem perhibent ab aliis angelos dici, quos ipsi daemones nuncupant, iam mihi de bonis angelis aliquid uideo disserendum, quos isti esse non negant, sed eos bonos daemones uocare quam angelos malunt. Nos autem, sicut scriptura loquitur, secundum quam Christiani sumus, angelos quidem partim bonos, partim malos, numquam uero bonos daemones legimus; sed ubicumque illarum litterarum hoc nomen positum reperitur, siue daemones, siue daemonia dicantur, non nisi maligni significantur spiritus. Et hanc loquendi consuetudinem in tantum populi usquequaque secuti sunt, ut eorum etiam, qui pagani appellantur et deos multos ac daemones colendos esse contendunt, nullus fere sit tam litteratus et doctus, qui audeat in laude uel seruo suo dicere: 'Daemonem habes'; sed quilibet hoc dicere uoluerit, non se aliter accipi, quam maledicere uoluisse, dubitare non possit. Quae igitur nos causa conpellit, ut post offensionem aurium tam multarum, ut iam paene sint omnium, quae hoc uerbum non nisi in malam partem audire consuerunt, quod diximus cogamur exponere, cum possimus angelorum nomine adhibito eandem offensionem, quae nomine daemonum fieri poterat, euitare?

CAPUT XX.

De qualitate scientiae, quae daemones superbos facit.

Quamquam etiam ipsa origo huius nominis, si diuinos intueamur libros, aliquid adfert cognitione dignissimum. Daemones enim dicuntur (quoniam uocabulum Graecum est) ob scientiam nominati. Apostolus autem spiritu sancto locutus ait: Scientia

28 1. Cor. 8, 1

1 Labeo] ab eo *s* quod *s* 8 reperitur] est *s* 13 tam doctus *e* 14 quilibet C^1 *e l p s* k^2 *Domb.*; cuilibet C^2 *a b e* (*in marg.*) α f^r *v* hoc *codd. praeter C, in quo* haec; *sic Domb.* 15 uoluisset *C* dubitari *l* 16 qua *b* nos] non C^1 *a* ut *om. s* 17 ut] et *e* qui *s* 18 consueuerunt *v* 26 liberos *e* afferent cogitatione *s* 27 ob scientiam *C p v*; ab scientia *a b c l s Domb.*

inflat, caritas uero aedificat; quod recte aliter non intellegitur, nisi scientiam tunc prodesse, cum caritas inest; sine hac autem inflare, id est in superbiam inanissimae quasi uentositatis extollere. Est ergo in daemonibus scientia sine caritate, et ideo tam inflati, hoc est tam superbi sunt, ut honores diuinos et religionis seruitutem, quam uero Deo deberi sciunt, sibi satis egerint exhiberi, et quantum possunt aput quos possunt adhuc agant. Contra superbiam porro daemonum, qua pro meritis possidebatur genus humanum, Dei humilitas, quae in Christo apparuit, quantam uirtutem habeat, animae hominum nesciunt inmunditia elationis inflatae, daemonibus similes, non scientia sed superbia.

CAPUT XXI.

Ad quem modum Dominus uoluerit daemonibus innotescere.

Ipsi autem daemones etiam hoc ita sciunt, ut eidem Domino infirmitate carnis induto dixerint: Quid nobis et tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Clarum est in his uerbis, quod in eis et tanta scientia erat, et caritas non erat. Poenam suam quippe formidabant ab illo, non in illo iustitiam diligebant. Tantum uero eis innotuit, quantum uoluit; tantum autem uoluit, quantum oportuit. Sed innotuit non sicut angelis

17 Mr. 1, 24; Mt. 8, 29

3 ac *C* 4 Est *om. l* in *om. p* 5 id est *p s v* 6 diuinis *s* 7 satis egerint *C a b e l p s α k f Domb.;* sategerint *v* exiberi *e l* 8 aput quos possunt *om. b*[1] aput *C a e l;* et apud *p s v Domb.* agant *C l p α f Domb.;* agent *s;* agunt *a b e k v* 10 quę *ex* qui *corr. C* in christo *C e l p s α k*[2] *f Domb.;* in forma serui *a b k*[1] *v* quantam] quam *a* 12 non scientia sed superbia *C;* superbia non scientia *rell. v Domb.* c. XXI *numerus adscriptus est uerbis l. 18:* Clarum est, *C* 14 quemammodum *C* noluerit *p* 15 innotiscere *p* 16 etiam *sup. lin. l* idem *l* 18 nazorene *s* naharene uenisti *m. 2 in ras. e* uenisti *C a b e p s Domb.;* uenisti ante tempus *e*[2] *l v* 20 quippe suam *e l p v* in *om. C*[1]

sanctis, qui eius, secundum id quod Dei Verbum est, participata aeternitate perfruuntur, sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica quodam modo potestate fuerat liberaturus praedestinatos in suum regnum et gloriam semper ueracem et ueraciter sempiternam. Innotuit ergo daemonibus non per id, quod est uita aeterna et lumen incommutabile, quod inluminat pios, cui uidendo per fidem, quae in illo est, corda mundantur, sed per quaedam temporalia suae uirtutis effecta et occultissimae signa praesentiae, quae angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possint esse conspicua. Denique quando ea paululum subprimenda iudicauit et aliquanto altius latuit, dubitauit de illo daemonum princeps eumque tentauit, an Christus esset explorans, quantum se tentari ipse permisit, ut hominem, quem gerebat, ad nostrae imitationis temperaret exemplum. Post illam uero tentationem, cum angeli, sicut scriptum est, ministrarent ei, boni utique et sancti ac per hoc spiritibus inmundis metuendi et tremendi, magis magisque innotescebat daemonibus quantus esset, ut ei iubenti, quamuis in illo contemtibilis uideretur carnis infirmitas, resistere nullus auderet.

CAPUT XXII.

Quid intersit inter scientiam sanctorum angelorum et scientiam daemonum.

His igitur angelis bonis omnis corporalium temporaliumque rerum scientia, qua inflantur daemones, uilis est; non quod earum ignari sint, sed quod illis Dei, qua sanctificantur, caritas cara est, prae cuius non tantum incorporali, uerum etiam incommutabili et ineffabili pulchritudine, cuius sancto

1 eis *l* 3 quodammodum *C* 6 incommutabilem *C* 7 impios *s* per fidem] pdē *e* 8 per *sup. lin C* 9 occultissimae *C e l p s α f v;* occultissima *a b k* praesentiae *C e l p s α k² f v;* sapientiae *a b k¹* 11 possint *C l p s;* possent *a b e v Domb.* 16 sicuti *e* 17 ministrabant *e* per hoc his *e* 24 scientia *C* 26 inflatur *e¹ l¹ s* 27 dī *m. 2 sup. lin. C*

amore inardescunt, omnia, quae infra sunt et, quod illud est, non sunt seque ipsos inter illa contemnunt, ut ex toto, quod boni sunt, eo bono, ex quo boni sunt, perfruantur. Et ideo certius etiam temporalia et mutabilia ista nouerunt, quia eorum principales causas in Verbo Dei conspiciunt, per quod factus est mundus; quibus causis quaedam probantur, quaedam reprobantur, cuncta ordinantur. Daemones autem non aeternas temporum causas et quodam modo cardinales in Dei sapientia contemplantur, sed quorundam signorum nobis occultorum maiore experientia multo plura quam homines futura prospiciunt; dispositiones quoque suas aliquando praenuntiant. Denique saepe isti, numquam illi omnino falluntur. Aliud est enim temporalibus temporalia et mutabilibus mutabilia coniectare eisque temporalem et mutabilem modum suae uoluntatis et facultatis inserere, quod daemonibus certa ratione permissum est; aliud autem in aeternis adque incommutabilibus Dei legibus, quae in eius sapientia uiuunt, mutationes temporum praeuidere Deique uoluntatem, quae tam certissima quam potentissima est omnium, spiritus eius participatione cognoscere; quod sanctis angelis recta discretione donatum est. Itaque non solum aeterni, uerum etiam beati sunt. Bonum autem, quo beati sunt, Deus illis est, a quo creati sunt. Illius quippe indeclinabiliter participatione et contemplatione perfruuntur.

CAPUT XXIII.

Nomen deorum falso adscribi dis gentium, quod tamen et angelis sanctis et hominibus iustis ex diuinarum scripturarum auctoritate commune est.

Hos si Platonici malunt deos quam daemones dicere eisque adnumerare, quos a summo Deo conditos deos scribit eorum

30 Tim. p. 40

3 perfruatur *s* 4 ea iã, *in marg.* etiã, *e* 6 quibus ..... reprobantur *in marg. e* 14 et mutabilem *om. C* motum *b* 16 in aeternis *om. s* 22 quod beati *s* 25 c. XXIII *in C significatum est p. 441, u. 7:* Nam; lib. X, c. 1 *p in indice capitulorum* 26 daeorum *C* 30 affummo *e*

auctor et magister Plato: dicant quod uolunt; non enim cum eis de uerborum controuersia laborandum est. Si enim sic inmortales, ut tamen a summo Deo factos, et si non per se ipsos, sed ei, a quo facti sunt, adhaerendo beatos esse dicunt: hoc dicunt quod dicimus, quolibet eos nomine appellent. Hanc autem Platonicorum esse sententiam, siue omnium siue meliorum, in eorum litteris inueniri potest. Nam et de ipso nomine, quod huius modi inmortalem beatamque creaturam deos appellant, ideo inter nos et ipsos paene nulla dissensio est, quia et in nostris sacris litteris legitur: Deus deorum dominus locutus est, et alibi: Confitemini deo deorum, et alibi: Rex magnus super omnes deos. Illud autem ubi scriptum est: Terribilis est super omnes deos, quur dictum sit, deinceps ostenditur. Sequitur enim: Quoniam omnes di gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit. Super omnes ergo deos dixit, sed gentium, id est quos gentes pro dis habent, quae sunt daemonia; ideo terribilis, sub quo terrore Domino dicebant: Venisti perdere nos? Illud uero, ubi dicitur: Deus deorum, non potest intellegi deus daemoniorum; et rex magnus super omnes deos absit ut dicatur rex magnus super omnia daemonia. Sed homines quoque in populo Dei eadem scriptura deos appellat. Ego, inquit, dixi, di estis et filii Excelsi omnes. Potest itaque intellegi horum deorum deus, qui dictus est deus deorum, et super hos deos rex magnus, qui dictus est rex magnus super omnes deos.

10 Ps. 49, 1 11 Ps. 135, 3 12 Ps. 94, 3 15 Ps. 95, 4 sq. 19 Mr. 1, 24 23 Ps. 81, 6

1 autem auctor *s* 2 si enim sic enim *s* 3 ut tamen] uitam *s* et si *p Domb.;* etsi *v* per *om. e* 4 aderendo *s* 5 hoc *om. e* quod icimus *C* appellant *b* α^1 6 sapientiam *l* 7 et de *om. e* 8 quod *C e l p s;* quo *a v Domb.* 9 ideo et inter *a* inter *sup. lin. C* 11 domino *C;* deo *rell. v* 17 quos gentes pro diis habent *m. 2 in ras. e* 19 uenisti ante tempus *l* 21 et rex *e* 22 sed et, et *m. 1 sup. lin., C* 23 dixi *om.* l^1 24 itaque] inquid *s*

Verum tamen cum a nobis quaeritur: si homines dicti sunt di, quod in populo Dei sunt, quem per angelos uel per homines adloquitur Deus, quanto magis inmortales eo nomine digni sunt, qui ea fruuntur beatitudine, ad quam Deum colendo cupiunt homines peruenire: quid respondebimus nisi non frustra in scripturis sanctis expressius homines nuncupatos deos, quam illos inmortales et beatos, quibus nos aequales futuros in resurrectione promittitur, ne scilicet propter illorum excellentiam aliquem eorum nobis constituere deum infidelis auderet infirmitas? Quod in homine facile est euitare. Et euidentius dici debuerunt homines di in populo Dei, ut certi ac fidentes fierent eum esse Deum suum, qui dictus est deus deorum; quia etsi appellentur di inmortales illi et beati, qui in caelis sunt, non tamen dicti sunt di deorum, id est di hominum in populo Dei constitutorum, quibus dictum est: Ego dixi, di estis et filii Excelsi omnes. Hinc est quod ait apostolus: Etsi sunt qui dicuntur di, siue in caelo siue in terra, sicuti sunt di multi et domini multi: nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia et nos in ipso, et unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.

Non multum ergo de nomine disceptandum est, cum res ipsa ita clareat, ut ab scrupulo dubitationis aliena sit. Illud uero, quod nos ex eorum inmortalium beatorum numero missos esse angelos dicimus, qui Dei uoluntatem hominibus adnuntiarent, illis autem non placet, quia hoc ministerium non per illos, quos deos appellant, id est inmortales et beatos,

17 1. Cor. 8, 5 sq.

1 dicti sint *s* 2 quem] quod *s* 3 quantumagis *e* 6 in *om. s* homines *om. s* 7 deos] dies *s* et *om. s* 9 infideles C^1 10 uitare *s* 11 deburint *C* di] dei *s* 12 fiderent *e* esse eum *v* 13 etsi] et ipsi *e* ac beati *s* 16 est dictum *v* fili *C l* 17 dicantur *l s* 19 et domini multi *sup. lin. C* 21 in ipso *s* 22 non enim *a* disputandum *a* 23 clara sit *s* a *v* sit aliena *s* 25 angelos esse *v* 26 quia] qui ad *s* 27 quos *om.* l^1

sed per daemones fieri credunt, quos inmortales tantum, non etiam beatos audent dicere, aut certe ita inmortales et beatos, ut tamen daemones bonos, non deos sublimiter conlocatos et ab humana contrectatione semotos, quamuis nominis controuersia uideatur, tamen ita detestabile est nomen daemonum, ut hoc modis omnibus a sanctis angelis nos remouere debeamus. Nunc ergo ita liber iste claudatur, ut sciamus inmortales et beatos, quodlibet uocentur, qui tamen facti et creati sunt, medios non esse ad inmortalem beatitudinem perducendis mortalibus miseris, a quibus utraque differentia separantur. Qui autem medii sunt communem habendo inmortalitatem cum superioribus, miseriam cum inferioribus, quoniam merito malitiae miseri sunt, beatitudinem, quam non habent, inuidere nobis possunt potius quam praebere. Unde nihil habent amici daemonum quod nobis dignum adferant, quur eos tamquam adiutores colere debeamus, quos potius ut deceptores uitare debemus. Quos autem bonos et ideo non solum inmortales, uerum etiam beatos deorum nomine sacris et sacrificiis propter uitam beatam post mortem adipiscendam colendos putant, qualescumque illi sint et quolibet uocabulo digni sint, non eos uelle per tale religionis obsequium nisi unum Deum coli, a quo creati et cuius participatione beati sunt, adiuuante ipso in sequenti libro diligentius disseremus.

2 certe mortales ac *s* et] ac *p v* et beatos *om l*. 7 clauditur *l* 8 et] ac *p s v* quolibet *e;* quolibet nomine *a* et beati et creati *s* 9 ad inmortalem beatitudinem *C a b e l p s v;* ad inmortalitatem beatitudinemque *Domb.* 10 miseria et differentia *l* 13 sunt miseri *v* inuideant *l* 14 possunt *om. C*[1] *l, post* praebere *habet e* praebeant *l* amici *om. e* 16 uitare *C l p s;* euitare *v Domb.* 19 beatam *om. C* 23 in consequenti *a* disserimus *C*[1] EXPLICIT. LIB. VIIII. | DE CIVITATE DĪ | CONTRA PAGANOS | INCIPIT. LIB. X. | AMEN. *C.* c̄tuli *corr. m. Desinit C*

LIBER X.

CAPUT I.

Veram beatitudinem siue angelis siue hominibus per unum Deum tribui etiam Platonicos definisse; sed utrum hi, quos ob hoc ipsum colendos putant, uni tantum Deo, an etiam sibi sacrificari uelint, esse quaerendum.

Omnium certa sententia est, qui ratione quoquo modo uti possunt, beatos esse omnes homines uelle. Qui autem sint uel unde fiant dum mortalium quaerit infirmitas, multae magnaeque controuersiae concitatae sunt, in quibus philosophi sua studia et otia contriuerunt, quas in medium adducere adque discutere et longum est et non necessarium. Si enim recolit qui haec legit, quid in libro egerimus octauo in eligendis philosophis, cum quibus haec de beata uita, quae post mortem futura est, quaestio tractaretur, utrum ad eam uni Deo uero, qui etiam effector est deorum, an plurimis dis religione sacrisque seruiendo peruenire possimus: non etiam hic eadem repeti expectat, praesertim cum possit relegendo, si forte oblitus est, adminiculari memoriam. Elegimus enim Platonicos omnium philosophorum merito nobilissimos, propterea quia sapere potuerunt licet inmortalem ac rationalem uel intellectualem hominis animam nisi participato lumine illius Dei, a quo et ipsa et mundus factus est, beatam esse non posse; ita illud, quod omnes homines adpetunt, id est uitam beatam, quemquam isti adsecuturum negant, qui non illi uni optimo, quod est incommutabilis Deus, puritate casti amoris adhaeserit. Sed quia ipsi quoque siue cedentes uanitati

4 diffinisse *p* 5 ad hoc *p* 9 sint *sup. lin. a* 10 dum] diu *a* magne multeque *a* 11 cogitatae *a* 12 contribuerunt *s* 14 octauo egerimus *e* 17 est deorum effector *v* 18 possumus *b* 20 adminiculari *p v;* adminiculare *a b e s l Domo.* 22 sapere *mss.;* sicut sapere *v* 26 beatam uitam *a* quamquam *a* 27 uno *e* quod *b e l p s a k*^{2} *f;* qui *a k*^{1} *v* 28 adheserint *a*

errorique populorum siue, ut ait apostolus, euanescentes in cogitationibus suis multos deos colendos ita putauerunt uel putari uoluerunt, ut quidam eorum etiam daemonibus diuinos honores sacrorum et sacrificiorum deferendos esse censerent, quibus iam non parua ex parte respondimus: nunc uidendum ac disserendum est, quantum Deus donat, inmortales ac beati in caelestibus sedibus dominationibus, principatibus potestatibus constituti, quos isti deos et ex quibus quosdam uel bonos daemones uel nobiscum angelos nominant, quo modo credendi sint uelle a nobis religionem pietatemque seruari; hoc est, ut apertius dicam, utrum etiam sibi an tantum Deo suo, qui etiam noster est, placeat eis ut sacra faciamus et sacrificemus, uel aliqua nostra seu nos ipsos religionis ritibus consecremus.

Hic est enim diuinitati uel, si expressius dicendum est, deitati debitus cultus, propter quem uno uerbo significandum, quoniam mihi satis idoneum non occurrit Latinum, Graeco ubi necesse est insinuo quid uelim dicere. Λατρείαν quippe nostri, ubicumque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt seruitutem. Sed ea seruitus, quae debetur hominibus, secundum quam praecipit apostolus seruos dominis suis subditos esse debere, alio nomine Graece nuncupari solet; λατρεία uero secundum consuetudinem, qua locuti sunt qui nobis diuina eloquia condiderunt, aut semper aut tam frequenter ut paene semper ea dicitur seruitus, quae pertinet ad colendum Deum. Proinde si tantummodo cultus ipse dicatur, non soli Deo deberi uidetur. Dicimur enim colere etiam ho-

1 Rom. 1, 21 21 Ephes. 6, 5

1 si *s* 2 ita] aut *p* 3 uel] aut *p* uoluerunt, *in marg.* uolunt, *e* 4 senserint *α* 6 donet, e *ex corr.*, *b* 7 principatibus *om. a b*^{1} 8 et *sup. lin.* · *a* 10 sunt *a l* uelle a nobis *a b*^{2} *l;* uel ea nobis *p s;* uel a nobis *b*^{1}*;* uelle coli a nobis *α* 12 eis *om. s* 16 uni *e* 17 greco, *in marg.* greco uerbo necesse ē insinuem, *a* 18 latrian *mss.* 21 praecepit *s* seruis *e* 22 subiectos *a* 24 semper aut *om. s* tam *om. a* 25 aut paene *a e s* ea *om. a* dicatur *b* 27 uideatur *a b*^{2}

mines, quos honorifica uel recordatione uel praesentia frequentamus. Nec solum ea, quibus nos religiosa humilitate subicimus, sed quaedam etiam, quae subiecta sunt nobis, perhibentur coli. Nam ex hoc uerbo et agricolae et coloni et incolae uocantur, et ipsos deos non ob aliud appellant caelicolas, nisi quod caelum colant, non utique uenerando, sed inhabitando, tamquam caeli quosdam colonos; non sicut appellantur coloni, qui condicionem debent genitali solo, propter agriculturam sub dominio possessorum, sed, sicut ait quidam Latini eloquii magnus auctor:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni.

Ab incolendo enim colonos uocauit, non ab agricultura. Hinc et ciuitates a maioribus ciuitatibus uelut populorum examinibus conditae coloniae nuncupantur. Ac per hoc cultum quidem non deberi nisi Deo propria quadam notione uerbi huius omnino uerissimum est; sed quia et aliarum rerum dicitur cultus, ideo Latine uno uerbo significari cultus Deo debitus non potest.

Nam et ipsa religio quamuis distinctius non quemlibet, sed Dei cultum significare uideatur (unde isto nomine interpretati sunt nostri eam, quae Graece θρησκεία dicitur): tamen quia Latina loquendi consuetudine, non inperitorum, uerum etiam doctissimorum, et cognationibus humanis adque adfinitatibus et quibusque necessitudinibus dicitur exhibenda religio, non eo uocabulo uitatur ambiguum, cum de cultu deitatis uertitur quaestio, ut fidenter dicere ualeamus religionem non esse nisi cultum Dei, quoniam uidetur hoc uerbum a significanda obseruantia propinquitatis humanae insolenter auferri.

11 Verg. Aen. I, 12

3 quidam *p s* 3 *sq.* quae subiecta ..... agricolae *om. p s* nos, *in marg. k.* a nobis, *e* coli perhibentur *v* 8 conditioni *a* 10 autor e^1 12 ab agric. *a e l p s v;* ab *om.* $a^1 k^1$ *Domb.* 17 signari *s* cultus *om. a* 21 trescia *p s;* threstia *a* 22 latine *a* 24 necessitatibus *a* 25 cum] dum *a α* 27 a *om. b* 28 insolerter $e^1 k^1$ offerri *b*

Pietas quoque proprie Dei cultus intellegi solet, quam Graeci εὐσέβειαν uocant. Haec tamen et erga parentes officiose haberi dicitur. More autem uulgi hoc nomen etiam in operibus misericordiae frequentatur; quod ideo arbitror euenisse, quia haec fieri praecipue mandat Deus eaque sibi uel pro sacrificiis uel prae sacrificiis placere testatur. Ex qua loquendi consuetudine factum est, ut et Deus ipse dicatur pius; quem sane Graeci nullo suo sermonis usu εὐσεβῆν uocant, quamuis εὐσέβειαν pro misericordia illorum etiam uulgus usurpet. Unde in quibusdam scripturarum locis, ut distinctio certior appareret, non εὐσέβειαν, quod ex bono cultu, sed θεοσέβειαν, quod ex Dei cultu conpositum resonat, dicere maluerunt. Utrumlibet autem horum nos uno uerbo enuntiare non possumus. Quae itaque λατρεία Graece nuncupatur et Latine interpretatur seruitus, sed ea qua colimus Deum; uel quae θρησκεία Graece, Latine autem religio dicitur, sed ea quae nobis est erga Deum; uel quam illi εὐσέβειαν, nos uero non uno uerbo exprimere, sed Dei cultum possumus appellare: hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui uerus est Deus facitque suos cultores deos. Quicumque igitur sunt in caelestibus habitationibus inmortales et beati, si nos non amant nec beatos esse nos uolunt, colendi utique non sunt. Si autem amant et beatos uolunt, profecto inde uolunt, unde et ipsi sunt; an aliunde ipsi beati, aliunde nos?

7 2 Par. 30, 9; Eccli. 2, 13; Iudith 7, 20 19 Ps. 81, 6

2 eusebiẹan, e *subscripto puncto deletum, p* tamen] autem *a* 5 Deus mandat *v* uel prae sacrif. *om. e* 7 ipse *om. a* sane] tamen *s* 8 sui *a* εὐσεβῆν] euseben *mss.;* εὐσεβεῖν *v. Dombart Dübnerum secutus* εὐσεβῆ *scripserat, sed formam* εὐσεβῆν *sermoni in Nou. Test. usitato respondere, ipse postea monuit in Annal. phil. 1880, t. 121 p. 149* 11 sed .... cultu *om. e*^{1} *s*^{1} ex cultu dei *a* 12 quodlibet *a, in marg. e* 15 thriscia *a*, thrischia *b* 17 eusebian *a b l p s a k f;* theosebian *e;* θεοσέβειαν *v* uero non uno *om. s* uno *sup. lin. a* 21 nos esse *p* nos, *in marg.* ñ, *e* 23 an aliunde ipsi *sup. lin. s* sunt aliunde nos *s*

CAPUT II.

De superna inluminatione quid Plotinus Platonicus senserit.

Sed non est nobis ullus cum his excellentioribus philosophis in hac quaestione conflictus. Viderunt enim suisque litteris multis modis copiosissime mandauerunt hinc illos, unde et nos, fieri beatos, obiecto quodam lumine intellegibili, quod Deus est illis et aliud est quam illi, a quo inlustrantur, ut clareant adque eius participatione perfecti beatique subsistant. Saepe multumque Plotinus adserit sensum Platonis explanans, ne illam quidem, quam credunt esse uniuersitatis animam, aliunde beatam esse quam nostram, idque esse lumen quod ipsa non est, sed a quo creata est et quo intellegibiliter inluminante intellegibiliter lucet. Dat etiam similitudinem ad illa incorporea de his caelestibus conspicuis amplisque corporibus, tamquam ille sit sol et ipsa sit luna. Lunam quippe solis obiectu inluminari putant. Dicit ergo ille magnus Platonicus animam rationalem, siue potius intellectualis dicenda sit, ex quo genere etiam inmortalium beatorumque animas esse intellegit, quos in caelestibus sedibus habitare non dubitat, non habere supra se naturam nisi Dei, qui fabricatus est mundum, a quo et ipsa facta est; nec aliunde illis supernis praeberi uitam beatam et lumen intellegentiae ueritatis, quam unde praebetur et nobis, consonans euangelio, ubi legitur: Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Iohannes; hic uenit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per eum. Non erat ille lumen, sed ut testimonium perhiberet

2 De] Ad *C* 4 [sed] non est [nobis ullus cum his excellentioribus] philosophis, *uerba cancellis inclusa eadem ut uidetur manu superscripta sunt, b* his *om. a* 7 et *om. s* obiectiuo *α;* obiectitio *k;* obiectio *f* 8 quam *ex* cum *corr. b* 11 nec *a* 13 sed *om. a* 14 inlum. intell. *om. s* ad illā incorpoream *e* 16 ille] ipse *s* 18 rationabilem *s* 19 etiam et *b* 20 intell. esse *e* sedibus *om. a* 23 praebere *e* 24 cui consonat euangelium *e* 27 ut..per eum *om. a*

de lumine. Erat lumen uerum, quod inluminat omnem hominem uenientem in hunc mundum. In qua differentia satis ostenditur animam rationalem uel intellectualem, qualis erat in Iohanne, sibi lumen esse non posse, sed alterius ueri luminis participatione lucere. Hoc et ipse Iohannes fatetur, ubi ei perhibens testimonium dicit: Nos omnes de plenitudine eius accepimus.

CAPUT III.

De uero Dei cultu, a quo Platonici, quamuis creatorem uniuersitatis intellexerint, deuiarunt colendo angelos seu bonos seu malos honore diuino.

Quae cum ita sint, si Platonici uel quicumque alii ista senserunt cognoscentes Deum sicut Deum glorificarent et gratias agerent nec euanescerent in cogitationibus suis nec populorum erroribus partim auctores fierent, partim resistere non auderent: profecto confiterentur et illis inmortalibus ac beatis et nobis mortalibus ac miseris, ut inmortales ac beati esse possimus, unum Deum deorum colendum, qui et noster est et illorum.

Huic nos seruitutem, quae λατρεία Graece dicitur, siue in quibusque sacramentis siue in nobis ipsis debemus. Huius enim templum simul omnes et singuli templa sumus, quia et omnium concordiam et singulos inhabitare dignatur; non in omnibus quam in singulis maior, quoniam nec mole distenditur nec partitione minuitur. Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum; eum Unigenito eius sacerdote placamus; ei cruentas uictimas caedimus, quando usque ad san-

6 Io. 1, 6 sqq.; 16 20 Cor. 3, 16 sq.

11 seu bonos seu malos *C;* bonos seu malos *omisso priore* seu *p;* siue b. siue m. *q v* 12 si] et *m. 2 in ras. e* alii philosophi *a* 13 et gratias .. euanescerent *om. a b*[1] 17 et beati *s; sup. lin. a* possemus *a* 18 et *ante* noster *om. a* 19 huic *b* 24 ad eius altare *a* 25 eum Unigenito eius *p s (hanc uerborum collocationem postulat anaphora per quattuor membra continuata);* eius Unigenito eum *rell. v Domb.* 26 ei] et *b*

guinem pro eius ueritate certamus; eum suauissimo adolemus incenso, cum in eius conspectum pio sanctoque amore flagramus; ei dona eius in nobis quoque ipsos uouemus et reddimus; ei beneficiorum eius sollemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne uolumine temporum ingrata subrepat obliuio; ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne feruidam caritatis. Ad hunc uidendum, sicut uideri poterit, eique cohaerendum ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur et eius nomine consecramur. Ipse enim fons nostrae beatitudinis, ipse omnis adpetitionis est finis. Hunc eligentes uel potius religentes (amiseramus enim neglegentes) — hunc ergo religentes, unde et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perueniendo quiescamus, ideo beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cuius fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud quam illi cohaerere, cuius unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu ueris inpletur fecundaturque uirtutibus. Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima et in tota uirtute praecipimur; ad hoc bonum debemus et a quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic conplentur duo illa praecepta, in quibus tota lex pendet et prophetae: Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo et in tota anima tua et in tota mente tua, et: Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Ut enim homo se diligere nosset, constitutus est ei finis, quo referret omnia quae ageret, ut beatus esset; non enim qui se

22 Mt. 22, 37 sqq.

1 *ut editur codd.;* ei suauissimum adolemus incensum *v* 2 conspectum *p s;* conspectu *rell. v Domb.* fraglamus *l* 3 ei] et b^2 *e l* ei] et *a* b^2 6 sacramus *s* 7 igne feruidam caritatis *a l p s;* igne (igni *e*) feruidae carit. *b e v Domb.;* ignem feruidam carit. *k;* in ignem feruidum carit. *α* 8 poterit *mss.;* potest *v* · cohaerendo, o *m. 2 in ras., e* 9 malorum b^1 12 religentes, *superscripto m. 2* recolimus, *b* 20 et *ante* a quibus *om. s* diligamur b^1 21 sic] si *e s* 25 homo] bona *s* se *a b l p s α k;* si *e f;* sese *v* contra statutus *a* 26 refert *s*

diligit aliud uult esse quam beatus. Hic autem finis est adhaerere Deo. Iam igitur scienti diligere se ipsum, cum mandatur de proximo diligendo sicut se ipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei, quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, haec uera religio, haec recta pietas, haec tantum Deo debita seruitus. Quaecumque igitur inmortalis potestas quantalibet uirtute praedita si nos diligit sicut se ipsam, ei uult esse subditos, ut beati simus, cui et ipsa subdita beata est. Si ergo non colit Deum, misera est, quia priuatur Deo; si autem colit Deum, non uult se coli pro Deo. Illi enim potius diuinae sententiae suffragatur et dilectionis uiribus fauet, qua scriptum est: Sacrificans dis eradicabitur, nisi Domino soli.

CAPUT IIII.

Quod uni uero Deo sacrificium debeatur.

Nam, ut alia nunc taceam, quae pertinent ad religionis obsequium, quo colitur Deus, sacrificium certe nullus hominum est qui audeat dicere deberi nisi deo. Multa denique de cultu diuino usurpata sunt, quae honoribus deferrentur humanis, siue humilitate nimia siue adulatione pestifera; ita tamen, ut, quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et uenerandi, si autem multum eis additur, et adorandi: quis uero sacrificandum censuit nisi ei, quem deum aut sciuit aut putauit aut finxit? Quam porro antiquus sit in sacrificando Dei cultus, duo illi fratres Cain et Abel satis indicant, quorum maioris Deus reprobauit sacrificium, minoris aspexit.

2 Ps. 72, 28 12 Exod. 22, 20

1 esse uult *v* 6 Deo debita] deum decuit *a* 8 subditus *s* 9 Deo priuatur *v* 12 quia *a* sacrificandis diis *e* 16 nam, *in marg.* non, *e* 18 soli deo *s* 19 deferuntur *b e s* *uerba* humanis *usque ad* deferrentur *l. 21 m. 1 in marg. e* 20 ut *om. b*[1] ut a quibus *a* 21 deferentur *b*[1] *s* 22 eis multum *v* et *om. e s* 25 caim, m *m. 2 ex* n *corr.*, *a*

CAPUT V.

De sacrificiis, quae Deus non requirit, sed ad significationem eorum offerri uoluit, quae requirit.

Quis autem ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria, quae in sacrificiis offeruntur? Quod cum multis locis diuina scriptura testetur, ne longum faciamus, breue illud de psalmo commemorare suffecerit: Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non solum igitur pecore uel qualibet alia re corruptibili adque terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deus egere credendus est, totumque quod recte colitur Deus homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit consuluisse, si biberit; aut luci, si uiderit. Nec quod ab antiquis patribus alia sacrificia facta sunt in uictimis pecorum, quae nunc Dei populus legit, non facit, aliud intellegendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quae aguntur in nobis, ad hoc ut inhaereamus Deo et ad eundem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo uisibile inuisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est. Unde ille paenitens aput prophetam uel ipse propheta quaerens Deum peccatis suis habere propitium: Si uoluisses, inquit, sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum et humiliatum Deus non spernet. Intueamur quem ad modum, ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit uelle sacrificium. Non uult ergo sacri-

7 Ps. 15, 2 21 Ps. 50, 19 sq.

3 offerri *Cq;* referri uel offerri *p;* obseruari *v Domb.* 6 testatur $b^2 s$ 7 de] in *e* cum commem. *s* 9 pecora uel quaelibet alia corruptibilia atque terrena *b;* pecoribus uel quibuslibet aliis corruptibilibus atque terrenis *a* 10 nec *a* 11 deus colitur *a* 13 consuluisse *mss.;* profuisse *v* ne *s* 14 alia *mss.;* talia *v* sint *p* in *om. e* 18 sacrificii *om.* a^1 22 olocaustis $a^1 b^1$ 23 contribulatus *a e p s v;* contritus *b l α k f Domb.* 24 spernit *s* 25 intuemur $a^1 b^1$ 26 ibi deum ostendit uelle sacrif. *om.* b^1

ficium trucidati pecoris, sed uult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dixit, hoc significatur, quod eum uelle subiecit. Sic itaque illa Deum nolle dixit, quo modo ab stultis ea uelle creditur, uelut suae gratia uoluptatis. Nam si ea sacrificia quae uult (quorum hoc unum est: cor contritum et humiliatum dolore paenitendi) nollet eis sacrificiis significari, quae uelut sibi delectabilia desiderare putatus est: non utique de his offerendis in lege uetere praecepisset. Et ideo mutanda erant opportuno certoque iam tempore, ne ipsi Deo desiderabilia uel certe in nobis acceptabilia, ac non potius quae his significata sunt crederentur. Hinc et alio loco psalmi alterius: Si esuriero, inquit, non dicam tibi; meus est enim orbis terrae et plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Tamquam diceret: Utique si mihi essent necessaria, non a te peterem, quae habeo in potestate. Deinde subiungens quid illa significent: Immola, inquit, Deo sacrificium laudis et redde Altissimo uota tua et inuoca me in die tribulationis, et eripiam te et magnificabis me. Item aput alium prophetam: In quo, inquit, adprehendam Dominum, adsumam Deum meum excelsum? Si adprehendam illum in holocaustis, in uitulis anniculis? Si acceptauerit Dominus in milibus arietum aut in denis milibus hircorum pinguium?

12 Ps. 49, 12 sq. 17 ib. 14 sq. 20 Mich. 6, 6 sqq.

1 pecoris trucid. *a* sed *p s v;* et *a b e l α k f Domb.* 2 quo *e* dixit *a b e p;* dicit *l s v Domb.* hoc *om. a* 4 nam et si b^2 6 penitentis *a* 7 desiderare reputatum *s* 8 ueteri b^2 *e* 9 ne ipsi de his significata, *in marg.* de eo, *e. omissa uerba m. 1 in inferiore margine posita sunt* 11 et in alio *b* 15 sic utique *a* si mihi.....peterem quae *om. a* b^1 necess. essent *v* 17 inquit *om. a s* 19 eripiam *p s;* eximam *rell. v Domb.* magnificabis *p s;* honorificabis *a;* glorificabis *rell. v Domb.* 21 deum *a b* 22 illum] eum *a* 23 deus *a* 24 aut in multis milibus hyrcorum pinguium, *in textu omissa m. 1 in margine, p* denis] multis *s*

Si dedero primogenita mea inpietatis, fructum uentris mei pro peccato animae meae? Si adnuntiatum est tibi, homo, bonum? Aut quid Dominus exquirat a te nisi facere iudicium et diligere misericordiam et paratum esse ire cum Domino Deo tuo? Et in huius prophetae uerbis utrumque distinctum est satisque declaratum illa sacrificia per se ipsa non requirere Deum, quibus significantur haec sacrificia, quae requirit Deus. In epistula, quae inscribitur ad Hebraeos: Bene facere, inquit, et communicatores esse nolite obliuisci; talibus enim sacrificiis placetur Deo. Ac per hoc ubi scriptum est: Misericordiam uolo quam sacrificium nihil aliud quam sacrificium sacrificio praelatum oportet intellegi; quoniam illud, quod ab omnibus appellatur sacrificium, signum est ueri sacrificii. Porro autem misericordia uerum sacrificium est; unde dictum est, quod paulo ante commemoraui: Talibus enim sacrificiis placetur Deo. Quaecumque igitur in ministerio tabernaculi siue templi multis modis de sacrificiis leguntur diuinitus esse praecepta, ad dilectionem Dei et proximi significando referuntur. In his enim duobus praeceptis, ut scriptum est, tota lex pendet et prophetae.

CAPUT VI.

De uero perfectoque sacrificio.

Proinde uerum sacrificium est omne opus, quod agitur ut sancta societate inhaereamus Deo, relatum scilicet ad illum

9 Hebr. 13, 16 12 Ose. 6, 6 20 Mt. 22, 40

1 primogenita mea inpietatis *a b e l Domb. respiciens cod. Alex.* πρωτότοκά μου ἀσεβείας; primogenitum meum pro scelere meo aut fructum *p s;* primogenita mea pro impietate mea *v* 3 deus *s* 4 exquirit *a b s* diligere] exquirere *s* 5 paratus es *s* ire *om. a* 6 Et in] ex *m. 2 in ras., e* 8 haec] illa *a* 9 scribitur *e s* 11 placatur deus *m. 2 in ras. e* 13 sacrificio sacrificium *v* 14 ab hominibus *a b* 16 paulo *om. a* 20 significando *b e l p s Domb.;* significandam *a;* significandum *v* 24 perfectuque *C* 25 quod *e l p s k v;* quo *a b α Domb.;* que *f*

finem boni, quo ueraciter beati esse possimus. Unde et ipsa misericordia, qua homini subuenitur, si non propter Deum fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit uel offertur, tamen sacrificium res diuina est, ita ut hoc quoque uocabulo id Latini ueteres appellauerint. Unde ipse homo Dei nomine consecratus et Deo deuotus, in quantum mundo moritur ut Deo uiuat, sacrificium est. Nam et hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum facit. Propterea scriptum est: Miserere animae tuae placens Deo. Corpus etiam nostrum cum temperantia castigamus, si hoc, quem ad modum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiae Deo, sacrificium est. Ad quod exhortans apostolus ait: Obsecro itaque uos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium uestrum. Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo uel tamquam instrumento utitur anima, cum eius bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est: quanto magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris eius accensa formam concupiscentiae saecularis amittat eique tamquam incommutabili formae subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex eius pulchritudine acceperit, fit sacrificium! Quod idem apostolus consequenter adiungens: Et nolite, inquit, conformari huic saeculo; sed reformamini in nouitate mentis uestrae ad probandum uos quae sit uoluntas Dei, quod bonum et bene placitum et

9 Eccli. 30, 24 11 Rom. 6, 13 13 Rom. 12, 1 sq.

2 si propter Deum non fit *v* 5 Dei *om. p* 6 et dī uoſuſ, *in marg.* et dō uotū, *e* deuotus *b p s;* uotus *rell. v. Domb.* mundo] modo *b e* 10 temperantia *mss.;* per temperantiam *v* 11 faciamus *a* 13 exortans *b e* 14 uos itaque *p* 14 misericordiam *a p s k;* miserationem *rell. v Domb.* 15 uiuentem *s* 16 rationale *e* 17 quod *e* inferiori b^1 18 anima ipsa *a* 23 ex *sup. lin. a* 26 sensus uestri, *in marg.* ntis uře, *e* 27 bonum est et *a*

perfectum. Cum igitur uera sacrificia opera sint misericordiae siue in nos ipsos siue in proximos, quae referuntur ad Deum, opera uero misericordiae non ob aliud fiant, nisi ut a miseria liberemur ac per hoc ut beati simus (quod non fit nisi bono illo, de quo dictum est: Mihi autem adhaerere Deo bonum est): profecto efficitur, ut tota ipsa redemta ciuitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, uniuersale sacrificium offeratur Deo per sacerdotem magnum, qui etiam se ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundum formam serui. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est, quia secundum hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cum itaque nos hortatus esset apostolus, ut exhibeamus corpora nostra hostiam uiuam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, et non conformemur huic saeculo, sed reformemur in nouitate mentis nostrae: ad probandum quae sit uoluntas Dei, quod bonum et bene placitum et perfectum, quod totum sacrificium nos ipsi sumus: Dico enim, inquit, per gratiam Dei, quae data est mihi, omnibus, qui sunt in uobis, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam; sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem alter alterius membra, habentes dona diuersa secundum gratiam, quae data est nobis. Hoc est sacrificium Christianorum: multi unum corpus in Christo. Quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat ecclesia, ubi ei demonstratur, quod in ea re, quam offert, ipsa offeratur.

5 Ps. 72, 28 17 Rom. 12, 3 sqq.

1 sunt *s* 2 in proximo *e* 5 mihi . . . bonum est *in marg. s* 7 ciuitas dei *s* 8 offerat *s* 10 haec enim *b* 12 itaque] igitur *a* 14 et non] ut *p s* 15 huic saeculo sed reformemur *om. p s* 21 fidei mensuram *v* 23 eundem actum *e* 29 in ea oblatione *a e*

CAPUT VII.

Quod sanctorum angelorum ea sit in nos dilectio, ut nos non suos, sed unius ueri Dei uelint esse cultores.

Merito illi in caelestibus sedibus constituti inmortales et beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cuius aeternitate firmi, cuius ueritate certi, cuius munere sancti sunt, quoniam nos mortales et miseros, ut inmortales beatique simus, misericorditer diligunt, nolunt nos sibi sacrificari, sed ei, cuius et ipsi nobiscum sacrificium se esse nouerunt. Cum ipsis enim sumus una ciuitas Dei, cui dicitur in psalmo: Gloriosissima dicta sunt de te, ciuitas Dei; cuius pars in nobis peregrinatur, pars in illis opitulatur. De illa quippe superna ciuitate, ubi Dei uoluntas intellegibilis adque incommutabilis lex est, de illa superna quodam modo curia (geritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministrata per angelos sancta illa scriptura descendit, ubi legitur: Sacrificans dis eradicabitur, nisi Domino soli. Huic scripturae, huic legi, praeceptis talibus tanta sunt adtestata miracula, ut satis appareat, cui nos sacrificari uelint inmortales ac beati, qui hoc nobis uolunt esse quod sibi.

CAPUT VIII.

De miraculis, quae Deus ad conroborandam fidem piorum etiam per angelorum ministerium promissis suis adhibere dignatus est.

Nam nimis uetera si commemorem, longius quam satis est reuoluere uidebor, quae miracula facta sint adtestantia

11 Ps. 86, 3 17 Exod. 22, 20

7 certi *m. 2 in ras. a* 9 sacrificari *a b e l α k Domb.;* sacrificare *p s v* 10 et *om. e* 11 cui *usque ad* Dei *l. 12 om. s* gloriosissima *mss. praeter l;* gloriosa *l v* 14 adque *om. b* lex *om. e* 15 namque] unaque *a b* 16 curans *e* 18 deo *b e* tal. praec. *v* 20 sacrificari *mss.;* sacrificare *v* 26 satis *a p s α;* sat *rell. v Domb.*

promissis Dei, quibus ante annorum milia praedicit Abrahae, quod in semine eius omnes gentes benedictionem fuerant habiturae. Quis enim non miretur eidem Abrahae filium peperisse coniugem sterilem eo tempore senectutis, quo parere nec fecunda iam posset, adque in eiusdem Abrahae sacrificio flammam caelitus factam inter diuisas uictimas cucurrisse, eidemque Abrahae praedictum ab angelis caeleste incendium Sodomorum, quos angelos hominibus similes hospitio susceperat et per eos de prole uentura Dei promissa tenuerat, ipsoque inminente iam incendio miram de Sodomis per eosdem angelos liberationem Loth filii fratris eius, cuius uxor in uia retro respiciens adque in salem repente conuersa magno admonuit sacramento neminem in uia liberationis suae praeterita desiderare debere? Illa uero quae et quanta sunt, quae iam per Moysen pro populo Dei de iugo seruitutis eruendo in Aegypto mirabiliter gesta sunt, ubi magi Pharaonis, hoc est regis Aegypti, qui populum illum dominatione deprimebat, ad hoc facere quaedam mira permissi sunt, ut mirabilius uincerentur! Illi enim faciebant ueneficiis et incantationibus magicis, quibus sunt mali angeli, hoc est daemones, dediti; Moyses autem tanto potentius, quanto iustius, nomine Dei, qui fecit caelum et terram, seruientibus angelis eos facile superauit. Denique in tertia plaga deficientibus magis decem plagae per Moysen magna mysteriorum dispositione conpletae sunt, quibus ad Dei populum dimittendum Pharaonis et Aegyptiorum dura corda cesserunt. Moxque paenituit, et cum abscedentes Hebraeos consequi conarentur, illis diuiso mari per siccum transeuntibus unda hinc adque hinc in sese redeunte cooperti et obpressi sunt. Quid de illis miraculis dicam, quae,

1 Dei *sup. lin. a* 13 neminem *m. 2 sup. lin. a* 15 pro *om. e p s* de] sub *e* eruendo] seruiendo *e* 20 angeli mali *b;* angelis malis *a* daemonibus *a* 21 potentius] potius *a* iustius] istius *a* b^1*; in e post* iustius *erasa sunt uerba* angelis eos nomine dei *a k* f^r*;* nomine *m. 2 addito* eius *b;* nomini dei *e l p a;* in nomine Domini *v* 22 superabat *s* 25 pharaonis egyptiorum regis *s* 26 ascendentes *a* 28 se *b*

cum in deserto idem populus ductaretur, stupenda diuinitate crebuerunt: aquas, quae bibi non poterant, misso in eas, sicut Deus praeceperat, ligno amaritudine caruisse sitientesque satiasse; manna esurientibus uenisse de caelo et, cum esset colligentibus constituta mensura, quidquid amplius quisque collegerat, exortis uermibus putruisse, ante diem uero sabbati duplum collectum, quia sabbato colligere non licebat, nulla putredine uiolatum; desiderantibus carne uesci, quae tanto populo nulla sufficere posse uidebatur, uolatilibus castra conpleta et cupiditatis ardorem fastidio satietatis extinctum; obuios hostes transitumque prohibentes adque proeliantes orante Moyse manibusque eius in figuram crucis extentis nullo Hebraeorum cadente prostratos; seditiosos in populo Dei ac sese ab ordinata diuinitus societate diuidentes ad exemplum uisibile inuisibilis poenae uiuos terra dehiscente submersos; uirga percussam petram tantae multitudini abundantia fluenta fudisse; serpentum morsus mortiferos, poenam iustissimam peccatorum, in ligno exaltato adque prospecto aeneo serpente sanatos, ut et populo subueniretur adflicto, et mors morte destructa uelut crucifixae mortis similitudine signaretur? Quem sane serpentem propter facti memoriam reseruatum cum postea populus errans tamquam idolum colere coepisset, Ezechias rex religiosa potestate Deo seruiens cum magna pietatis laude contriuit.

22 Reg. IIII, 18, 4

2 crebuerunt *a* b^1 *e* α^1 k^1 *f*; crepuerunt *p s*; crebruerunt b^2 *l v* 4 ut *s* 6 diem *corr. ex* idem *e* 8 carnem *b l* quanto *m. 2 ex* quae tanto *corr. b* 10 fastidio, d *m. 2 ex* g *corr. a* 12 in figuram *l*; in figura *a b p s* α *k f*; in fuga, *in marg.* in figura, *e* extensis *b* 14 ornata b^1 diuinitas b^1 15 inuisibilis, *m. 2 superscripto* inferni, *b* 16 multitudinis *b* 17 serpentium *e* 18 aereo α 23 magnae *a*

CAPUT VIIII.

De inlicitis artibus erga daemonum cultum, in quibus Porphyrius Platonicus quaedam probando, quaedam quasi inprobando uersatur.

Haec et alia multa huiusce modi, quae omnia commemorare nimis longum est, fiebant ad commendandum unius Dei ueri cultum et multorum falsorumque prohibendum. Fiebant autem simplici fide adque fiducia pietatis, non incantationibus et carminibus nefariae curiositatis arte conpositis, quam uel magian uel detestabiliori nomine goetian uel honorabiliori theurgian uocant, qui quasi conantur ista discernere et inlicitis artibus deditos alios damnabiles, quos et maleficos uulgus appellat (hos enim ad goetian pertinere dicunt), alios autem laudabiles uideri uolunt, quibus theurgian deputant; cum sint utrique ritibus fallacibus daemonum obstricti sub nominibus angelorum.

Nam et Porphyrius quandam quasi purgationem animae per theurgian, cunctanter tamen et pudibunda quodam modo disputatione promittit; reuersionem uero ad Deum hanc artem praestare cuiquam negat; ut uideas eum inter uitium sacrilegae curiositatis et philosophiae professionem sententiis alternantibus fluctuare. Nunc enim hanc artem tamquam fallacem et in ipsa actione periculosam et legibus prohibitam cauendam monet; nunc autem uelut eius laudatoribus cedens utilem dicit esse mundandae parti animae, non quidem intellectuali, qua rerum intellegibilium percipitur ueritas, nullas habentium similitudines corporum; sed spiritali, qua corporalium rerum capiuntur imagines. Hanc enim dicit per quasdam consecra-

6 unius *om.* a^1 7 ueri dei *b* multum b^1 10 detestabiliori *p s* goethyan *e* horribiliori *p s; in marg.* al. honorabiliori *p* 11 theuurgiurgian *b;* theugian *e;* theorgian *s;* theorian *p* 14 theorgian (*sic et* theorgus, theorgicus *semper s*); theorian (*sic et* theoricus *semper*) *p* 17 et *om. a b* 23 cauendamque *a* 25 mundandam partem *b* quidem, i *et* e *m. 2 in ras., a;* quaedam b^1, quadam b^2; tamen *s* intellectu_ali qua *a* 27 corporis *b* spirituali *a v*

tiones theurgicas, quas teletas uocant, idoneam fieri adque aptam susceptioni spirituum et angelorum et ad uidendos deos. Ex quibus tamen theurgicis teletis fateretur intellectuali animae nihil purgationis accedere, quod eam faciat idoneam ad uidendum Deum suum et perspicienda ea, quae uere sunt. Ex quo intellegi potest, qualium deorum uel qualem uisionem fieri dicat theurgicis consecrationibus, in qua non ea uidentur, quae uere sunt. Denique animam rationalem siue, quod magis amat dicere, intellectualem, in sua posse dicit euadere, etiamsi quod eius spiritale est nulla theurgica fuerit arte purgatum; porro autem a theurgo spiritalem purgari hactenus, ut non ex hoc ad inmortalitatem aeternitatemque perueniat. Quamquam itaque discernat a daemonibus angelos, aeria loca esse daemonum, aetheria uel empyrea disserens angelorum, et admoneat utendum alicuius daemonis amicitia, quo subuectante uel paululum a terra possit eleuari quisque post mortem, aliam uero uiam esse perhibeat ad angelorum superna consortia: cauendam tamen daemonum societatem expressa quodam modo confessione testatur, ubi dicit animam post mortem luendo poenas cultum daemonum a quibus circumueniebatur horrescere: ipsamque theurgian, quam uelut conciliatricem angelorum deorumque commendat, aput tales agere potestates negare non potuit, quae uel ipsae inuideant purgationi animae, uel artibus seruiant inuidorum, querelam de hac re Chaldaei nescio cuius expromens: 'Conqueritur, inquit, uir in Chaldaea bonus, purgandae animae magno in molimine frustratos sibi esse successus, cum uir ad eadem potens tactus inuidia adiuratas sacris precibus potentias adligasset, ne postulata concederent.

1 theurgias *e* theletas *e s* 2 susceptionem *s* et *ante* angel. *om. s* et *ante* ad *om.* a^1 *e* 5 eaque *e* uera *a* b^2 *e* 6 *uerba* Ex quo *usque ad l. 8* uere sunt *om. a* b^1 8 uera *e* 9 in sua] insuper, per *in ras. m. 1* (?), *b;* in superna *v* 10 spirituale *a, et sic l. 11* est] et *a;* est et *b* 13 esse loca *v* 14 empyria *b;* enpyria *s;* emphyria *e;* estphyria *a* 15 subiectante b^1 16 a terra paululum *a* possit eleuari a terra *v* 24 inuidorum seruiant *a* querelam, *in marg.* al. qua re iam, *b* 26 esse *om. a* 27 cum] cur *e* potest actus *s*

Ergo et ligauit ille, inquit, et iste non soluit.' Quo indicio dixit apparere theurgian esse tam boni conficiendi quam mali et aput deos et aput homines disciplinam; pati etiam deos et ad illas perturbationes passionesque deduci, quas communiter daemonibus et hominibus Apuleius adtribuit; deos tamen ab eis aetheriae sedis altitudine separans et Platonis adserens in illa discretione sententiam.

CAPUT X.

De theurgia, quae falsam purgationem animis daemonum inuocatione promittit.

Ecce nunc alius Platonicus, quem doctiorem ferunt, Porphyrius, per nescio quam theurgicam disciplinam etiam ipsos deos obstrictos passionibus et perturbationibus dicit, quoniam sacris precibus adiurari terrerique potuerunt, ne praestarent animae purgationem, et ita terreri ab eo, qui imperabat malum, ut ab alio, qui poscebat bonum, per eandem artem theurgicam solui illo timore non possent et ad dandum beneficium liberari. Quis non uideat haec omnia fallacium daemonum esse commenta, nisi eorum miserrimus seruus et a gratia ueri liberatoris alienus? Nam si haec aput deos agerentur bonos, plus ibi utique ualeret beneficus purgator animae quam maleuolus inpeditor. Aut si dis iustis homo, pro quo agebatur, purgatione uidebatur indignus, non utique ab inuido territi nec, sicut ipse dicit, per metum ualentioris numinis inpediti, sed iudicio libero id negare debuerunt. Mirum est autem, quod benignus ille Chaldaeus, qui theurgicis sacris animam purgare

1 et *ante* ligauit *om.* b^1 2 apparet *a* in theurgian *e* 3 pacientiă, *in marg.* pati, *e* 6 adherens *s* 7 sententiae *s* 14 adiuuari *ep* adiurarique, *omisso* terreri, *b* terrerique *mss. v;* tenerique *Domb.* 16 eandem *om.* a^1 artem *om. a* theurgican *a* 17 in illo *e* et *om. e* 19 a *om. e* 20 apud eos a^1 bonos *om. a* 21 beneficiis b^2 maliuolus *a b e* l^2 23 terreri *s* 25 iud. lib. id negare] iud. dei. indignari *a* mirum] uerum *b* 26 sacrificiis *s*

cupiebat, non inuenit aliquem superiorem deum, qui uel plus terreret adque ad bene faciendum cogeret territos deos, uel ab eis terrentem conpesceret, ut libere bene facerent; si tamen theurgo bono sacra defuerunt, quibus ipsos deos, quos inuocabat animae purgatores, prius ab illa timoris peste purgaret. Quid enim causae est, quur deus potentior adhiberi possit a quo terreantur, nec possit a quo purgentur? An inuenitur deus qui exaudiat inuidum et timorem dis incutiat ne bene faciant; nec inuenitur deus qui exaudiat beneuolum et timorem dis auferat ut bene faciant? O theurgia praeclara, o animae praedicanda purgatio, ubi plus imperat inmunda inuidentia, quam inpetrat pura beneficentia! Immo uero malignorum spirituum cauenda et detestanda fallacia, et salutaris audienda doctrina. Quod enim qui has sordidas purgationes sacrilegis ritibus operantur quasdam mirabiliter pulchras, sicut iste commemorat, uel angelorum imagines uel deorum tamquam purgato spiritu uident (si tamen uel tale aliquid uident), illud est, quod apostolus dicit: Quoniam satanas transfigurat se uelut angelum lucis. Eius enim sunt illa phantasmata, qui miseras animas multorum falsorumque deorum fallacibus sacris cupiens inretire et a uero ueri Dei cultu, quo solo mundantur et sanantur, auertere, sicut de Proteo dictum est,

formas se uertit in omnes,
hostiliter insequens, fallaciter subueniens, utrobique nocens.

18 2. Cor. 11, 14 24 Verg. Georg. IIII, 411

1 plures *e* 4 inuocabant *a* s^2 9 beniuolum *a b e* 12 imperat *a* b^1 beneficientia *a;* benefitiencia *e* 13 hauenda *s* et detestanda *om. b* et *eraso superscriptum est* quã, *e* 14 ad has *e* 19 uelut] in *a* angelus *b* eius illa sunt enim *a* 22 ueri *om. a s* et *om. a* et sanantur *om.* b^1 23 protheo *mss.* 24 in homines *s* 25 utrubique *l*

CAPUT XI.

De epistula Porphyrii ad Anebontem Aegyptium, in qua petit de diuersitate daemonum se doceri.

Melius sapuit iste Porphyrius, cum ad Anebontem scribit Aegyptium, ubi consulenti similis et quaerenti et prodit artes sacrilegas et euertit. Et ibi quidem omnes daemones reprobat, quos dicit ob inprudentiam trahere humidum uaporem et ideo non in aethere, sed in aere esse sub luna adque in ipso lunae globo; uerum tamen non audet omnes fallacias et malitias et ineptias, quibus merito mouetur, omnibus daemonibus dare. Quosdam namque benignos daemones more appellat aliorum, cum omnes generaliter inprudentes esse fateatur. Miratur autem quod non solum di adliciantur uictimis, sed etiam conpellantur adque cogantur facere quod homines uolunt; et si corpore et incorporalitate di a daemonibus distinguuntur, quo modo deos esse existimandum sit solem et lunam et uisibilia cetera in caelo, quae corpora esse non dubitat; et si di sunt, quo modo alii benefici, alii malefici esse dicantur; et quo modo incorporalibus, cum sint corporei, coniungantur. Quaerit etiam ueluti dubitans, utrum in diuinantibus et quaedam mira facientibus animae sint passiones an aliqui spiritus extrinsecus ueniant, per quos haec ualeant; et potius uenire extrinsecus conicit, eo quod lapidibus et herbis adhibitis et adligent quosdam, et aperiant clausa ostia, uel aliquid eius modi mirabiliter operentur. Unde dicit alios opinari esse quoddam genus,

3 in *om. p* 4 sapuit iste *om. e* ad anubontem *a b;* ad danebontem *e;* ad nebontem *l;* ad abontem *s;* ad bontem, *eraso* a, *in marg.* ne, *p* scribit *e p s α f;* scripsit *v Domb.* 5 consulentis *s* 5 *sq.* et prodit artes sacrilegas et auertit *m. 1 in marg. e* 6 et *ante* euertit *om. s* 7 ob] ad *a* trahere *m. 1 in marg., a* uaporem, *superscripto m. 2* s. terrae, *b* 10 moueretur *a b* 15 corporei, i *m. 2, b* corporalitate *s;* corporati, ti *m. 2 in ras., b* dei *s* 18 alii benefici *om. a* 21 passiones *mss.;* potentiores *v* 23 adhibitis, *in marg.* adiutis, *e;* exhibitis *a b* 24 et *om. e* hostia *a b e*

cui exaudire sit proprium, natura fallax, omniforme, multimodum, simulans deos et daemones et animas defunctorum, et hoc esse quod efficiat haec omnia quae uidentur bona esse uel praua; ceterum circa ea, quae uere bona sunt, nihil opitulari, immo uero ista nec nosse, sed et male conciliare et insimulare adque inpedire nonnumquam uirtutis sedulos sectatores, et plenum esse temeritatis et fastus, gaudere nidoribus, adulationibus capi, et cetera, quae de hoc genere fallacium malignorumque spirituum, qui extrinsecus in animam ueniunt humanosque sensus sopitos uigilantesue deludunt, non tamquam sibi persuasa confirmat, sed tam tenuiter suspicatur aut dubitat, ut haec alios adserat opinari. Difficile quippe fuit tanto philosopho cunctam diabolicam societatem uel nosse uel fidenter arguere, quam quaelibet anicula Christiana nec cunctatur esse, et liberrime detestatur. Nisi forte iste et ipsum, ad quem scribit, Anebontem tamquam talium sacrorum praeclarissimum antistitem et alios talium operum tamquam diuinorum et ad deos colendos pertinentium admiratores uerecundatur offendere.

Sequitur tamen et ea uelut inquirendo commemorat, quae sobrie considerata tribui non possunt nisi malignis et fallacibus potestatibus. Quaerit enim quur tamquam melioribus inuocatis quasi peioribus imperetur, ut iniusta praecepta hominis exsequantur; quur adtrectatum re Veneria non exaudiant inprecantem, cum ipsi ad incestos quosque concubitus quoslibet ducere non morentur; quur animantibus suos anti-

1 omnis formae *a e;* omniformae *m. 2 superscripto* una pars est, *b* 3 esse bona uel parua *s* 4 uere *om. s* 5 et *ante* male *om. a* et *ante* insim. *om. e* et insimulare *om. b*¹ 6 insimulare] stimulare *s* atque *m. 2 ex* ac quem *corr., b;* atque, t *et* e *in ras. m. 2, a* 8 de *sup. lin. a* 10 uigilantesque *a s* 11 tam] tum *b;* secum *a* 14 quamlibet *s* nec cunctatur esse *mss.;* nec nosse cunctatur *v* 15 et *erasum e* 16 anubontem *a b;* anab. *e;* agneb. *p s* 18 et *ante* ad *om. e* ammiratores *b* 21 quae sobrie *sup. lin. l* adtribui *l* 23 impe/retur, t *eraso, a* iniusta, *in marg.* et iuxta, *e* hom. praec. *v* 24 uenerea $p^2 v$ 25 incertos *p* quosque *a b e l p s k v;* quoque *α f Domb.*

stites oportere abstinere denuntient, ne uaporibus profecto corporeis polluantur, ipsi uero et aliis uaporibus inliciantur et nidoribus hostiarum, cumque a cadaueris contactu prohibeatur inspector, plerumque illa cadaueribus celebrentur; quid sit, quod non daemoni uel alicui animae defuncti, sed ipsi soli et lunae aut cuicumque caelestium homo uitio cuilibet obnoxius intendit minas eosque territat falso, ut eis extorqueat ueritatem. Nam et caelum se conlidere comminatur et cetera similia homini inpossibilia, ut illi di tamquam insipientissimi pueri falsis et ridiculis comminationibus territi quod imperatur efficiant. Dicit etiam scripsisse Chaeremonem quendam, talium sacrorum uel potius sacrilegiorum peritum, ea, quae aput Aegyptios sunt celebrata rumoribus uel de Iside uel de Osiri marito eius, maximam uim habere cogendi deos, ut faciant imperata, quando ille, qui carminibus cogit, ea se prodere uel euertere comminatur, ubi se etiam Osiridis membra dissipaturum terribiliter dicit, si facere iussa neglexerint. Haec adque huius modi uana et insana hominem dis minari, nec quibuslibet, sed ipsis caelestibus et siderea luce fulgentibus, nec sine effectu, sed uiolenta potestate cogentem adque his terroribus ad facienda quae uoluerit perducentem, merito Porphyrius admiratur; immo uero sub specie mirantis et causas rerum talium requirentis dat intellegi illos haec agere spiritus, quorum genus superius sub aliorum opinatione descripsit, non, ut ipse posuit, natura, sed uitio fallaces, qui simulant deos et animas defunctorum, daemones autem non, ut ait ipse, simulant, sed plane sunt. Et quod ei uidetur herbis et lapidibus et animantibus et sonis certis quibusdam ac uocibus et figurationibus adque figmentis, quibusdam etiam obseruatis

6 aut lunae *s* cuilibet uitio *v* 7 territat, *m. 2 in* terret *mutatum, e* 11 scripsisse *in sq. lin. post* peritum *habet a* 12 uel *om. e* uel potius sacrileg. *om. a* 13 celebraturum moribus *m. 2 rescriptum e* osiri *p s* a^1; osiride *rell. v Domb.* 15 ea se] eas *e s* 18 eius modi *s* uana] uesana *a b* diis hominem *v* 19 sidera e^1 21 perduc. *om. a* 24 discripsit l^1 27 sed] qui *b* quo *a*

in caeli conuersione motibus siderum fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas uariis effectibus exsequendis, totum hoc ad eosdem ipsos daemones pertinet ludificatores animarum sibimet subditarum et uoluptaria sibi ludibria de hominum erroribus exhibentes. Aut ergo re uera dubitans et inquirens ista Porphyrius ea tamen commemorat, quibus conuincantur et redarguantur, nec ad eas potestates, quae nobis ad beatam uitam capessendam fauent, sed ad deceptores daemones pertinere monstrentur; aut, ut meliora de philosopho suspicemur, eo modo uoluit hominem Aegyptium talibus erroribus deditum et aliqua magna se scire opinantem non superba quasi auctoritate doctoris offendere, nec aperte aduersantis altercatione turbare, sed quasi quaerentis et discere cupientis humilitate ad ea cogitanda conuertere et quam sint contemnenda uel etiam deuitanda monstrare. Denique prope ad epistulae finem petit se ab eo doceri, quae sit ad beatitudinem uia ex Aegyptia sapientia. Ceterum illos, quibus conuersatio cum dis ad hoc esset, ut ob inueniendum fugitiuum uel praedium conparandum, aut propter nuptias uel mercaturam uel quid huius modi mentem diuinam inquietarent, frustra eos uideri dicit coluisse sapientiam; illa etiam ipsa numina, cum quibus conuersarentur, etsi de ceteris rebus uera praedicerent, tamen quoniam de beatitudine nihil cautum nec satis idoneum monerent, nec deos illos esse nec benignos daemones, sed aut illorum quod dicitur fallax, aut humanum omne commentum.

1 *sq.* in terra .... uariis *om. e* 3 daem. ipsos *s* 4 de *om. a*^{1} 5 error. exhib. *m. 2 in ras. e* 6 ista *om. a* ea tamen] et tam. *s* 9 monstrantur *b;* monstratur *a* 17 illis *a* 18 esse *b*^{1} 19 aut *mss.;* uel *v* 20 huiusce modi *a* 21 uoluisse *s* 23 quoniam tamen *v* de *om. e* beatitudini *e* 25 aut illorum *scripsi;* aut illum *mss. v Domb.* quod *p;* qui *rell. v Domb.*

CAPUT XII.

De miraculis, quae per sanctorum angelorum ministerium Deus uerus operatur.

Verum quia tanta et talia geruntur his artibus, ut uniuersum modum humanae facultatis excedant: quid restat, nisi ut ea, quae mirifice tamquam diuinitus praedici uel fieri uidentur nec tamen ad unius Dei cultum referuntur, cui simpliciter inhaerere fatentibus quoque Platonicis et per multa testantibus solum beatificum bonum est, malignorum daemonum ludibria et seductoria inpedimenta, quae uera pietate cauenda sunt, prudenter intellegantur? Porro autem quaecumque miracula siue per angelos siue quocumque modo ita diuinitus fiunt, ut Dei unius, in quo solo beata uita est, cultum religionemque commendent, ea uere ab eis uel per eos, qui nos secundum ueritatem pietatemque diligunt, fieri ipso Deo in illis operante credendum est. Neque enim audiendi sunt, qui Deum inuisibilem uisibilia miracula operari negant, cum ipse etiam secundum ipsos fecerit mundum, quem certe uisibilem negare non possunt. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, profecto minus est quam totus hic mundus, id est caelum et terra et omnia quae in eis sunt, quae certe Deus fecit. Sicut autem ipse qui fecit, ita modus quo fecit occultus est et inconprehensibilis homini. Quamuis itaque miracula uisibilium naturarum uidendi adsiduitate uiluerint, tamen, cum ea sapienter intuemur, inusitatissimis rarissimisque maiora sunt. Nam et omni miraculo, quod fit per hominem, maius miraculum est homo. Quapropter Deus, qui fecit uisibilia caelum et terram, non dedignatur facere uisibilia miracula in caelo uel terra, quibus ad se inuisibilem colendum excitet animam adhuc uisibilibus deditam;

7 unius ueri dei *a* 8 adhaerere *s* 9 testificantibus *e* 12 miracula .... quocumque *om. b*^{1} 16 deo illis imperante *s* 18 cum] qui *b* 21 terram *s* *uerba* et omnia *usque ad* facere *l. 29 om. a* 25 inusitatis rarissimisque *m. 2 ex* inusitatissimisque *corr., e* 26 rarisque *b* 29 uel terra *a e*^{1} *l α k Domb.;* et terra *s;* uel in terra *b e*^{2} *v;* et in terra *p*

ubi uero et quando faciat, incommutabile consilium penes ipsum est, in cuius dispositione iam tempora facta sunt quaecumque futura sunt. Nam temporalia mouens temporaliter non mouetur, nec aliter nouit facienda quam facta, nec aliter inuocantes exaudit quam inuocaturos uidet. Nam et cum exaudiunt angeli eius, ipse in eis exaudit, tamquam in uero nec manu facto templo suo, sicut in hominibus sanctis suis, eiusque temporaliter fiunt iussa aeterna eius lege conspecta.

CAPUT XIII.

De inuisibili Deo, qui se uisibilem saepe praestiterit, non secundum quod est, sed secundum quod poterant ferre cernentes.

Nec mouere debet, quod, cum sit inuisibilis, saepe uisibiliter patribus apparuisse memoratur. Sicut enim sonus, quo auditur sententia in silentio intellegentiae constituta, non est hoc quod ipsa: ita et species, qua uisus est Deus in natura inuisibili constitutus, non erat quod ipse. Verum tamen ipse in eadem specie corporali uidebatur, sicut illa sententia ipsa in sono uocis auditur; nec illi ignorabant inuisibilem Deum in specie corporali, quod ipse non erat, se uidere. Nam et loquebatur cum loquente Moyses et ei tamen dicebat: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi temet ipsum, scienter ut uideam te. Cum igitur oporteret Dei legem in edictis angelorum terribiliter dari, non uni homini paucisue sapientibus, sed uniuersae genti et populo ingenti: coram eodem populo magna facta sunt in monte, ubi lex per unum dabatur, conspiciente multitudine metuenda et tremenda quae fiebant. Non enim populus Israel sic Moysi credidit, quem ad

21 Exod. 33, 13 23 Act. 7, 53

4 non mouetur nec aliter *om.* b^1 7 hominibus] humilibus *a* b^1 usque *e* 8 temporaliter, ter *m. 2 in ras., b* 14 quo] quod *b* 17 uisibili *b e* 21 moyse sed *a b e* 25 et *om. b* et pop. ingenti *om. s* 27 et *a b e p s;* ac *v Domb.*

modum suo Lycurgo Lacedaemonii, quod a Ioue seu Apolline leges, quas condidit, accepisset. Cum enim lex dabatur populo, qua coli unus iubebatur Deus, in conspectu ipsius populi, quantum sufficere diuina prouidentia iudicabat, mirabilibus rerum signis et motibus apparebat ad eandem legem dandam creatori seruire creaturam.

CAPUT XIIII.

De uno Deo colendo non solum propter aeterna, sed etiam propter temporalia beneficia, quia uniuersa in ipsius prouidentiae potestate consistunt.

Sicut autem unius hominis, ita humani generis, quod ad Dei populum pertinet, recta eruditio per quosdam articulos temporum tamquam aetatum profecit accessibus, ut a temporalibus ad aeterna capienda et a uisibilibus ad inuisibilia surgeretur; ita sane ut etiam illo tempore, quo uisibilia promittebantur diuinitus praemia, unus tamen colendus commendaretur Deus, ne mens humana uel pro ipsis terrenis uitae transitoriae beneficiis cuiquam nisi uero animae creatori et domino subderetur. Omnia quippe, quae praestare hominibus uel angeli uel homines possunt, in unius esse Omnipotentis potestate quisquis diffitetur, insanit. De prouidentia certe Plotinus Platonicus disputat eamque a summo Deo, cuius est intellegibilis adque ineffabilis pulchritudo, usque ad haec terrena et ima pertingere flosculorum adque foliorum pulchritudine conprobat; quae omnia quasi abiecta et uelocissime pereuntia decentissimos formarum suarum numeros habere non posse confirmat, nisi inde formentur, ubi forma intellegibilis

22 Enn. III, 2, 13

1 lygurgo *a e;* ly//gurgo, *superscripto* s. regi, *b* siue *a* 5 et *a b e l p s;* ac *v Domb.* 11 ita *om. a* 13 proficit *s* 15 surgeret *e;* suggeretur a^1 16 tamen] tantum *Domb.*^{1}. 18 cuiquam *om. a* uero *om. a* et *b e l p;* ac *s v Domb.* et domino *om. a* 20 Omnipot. *om.* b^1 21 diffidit *e p s* 22 platonicus plotinus *e;* plotinus philosophus platonicus *a* platonis b^1 24 pulchr.] fortitudine *e* 27 inintelleg. *s*

et incommutabilis simul habens omnia perseuerat. Hoc Dominus Iesus ibi ostendit, ubi ait: Considerate lilia agri, non laborant neque nent. Dico autem uobis, quia nec Salomon in tota gloria sua sic amictus est, sicut unum ex eis. Quod si faenum agri, quod hodie est et cras in clibanum mittitur, Deus sic uestit: quanto magis uos, modicae fidei? Optime igitur anima humana adhuc terrenis desideriis infirma ea ipsa, quae temporaliter exoptat bona infima adque terrena uitae huic transitoriae necessaria et prae illius uitae sempiternis beneficiis contemnenda, non tamen nisi ab uno Deo expectare consuescit, ut ab illius cultu etiam in istorum desiderio non recedat, ad quem contemtu eorum et ab eis auersione perueniat.

CAPUT XV.

De ministerio sanctorum angelorum, quo prouidentiae Dei seruiunt.

Sic itaque diuinae prouidentiae placuit ordinare temporum cursum, ut, quem ad modum dixi et in actibus apostolorum legitur, lex in edictis angelorum daretur de unius ueri Dei cultu, in quibus et persona ipsius Dei, non quidem per suam substantiam, quae semper corruptibilibus oculis inuisibilis permanet, sed certis indiciis per subiectam creatori creaturam uisibiliter appareret et syllabatim per transitorias temporum morulas humanae linguae uocibus loqueretur, qui in sua natura non corporaliter, sed spiritaliter, non sensibiliter, sed intellegibiliter, non temporaliter, sed, ut ita dicam, aeterna-

2 Mt. 6, 28 sqq. 18 Act. 7, 53

2 Iesus] deus *a b* 3 nent *a b e p s v;* neent *l;* neunt a^1 *Domb.* quia] quod *a* 4 in *om. a* tota *e p s f;* tanta *b α k v Domb.;* omni *a* 5 ex his *e l;* ex istis *a* 7 modicae] minime *a* 8 humana *sup. lin. b* 10 necessaria *om.* b^1 pro *a* sempiternae *s* 12 ad quem] atque *s;* atque ad *a* 13 contemptum *a* euersione *b;* euersionem, *superscripto m. 2* reuersionem, *a* 18 et *om. a b* actis *s* 26 non tempor. *om.* b^1 dixerim *s*

liter nec incipit loqui nec desinit; quod aput illum sincerius audiunt, non corporis aure sed mentis, ministri eius et nuntii, qui eius ueritate incommutabili perfruuntur inmortaliter beati; et quod faciendum modis ineffabilibus audiunt et usque in ista uisibilia adque sensibilia perducendum, incunctanter adque indifficulter efficiunt. Haec autem lex distributione temporum data est, quae prius haberet, ut dictum est, promissa terrena, quibus tamen significarentur aeterna, quae uisibilibus sacramentis celebrarent multi, intellegerent pauci. Unius tamen Dei cultus apertissima illic et uocum et rerum omnium contestatione praecipitur, non unius de turba, sed qui fecit caelum et terram et omnem animam et omnem spiritum, qui non est quod ipse. Ille enim fecit, haec facta sunt, adque ut sint et bene se habeant, eius indigent, a quo facta sunt.

CAPUT XVI.

An de promerenda beata uita his angelis sit credendum, qui se coli exigunt honore diuino; an uero illis, qui non sibi, sed uni Deo sancta praecipiunt religione seruiri.

Quibus igitur angelis de beata et sempiterna uita credendum esse censemus? Utrum eis, qui se religionis ritibus coli uolunt sibi sacra et sacrificia flagitantes a mortalibus exhiberi, an eis, qui hunc omnem cultum uni Deo creatori omnium deberi dicunt eique reddendum uera pietate praecipiunt, cuius et ipsi contemplatione beati sunt et nos futuros esse promittunt? Illa namque uisio Dei tantae pulchritudinis uisio est et tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praeditum adque abundantem non dubitet Plotinus in-

1 nec desinit *om. a* 3 ueritati *s* 4 ineffabiliter *s* et *eras. a* usque, us *eras., s* 5 ac *b* adque sensib. *om. a* at indiff. *a* 7 ut dictum est *om. a* 9 unus *a* 11 turba, *superscripto* s. deorum, *b* et caelum *a* 12 qui non *usque ad* facta sunt *l. 14 om. p*^{1} 13 haec quę, quę *m. 2 in fin. uersus, e* 16 de *om. p* 18 sibi] se *p q; om. C* 23 omnem *om. b*^{1} 24 delibari *b* 26 uisio . . pulchritudinis *om. b*^{1} 28 habund. *b e*

felicissimum dicere. Cum ergo ad hunc unum quidam angeli, quidam uero ad se ipsos latria colendos signis mirabilibus excitent, et hoc ita, ut illi istos coli prohibeant, isti autem illum prohibere non audeant: quibus potius sit credendum, respondeant Platonici, respondeant quicumque philosophi, respondeant theurgi uel potius periurgi; hoc enim sunt omnes illae artes uocabulo digniores; postremo respondeant homines, si ullus naturae suae sensus, quod rationales creati sunt, ex aliqua parte uiuit in eis; respondeant, inquam, eisne sacrificandum sit dis uel angelis, qui sibi sacrificari iubent, an illi uni, cui iubent hi qui et sibi et istis prohibent? Si nec isti nec illi ulla miracula facerent, sed tantum praeciperent, alii quidem ut sibi sacrificaretur, alii uero id uetarent, sed uni tantum iuberent Deo: satis deberet pietas ipsa discernere, quid horum de fastu superbiae, quid de uera religione descenderet. Plus etiam dicam: si tantum hi mirabilibus factis humanas animas permouerent, qui sacrificia sibi expetunt, illi autem, qui hoc prohibent et uni tantum Deo sacrificari iubent, nequaquam ista uisibilia miracula facere dignarentur: profecto non sensu corporis, sed ratione mentis praeponenda eorum esset auctoritas. Cum uero Deus id egerit ad commendanda eloquia ueritatis suae, ut per istos inmortales nuntios non sui fastum, sed maiestatem illius praedicantes faceret maiora, certiora, clariora miracula, ne infirmis piis illi, qui sacrificia sibi expetunt, falsam religionem facilius persuaderent, eo quod sensibus eorum quaedam stupenda monstrarent: quem tandem ita

1 Enn. I, 6, 7

1 unum *om. s* 3 prohib.] praecipiant *s* 6 perteurgi *a;* pertergi, *in marg.* *l* periurgi, *b* illae omnes *v* 8 suae *om. p s* illis *ante* sensus *superscriptum e* quod *b e l p s α k f Domb.;* quo *a v* et ex alia *e* 11 nec illi nec isti *v* 13 id *om. l*[1] 15 religione *om. a*[1] 16 hi *om. a b*[1] *p s* 17 animas permouerent *e l p s α k f Domb.*[2]; mentes promouerent *a;* promouerent mentes *b Domb.*[1]; permou. mentes *v* 20 proponenda *e* 22 non suum factum *s;* non sua facta, *in marg.* al. non sui fastum, *b;* non sua nomina sui fastu *a* 24 piis *om. a* expetant *b;* exspectant *s*

desipere libeat, ut non uera eligat quae sectetur, ubi et ampliora inuenit quae miretur?

Illa quippe miracula deorum gentilium, quae commendat historia (non ea dico, quae interuallis temporum occultis ipsius mundi causis, uerum tamen sub diuina prouidentia constitutis et ordinatis monstrosa contingunt; quales sunt inusitati partus animalium et caelo terraque rerum insolita facies, siue tantum terrens siue etiam nocens, quae procurari adque mitigari daemonicis ritibus fallacissima eorum astutia perhibentur; sed ea dico, quae ui ac potestate eorum fieri satis euidenter apparet, ut est quod effigies deorum Penatium, quas de Troia Aeneas fugiens aduexit, de loco in locum migrasse referuntur; quod cotem Tarquinius nouacula secuit; quod Epidaurius serpens Aesculapio nauiganti Romam comes adhaesit; quod nauem, qua simulacrum matris Phrygiae uehebatur, tantis hominum boumque conatibus inmobilem redditam una muliercula zona adligatam ad suae pudicitiae testimonium mouit et traxit; quod uirgo Vestalis, de cuius corruptione quaestio uertebatur, aqua inpleto cribro de Tiberi neque perfluente abstulit controuersiam) — haec ergo adque huius modi nequaquam illis, quae in populo Dei facta legimus, uirtute ac magnitudine conferenda sunt; quanto minus ea, quae illorum quoque populorum, qui tales deos coluerunt, legibus iudicata sunt prohibenda adque plectenda, magica scilicet uel theurgica! quorum pleraque specie tenus mortalium sensus imaginaria ludificatione decipiunt, quale est lunam deponere, 'donec subpositas, ut ait Lucanus, propior despumet in herbas;' quae-

27 Phars. VI, 506

1 sectatur b^1 6 monstruosa $b\,e^2$ 7 terraeque *b*; et terra *s* 9 daemoniacis *v* 10 ui *sup. lin. e* ac] et *b*; aut *e* 11 penatum *a* 12 quas *a b l p s α k f v*; quos *e* 14 serpens *sup. lin. e* 15 nauim *e v* 16 conantibus *l* 17 alligata *s* 19 defluente, de *eraso* p, *a* 20 adque] et *a b* huius modi *l p s*; huiusce modi *e*; alia huius modi *a b k v* 21 legimus] sunt *a b* 25 pleraque *om.* a^1 26 ēē (= esse) *e* donec] quod nec *b* subposita *e* 27 ut luc. ait *a* in] et *e*

dam uero etsi nonnullis piorum factis uideantur opere coaequari, finis ipse, quo discernuntur, incomparabiliter haec nostra ostendit excellere. Illis enim multi tanto minus sacrificiis colendi sunt, quanto magis haec expetunt; his uero unus commendatur Deus, qui se nullis talibus indigere et scripturarum suarum testificatione et eorundem postea sacrificiorum remotione demonstrat. Si ergo angeli sibi expetunt sacrificium, praeponendi eis sunt, qui non sibi, sed Deo creatori omnium, cui seruiunt. Hinc enim ostendunt quam sincero amore nos diligant, quando per sacrificium non sibi, sed ei nos subdere uolunt, cuius et ipsi contemplatione beati sunt, et ad eum nos peruenire, a quo ipsi non recesserunt. Si autem angeli, qui non uni sed plurimis sacrificia fieri uolunt, non sibi, sed eis dis uolunt, quorum deorum angeli sunt: etiam sic eis praeponendi sunt illi, qui unius Dei deorum angeli sunt, cui sacrificari sic iubent, ut alicui alteri uetent, cum eorum nullus huic uetet, cui uni isti sacrificari iubent. Porro si, quod magis indicat eorum superba fallacia, nec boni nec bonorum deorum angeli sunt, sed daemones mali, qui non unum solum ac summum Deum, sed se ipsos sacrificiis coli uolunt: quod maius quam unius Dei contra eos eligendum est praesidium, cui seruiunt angeli boni, qui non sibi, sed illi iubent ut sacrificio seruiamus, cuius nos ipsi esse sacrificium debemus?

1 priorum *a* quoequari *s* 3 illi *b* 4 sunt *om. a e* 8 sunt qui *a b e l p s;* sunt illi qui *v Domb.* omnium *om. a*[1] 9 amore] animo *p* 10 diligant *e l p s α k*[2] *f Domb.;* diligunt *a b k*[1] *v* 12 peruenire quaerunt *s* non] numquam *a* autem] ergo *a* 14 eis diis soluunt *p s* sic eis] ipsis *e* 17 uetet et *ex* uetetur *corr. a* 18 superb/a, i *eras., a* 19 non solum unum *a* 20 quo *b*[1] 21 magis *a b* diligendum *e* 23 sacrif. esse *a b s v*

CAPUT XVII.

De arca testamenti miraculisque signorum, quae ad commendandam legis ac promissionis auctoritatem diuinitus facta sunt.

Proinde lex Dei, quae in edictis data est angelorum, in qua unus Deus deorum religione sacrorum iussus est coli, alii uero quilibet prohibiti, in arca erat posita, quae arca testimonii nuncupata est. Quo nomine satis significatur non Deum, qui per illa omnia colebatur, circumcludi solere uel contineri loco, cum responsa eius et quaedam humanis sensibus darentur signa ex illius arcae loco, sed uoluntatis eius hinc testimonia perhiberi; quod etiam ipsa lex erat in tabulis conscripta lapideis et in arca, ut dixi, posita, quam tempore peregrinationis in eremo cum tabernaculo, quod similiter appellatum est tabernaculum testimonii, cum debita sacerdotes ueneratione portabant; signumque erat, quod per diem nubes apparebat, quae sicut ignis nocte fulgebat; quae nubes cum moueretur, castra mouebantur, et ubi staret, castra ponebantur. Reddita sunt autem illi legi magni miraculi testimonia praeter ista, quae dixi, et praeter uoces, quae ex illius arcae loco edebantur. Nam cum terram promissionis intrantibus eadem arca transiret. Iordanes fluuius ex parte superiore subsistens et ex inferiore decurrens et ipsi et populo siccum praebuit transeundi locum. Deinde ciuitatis, quae prima hostilis occurrit more gentium deos plurimos colens, septiens eadem arca circumacta muri repente ceciderunt, nulla manu oppugnati, nullo ariete percussi. Post haec etiam cum iam in terra promissionis essent et eadem arca propter eorum peccata fuisset ab hostibus capta,

16 Exod. 13, 21 17 ib. 40, 34 sq. 22 Ios. 3, 16 sq. 25 ib. 6, 20

2 archa *p* 5 angelorum data est *a* 14 heremo *mss.* cum *om. e* 15 deuita *s* 16 erat *om. a* 18 et ubi .. ponebantur *om. a* 19 *et* 20 propter, *in marg.* praeter, *e* 21 namque *a* ex eadem *a;* ut eadem, ut *ex* et *corr., b* 22 iordanes *l f;* iordannes *α;* iordanis *a b e p s;* Iordanem *v* 23 et ipsis *a, om. e* 24 ciuitatis, *superscripto* ierico, *p* gentilium *α* 27 Post haec] postea *b*

hi, qui ceperant, in templo eam dei sui, quem prae ceteris colebant, honorifice conlocarunt abeuntesque clauserunt, apertoque postridie simulacrum, cui supplicabant, inuenerunt conlapsum deformiterque confractum. Deinde ipsi prodigiis acti deformiusque puniti arcam diuini testimonii populo, unde ceperant, reddiderunt. Ipsa autem redditio qualis fuit! Inposuerunt eam plaustro eique iuuencas, a quibus uitulos sugentes abstraxerant, subiunxerunt et eas quo uellent ire siuerunt, etiam inde uim diuinam explorare cupientes. At illae sine duce homine adque rectore ad Hebraeos uiam pertinaciter gradientes nec reuocatae mugitibus esurientium filiorum magnum sacramentum suis cultoribus reportarunt. Haec adque huius modi Deo parua sunt, sed magna terrendis salubriter erudiendisque mortalibus. Si enim philosophi praecipueque Platonici rectius ceteris sapuisse laudantur, sicut paulo ante commemoraui, quod diuinam prouidentiam haec quoque rerum infima adque terrena administrare docuerunt numerosarum testimonio pulchritudinum, quae non solum in corporibus animalium, uerum in herbis etiam faenoque gignuntur: quanto euidentius haec adtestantur diuinitati, quae ad horam praedicationis eius fiunt, ubi ea religio commendatur, quae omnibus caelestibus, terrestribus, infernis sacrificari uetat, uni Deo tantum iubens, qui solus diligens et dilectus beatos facit eorumque sacrificiorum tempora imperata praefiniens eaque per meliorem sacerdotem in melius mutanda praedicens non ista se adpetere, sed per haec alia potiora significare testatur, non ut ipse his honoribus sublimetur, sed ut nos ad eum colendum eique cohaerendum igne amoris eius accensi, quod nobis, non illi, bonum est, excitemur.

7 Reg. I, 6. 11 sqq.

1 hi qui eam ceperant, in templo Dei sui *v* eandem *a* 5 deformiterque *a s* 6 qualis] talis *a* 8 suggentes *a e* 9 inde *p;* hinc *v;* hic *rell. Domb.* 10 homine duce *v* 15 sapuisse cet. *a* 21 eius *om. a* 22 sacrificare *a* 23 dilectos *a* 24 tempora *om. a* 28 igni eius amoris *e*

CAPUT XVIII.

Contra eos, qui de miraculis, quibus Dei populus eruditus est, negant ecclesiasticis libris esse credendum.

An dicet aliquis ista falsa esse miracula nec fuisse facta, sed mendaciter scripta? Quisquis hoc dicit, si de his rebus negat omnino ullis litteris esse credendum, potest etiam dicere nec deos ullos curare mortalia. Non enim se aliter colendos esse persuaserunt nisi mirabilium operum effectibus, quorum et historia gentium testis est, quarum di se ostentare mirabiles potius quam utiles ostendere potuerunt. Unde hoc opere nostro, cuius hunc iam decimum librum habemus in manibus, non eos suscepimus refellendos, qui uel ullam esse uim diuinam negant uel humana non curare contendunt, sed eos, qui nostro Deo conditori sanctae et gloriosissimae ciuitatis deos suos praeferunt, nescientes eum ipsum esse etiam mundi huius uisibilis et mutabilis inuisibilem et incommutabilem conditorem et uitae beatae non de his, quae condidit, sed de se ipso uerissimum largitorem. Eius enim propheta ueracissimus ait: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. De fine boni namque inter philosophos quaeritur, ad quod adipiscendum omnia officia referenda sunt. Nec dixit iste: Mihi autem diuitiis abundare bonum est, aut insigniri purpura et sceptro uel diademate excellere, aut, quod nonnulli etiam philosophorum dicere non erubuerunt: Mihi uoluptas corporis bonum est; aut quod melius uelut meliores dicere uisi sunt: Mihi uirtus animi mei bonum est; sed: Mihi, inquit, ad-

20 Ps. 72, 28

2 populos *C* 5 dicit *s* 7 adicere, a *m. 1 superscript., b* 10 quorum *e* 12 in man. hab. *a* 13 reppellendos *b* 14 humanam *e* 15 et *om. e* gloriosissimeque, que *m. 2, in marg.* et religiosissime, *e* 19 se *om. b e* 21 namque boni *p v* boni *om. a* ad quem *a* 25 uoluntas *b* 26 uelut] uel *a* uisi] ausi *a* 27 animi.... mihi *om. l*[1]

haerere Deo bonum est. Hoc eum docuerat, cui uni tantummodo sacrificandum sancti quoque angeli eius miraculorum etiam contestatione monuerunt. Unde et ipse sacrificium eius factus erat, cuius igne intellegibili correptus ardebat, et in eius ineffabilem incorporeumque conplexum sancto desiderio ferebatur. Porro autem si multorum deorum cultores (qualescumque deos suos esse arbitrentur) ab eis facta esse miracula uel ciuilium rerum historiae uel libris magicis siue, quod honestius putant, theurgicis credunt: quid causae est, quur illis litteris nolint credere ista facta esse, quibus tanto maior debetur fides, quanto super omnes est magnus, cui uni soli sacrificandum esse praecipiunt?

CAPUT XVIIII.

Quae ratio sit uisibilis sacrificii, quod uni uero et inuisibili Deo offerri docet uera religio.

Qui autem putant haec uisibilia sacrificia dis aliis congruere, illi uero tamquam inuisibili inuisibilia et maiori maiora meliorique meliora, qualia sunt purae mentis et bonae uoluntatis officia: profecto nesciunt haec ita signa esse illorum, sicut uerba sonantia signa sunt rerum. Quocirca sicut orantes adque laudantes ad eum dirigimus significantes uoces, cui res ipsas in corde quas significamus offerimus: ita sacrificantes non alteri uisibile sacrificium offerendum esse nouerimus quam illi, cuius in cordibus nostris inuisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis fauent nobisque congaudent adque ad hoc ipsum nos pro suis uiribus adiuuant angeli quique uirtutesque superiores et ipsa bonitate ac pietate potentiores. Si autem illis haec exhibere uoluerimus, non libenter acci-

4 corruptus b^1 5 in effabilem *s* corpor. *s* 7 esse *om. a* 9 theoricis *p* uel quid *sup. lin. e* 10 nolunt *s* 12 *post* praecipiunt *in* b *m. 2 exstant*: mira comparatio de sacrifitio uisibili et inuisibili 16 sacrificia . . . . . inuisibilia *m. 2 in marg. b* alienis *a b e* 17 uere *a* maiori maiora *p s v;* maiora maiori *rell. Domb.* 19 ista *b e* esse signa *v* 20 sicut] si *a* 26 quoque *e;* quippe *s*

piunt, et cum ad homines ita mittuntur, ut eorum praesentia sentiatur, apertissime uetant. Sunt exempla in litteris sanctis. Putauerunt quidam deferendum angelis honorem uel adorando uel sacrificando, qui debetur Deo, et eorum sunt admonitione prohibiti iussique hoc ei deferre, cui uni fas esse nouerunt. Imitati sunt angelos sanctos etiam sancti homines Dei. Nam Paulus et Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis putati sunt di, eisque Lycaonii uictimas immolare uoluerunt; quod a se humili pietate remouentes eis in quem crederent adnuntiauerunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi superbe sibi hoc exigunt, nisi quia uero Deo deberi sciunt. Non enim re uera, ut ait Porphyrius et nonnulli putant, cadauerinis nidoribus, sed diuinis honoribus gaudent. Copiam uero nidorum magnam habent undique, et si amplius uellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo diuinitatem sibi adrogant spiritus, non cuiuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui decepto subiectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum uerum, ne sit homo illius sacrificium, dum sacrificatur cuipiam praeter illum.

CAPUT XX.

De summo ueroque sacrificio, quod ipse Dei et hominum mediator effectus est.

Unde uerus ille mediator, in quantum formam serui accipiens mediator effectus est Dei et hominum, homo Christus Iesus, cum in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum

3 Iudic. 13, 16; Apoc. 22, 8; 9 7 Act. 14

1 mittantur *a b* 2 in litteris *om.* b^1 3 angelis defer. *a* 5 iussique ..... nouerant *in marg. b* uni *om. a* 8 immolare uict. *v* 9 quos *e* in quem *om.* b^1 11 sibi hoc *om. a* *post* sciunt *addita est glossa m. 2 cancellis septa* [non delectari daemones incensio aut nidoribus sed obsequio eorum qui ea offerunt] *b* 12 et ut b^2 19 cuipiam, *in marg.* ł quippiam, *b* *post illum m. 2 cancellis septa* [eleganter de christo qui in forma dei cum patre sacrificium sumit in forma serui ipse sacrificium factus est] *b*

quo et unus Deus est, tamen in forma serui sacrificium maluit esse quam sumere, ne uel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturae. Per hoc et sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cuius rei sacramentum cottidianum esse uoluit ecclesiae- sacrificium, quae cum ipsius capitis corpus sit, se ipsam per ipsum discit offerre. Huius ueri sacrificii multiplicia uariaque signa erant sacrificia prisca sanctorum, cum hoc unum per multa figuraretur, tamquam uerbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur. Huic summo ueroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

CAPUT XXI.

De modo potestatis daemonibus datae ad glorificandos sanctos per tolerantiam passionum, qui aerios spiritus non placando ipsos, sed in Deo permanendo uicerunt.

Moderatis autem praefinitisque temporibus etiam potestas permissa daemonibus, ut hominibus quos possident excitatis inimicitias aduersus Dei ciuitatem tyrannice exerceant sibique sacrificia non solum ab offerentibus sumant et a uolentibus expetant, uerum etiam ab inuitis persequendo uiolenter extorqueant, non solum perniciosa non est, sed etiam utilis inuenitur ecclesiae, ut martyrum numerus inpleatur; quos ciuitas Dei tanto clariores et honoratiores ciues habet, quanto fortius aduersus inpietatis peccatum et usque ad sanguinem certant. Hos multo elegantius, si ecclesiastica loquendi consuetudo

23 Apoc. 6, 11

1 est deus *e* 2 estimaret *a* 4 offerens et oblatio *a* quottid. *b* 14 sanctos qui pertulerunt iam passionem qui aereos *p* 15 spiritos *C* 21 exspectant *e* ab inuitis b^2 *e p s v;* ab inimicis f^2; inuitos *a* b^1 *l* α *k* f^1 *Domb.* 22 uerum etiam inutilis *s* 24 tanto *om. s* 25 impietatis peccatum, *in marg.* impietatē peccantum, *e* et *mss.;* etiam *v* 26 consuetudine *b*

pateretur, nostros heroas uocaremus. Hoc enim nomen a Iunone dicitur tractum, quod Graece Iuno Ἥρα appellatur, et ideo nescio quis filius eius secundum Graecorum fabulas Heros fuerit nuncupatus, hoc uidelicet ueluti mysticum significante fabula, quod aer Iunoni deputetur, ubi uolunt cum daemonibus heroas habitare, quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum. Sed a contrario martyres nostri heroes nuncuparentur, si, ut dixi, usus ecclesiastici sermonis admitteret, non quo eis esset cum daemonibus in aere societas, sed quod eosdem daemones, id est aerias uincerent potestates et in eis ipsam, quidquid putatur significare, Iunonem, quae non usquequaque inconuenienter a poetis inducitur inimica uirtutibus et caelum petentibus uiris fortibus inuida. Sed rursus ei succumbit infeliciter ceditque Vergilius, ut, cum aput eum illa dicat:

Vincor ab Aenea,

ipsum Aenean admoneat Helenus quasi consilio religioso et dicat:

Iunoni cane uota libens, dominamque potentem
Supplicibus supera donis.

Ex qua opinione Porphyrius, quamuis non ex sua sententia, sed ex aliorum, dicit bonum deum uel genium non uenire in hominem, nisi malus fuerit ante placatus; tamquam fortiora sint aput eos numina mala quam bona, quando quidem mala inpediunt adiutoria bonorum, nisi eis placata dent locum, malisque nolentibus bona prodesse non possunt; nocere autem mala possunt, non sibi ualentibus resistere bonis. Non est

16 Aen. VII, 310 19 Aen. III, 438 sq.

1 nostros heroas *superscripto m. 2* nr̄os dn̄os, *s* nomen *om. a* 2 heroa *a* 4 ueluti *om. a* 7 defunctorum. [unde dicti heroes] *uncis inclusa* b^2 a *b* e l^1 *p s* a^1 k^1 *v*; e *a* l^2 a^2 k^2 *f* 8 sict *b* 9 quod *p v* 12 in ducibus, *superscripto m. 2* aꝁ inducitur, *a* 17 religiosus *p* 22 ex *om.* b^1 bonum dicit *v* 23 ante *sup. lin. b* non fortiora, non *m. 2 sup. lin., a* 24 mala·quam] aliqua *a*

ista uerae ueraciterque sanctae religionis uia; non sic Iunonem, hoc est aerias potestates piorum uirtutibus inuidentes, nostri martyres uincunt. Non omnino, si dici usitate posset, heroes nostri supplicibus donis, sed uirtutibus diuinis Heran superant. Commodius quippe Scipio Africanus est cognominatus, quod uirtute Africam uicerit, quam si hostes donis placasset, ut parcerent.

CAPUT XXII.

Unde sit sanctis aduersum daemones potestas et unde cordis uera purgatio.

Vera pietate homines Dei aeriam potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando eiciunt, non placando, omnesque tentationes aduersitatis eius uincunt orando non ipsam, sed Deum suum aduersus ipsam. Non enim aliquem uincit aut subiugat nisi societate peccati. In eius ergo nomine uincitur, qui hominem adsumsit egitque sine peccato, ut in ipso sacerdote ac sacrificio fieret remissio peccatorum, id est per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum, per quem facta peccatorum purgatione reconciliamur Deo. Non enim nisi peccatis homines separantur a Deo, quorum in hac uita non fit nostra uirtute, sed diuina miseratione purgatio, per indulgentiam illius, non per nostram potentiam; quia et ipsa quantulacumque uirtus, quae dicitur nostra, illius est nobis bonitate concessa. Multum autem nobis in hac carne tribueremus, nisi usque ad eius depositionem sub uenia uiueremus. Propterea ergo nobis per Mediatorem praestita est gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati similitudine mundaremur. Hac Dei gratia, qua in nos ostendit magnam

3 heroes, *m. 2 superscripto* dñi, *s;* heroas b^2 4 heran *e l;* Heram *v Domb.;* heroas *a b;* aera *p s* (*fortasse recte; cf. l. 1 sq.* Iunonem, hoc est aerias potestates *et l. 11*) 10 uera cordis *p* 14 deum suum *a b e l p s;* suum Deum *v Domb.* 16 hominem] humanam formam *a b* 19 purg. peccat. *a* Deo *om. a* 22 et *om. b* 24 nobis *om. b* 28 mundaremur a dei gratia quam in nos ostendit magna misericordia sua *a*

misericordiam suam, et in hac uita per fidem regimur, et post hanc uitam per ipsam speciem incommutabilis ueritatis ad perfectionem plenissimam perducemur.

CAPUT XXIII.

De principiis, in quibus Platonici purgationem animae esse profitentur.

Dicit etiam Porphyrius diuinis oraculis fuisse responsum nos non purgari lunae teletis adque solis, ut hinc ostenderetur nullorum deorum teletis hominem posse purgari. Cuius enim teletae purgant, si lunae solisque non purgant, quos inter caelestes deos praecipuos habent? Denique eodem dicit oraculo expressum principia posse purgare, ne forte, cum dictum esset non purgare teletas solis et lunae, alicuius alterius dei de turba ualere ad purgandum teletae crederentur. Quae autem dicat esse principia tamquam Platonicus, nouimus. Dicit enim Deum Patrem et Deum Filium, quem Graece appellat paternum intellectum uel paternam mentem; de Spiritu autem sancto aut nihil aut non aperte aliquid dicit; quamuis quem alium dicat horum medium, non intellego. Si enim tertiam, sicut Plotinus, ubi de tribus principalibus substantiis disputat, animae naturam etiam iste uellet intellegi, non utique diceret horum medium, id est Patris et Filii medium. Postponit quippe Plotinus animae naturam paterno intellectui; iste autem cum dicit medium, non postponit, sed interponit. Et nimirum hoc dixit, ut potuit siue ut uoluit, quod nos sanctum Spiritum, nec Patris tantum nec Filii tantum, sed utriusque Spiritum dicimus. Liberis enim uerbis loquuntur philosophi, nec in rebus ad intellegendum difficillimis offensionem religiosarum aurium pertimescunt. Nobis

20 Enn. V, 1 23 ib. c. 6

1 et *om.* *a* 5 purgatione *C* 7 etiam] enim *a b* 8 non nos *v* 13 teleta *e* 16 cum appellat grece *a* 17 appellant *b* 18 dicit aliquid *a* 21 etiam *om.* *a* istam *a* 26 spiritum sanctum *p v*

autem ad certam regulam loqui fas est, ne uerborum licentia etiam de rebus, quae his significantur, inpiam gignat opinionem.

CAPUT XXIIII.

De uno ueroque principio, quod solum naturam humanam purgat adque renouat.

Nos itaque ita non dicimus duo uel tria principia, cum de Deo loquimur, sicut nec duos deos uel tres nobis licitum est dicere quamuis de unoquoque loquentes, uel de Patre uel de Filio uel de Spiritu sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur, nec dicamus tamen quod haeretici Sabelliani, eundem esse Patrem, qui est et Filius, et eundem Spiritum sanctum, qui est et Pater et Filius, sed Patrem esse Filii Patrem, et Filium Patris Filium, et Patris et Filii Spiritum sanctum nec Patrem esse nec Filium. Verum itaque dictum est non purgari hominem nisi principio, quamuis pluraliter aput eos sint dicta principia.

[XXIIII.] Sed subditus Porphyrius inuidis potestatibus, de quibus et erubescebat, et eas libere redarguere formidabat, noluit intellegere Dominum Christum esse principium, cuius incarnatione purgamur. Eum quippe in ipsa carne contemsit, quam propter sacrificium nostrae purgationis adsumsit, magnum scilicet sacramentum ea superbia non intellegens, quam sua ille humilitate deiecit uerus benignusque Mediator, in ea se ostendens mortalitate mortalibus, quam maligni fallacesque mediatores non habendo se superbius extulerunt miserisque hominibus adiutorium deceptorium uelut inmortales mortalibus promiserunt. Bonus itaque uerusque Mediator ostendit pecca-

1 ne/, *eraso* c, *a b* 5 solam *p* humanam *om. p* 11 dicimus, ci *ex* ca *m. 2 corr., b* tamen] autem *s* sauelliani, u *m. 2 in* b *corr., s* 12 qui est et filius qui est filius (*sic*) *s* et *ante* eundem *om. s post* eundem *erasum* esse *a* 15 esse *om. a* 16 hominem *om. a* sint apud eos *v* 19 *prius* et *om. e* 22 quem b^1 quam—adsumsit *om. e* 27 mortalium *a*

tum esse malum, non carnis substantiam uel naturam, quae cum anima hominis et suscipi sine peccato potuit et haberi, et morte deponi et in melius resurrectione mutari; nec ipsam mortem, quamuis esset poena peccati, quam tamen pro nobis sine peccato ipse persoluit, peccando esse uitandam, sed potius, si facultas datur, pro iustitia perferendam. Ideo enim soluere potuit moriendo peccata, quia et mortuus est, et non pro peccato. Hunc ille Platonicus non cognouit esse principium; nam cognosceret purgatorium. Neque enim caro principium est aut anima humana, sed Verbum per quod facta sunt omnia. Non ergo caro per se ipsam mundat, sed per Verbum a quo suscepta est, cum Verbum caro factum est et habitauit in nobis. Nam de carne sua manducanda mystice loquens, cum hi qui non intellexerunt offensi recederent dicentes: Durus est hic sermo, quis eum potest audire? respondit manentibus ceteris: Spiritus est qui uiuificat, caro autem non prodest quidquam. Principium ergo suscepta anima et carne et animam credentium mundat et carnem. Ideo quaerentibus Iudaeis quis esset respondit se esse principium. Quod utique carnales, infirmi, peccatis obnoxii et ignorantiae tenebris obuoluti nequaquam percipere possemus, nisi ab eo mundaremur adque sanaremur per hoc quod eramus et non eramus. Eramus enim homines, sed iusti non eramus; in illius autem incarnatione natura humana erat, sed iusta, non peccatrix erat. Haec est mediatio, qua manus lapsis iacentibusque porrecta est; hoc est semen dispositum per angelos, in quorum edictis et lex dabatur, qua et unus Deus coli iubebatur et hic Mediator uenturus promittebatur.

12 Io. 1. 14 15 Io. 6, 60; 63 19 Io. 8, 25 27 Gal. 3. 19

1 quaecum^{que} *b*; quaecum///, *eraso* que, *a* 2 potuit, *m. 2 in rasura*, *a* et *om. b*^{1}, *erasum est in a* habere *b*^{1} 5 sine peccato *om. a* 7 peccatum *a* et *ante* non *om. a* pro suo peccato *v* 11 ergo] enim *p s* ipsam *a e l p v*; ipsa *s a k Domb.* 12 sumpta, *in marg.* suscepta, *e* 17 autem *om. a* 22 adque san. *om. b* hoc *om. e* 23 Eramus..... eramus *om. a* 25 est *om. b*^{1} *s* meditatio *a b*^{1} 27 et *ante* lex *om. s* et *ante* unus *om. a*

CAPUT XXV.

Omnes sanctos et sub legis tempore et sub prioribus saeculis in sacramento et fide Christi iustificatos fuisse.

Huius sacramenti fide etiam iusti antiqui mundari pie uiuendo potuerunt, non solum antequam lex populo Hebraeo daretur (neque enim eis praedicator Deus uel angeli defuerunt), sed ipsius quoque legis temporibus, quamuis in figuris rerum spiritalium habere uideretur promissa carnalia, propter quod uetus dicitur testamentum. Nam et prophetae tunc erant, per quos, sicut per angelos, eadem promissio praedicata est, et ex illorum numero erat, cuius tam magnam diuinamque sententiam de boni humani fine paulo ante commemoraui: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. In quo plane psalmo duorum testamentorum, quae dicuntur uetus et nouum, satis est declarata distinctio. Propter carnales enim terrenasque promissiones, cum eas inpiis abundare perspiceret, dicit pedes suos paene fuisse commotos et effusos in lapsum propemodum gressus suos, tamquam frustra Deo ipse seruisset, cum ea felicitate, quam de illo expectabat, contemtores eius florere perspiceret; seque in rei huius inquisitione laborasse, uolentem quur ita esset adprehendere, donec intraret in sanctuarium Dei et intellegeret in nouissima eorum, qui felices uidebantur erranti. Tunc eos intellexit in eo, quod se extulerunt, sicut dicit, fuisse deiectos et defecisse ac perisse propter iniquitates suas; totumque illud culmen temporalis felicitatis ita eis factum tamquam somnium euigilantis, qui se repente inuenit suis quae somniabat fallacibus gaudiis destitutum. Et quoniam in hac terra uel in ciuitate terrena magni sibi uidebantur:

13 Ps. 72, 28

7 eis *om. e* 8 temp. leg. *a* 9 habere *usque ad* testamentum *om. s* 12 diuamque b^1 21 prospiceret *a;* p̄spiceret *e* 22 adprehendere] approbare *a* 24 quo *s* 25 eiectos *a;* disiectos *l* 26 ita *om. a* 29 in ciuit. *a b e l p s;* in *om. v Domb.* magna b^2

Domine, inquit, imaginem illorum in ciuitate tua ad nihilum rediges. Quod huic tamen utile fuerit etiam ipsa terrena non nisi ab uno uero Deo quaerere, in cuius potestate sunt omnia, satis ostendit ubi ait: Velut pecus factus sum aput te, et ego semper tecum. Velut pecus dixit utique 'non intellegens.' 'Ea quippe a te desiderare debui, quae mihi cum inpiis non possunt esse communia, quibus eos cum abundare cernerem, putaui me incassum tibi seruisse, quando et illi haec haberent, qui tibi seruire noluissent. Tamen ego semper tecum, qui etiam in talium rerum desiderio deos alios non quaesiui.' Ac per hoc sequitur: Tenuisti manum dexterae meae, et in uoluntate tua deduxisti me, et cum gloria adsumsisti me; tamquam ad sinistram cuncta illa pertineant, quae abundare aput inpios cum uidisset paene conlapsus est. Quid enim mihi est, inquit, in caelo, et a te quid uolui super terram? Reprehendit se ipsum iusteque sibi displicuit, quia, cum tam magnum bonum haberet in caelo (quod post intellexit), rem transitoriam, fragilem et quodam modo luteam felicitatem a suo Deo quaesiuit in terra. Defecit, inquit, cor meum et caro mea, Deus cordis mei, defectu utique bono ab inferioribus ad superna; unde in alio psalmo dicitur: Desiderat et deficit anima mea in atria Domini; item in alio: Defecit in salutare tuum anima mea. Tamen cum de utroque dixisset, id est de corde et carne deficiente, non subiecit: Deus cordis et carnis meae, sed Deus cordis mei. Per cor quippe caro mundatur. Unde dicit Dominus: Mundate, quae intus sunt, et quae foris

1 Ps. 72, 20 sqq. 22 Ps. 83, 3 23 Ps. 118, 81 27 Mt. 23, 26

1 imaginem illorum in ciuitate tua *p s;* in ciuit. tua imag. illorum (eorum *v*) *v Domb.* ḫimaginem *l;* imagines *e* 2 quid *a l p s* α^1 *k f* ipsa *om. e* 4 Velut *usque ad* tecum *om. e*^{1} 7 quibus *mss.;* non ea quibus *v* 10 qui *p s v;* quia *a b e l* α *k f Domb.* 11 alienos *a e* 12 dexterā meā *e* et in *p s v;* et *om. a b e l* α *k f Domb.* 15 inquit *om. a* α 19 felicitatem luceam *e* 21 itaque *e* 22 defecit *b* 23 alio psalmo *a* 24 id est *om. b*^{1} 25 deficiente *om. s*

sunt munda erunt. Partem deinde suam dicit ipsum Deum, non aliquid ab eo, sed ipsum. Deus, inquit, cordis mei, et pars mea Deus in saecula; quod inter multa, quae ab hominibus eliguntur, ipse illi placuerit eligendus. Quia ecce, inquit, qui longe se faciunt a te, peribunt; perdidisti omnem, qui fornicatur abs te, hoc est, qui multorum deorum uult esse prostibulum. Unde sequitur illud, propter quod et cetera de eodem psalmo dicenda uisa sunt: Mihi autem adhaerere Deo bonum est, non longe ire, non per plurima fornicari. Adhaerere autem Deo tunc perfectum erit, cum totum, quod liberandum est, fuerit liberatum. Nunc uero fit illud, quod sequitur: Ponere in Deo spem meam. Spes enim quae uidetur, non est spes; quod enim uidet quis, quid sperat? ait apostolus. Si autem quod non uidemus speramus, per patientiam expectamus. In hac autem spe nunc constituti agamus quod sequitur, et simus nos quoque pro modulo nostro angeli Dei, id est nuntii eius, adnuntiantes eius uoluntatem et gloriam gratiamque laudantes. Unde cum dixisset: Ponere in Deo spem meam, ut adnuntiem, inquit, omnes laudes tuas in portis filiae Sion. Haec est gloriosissima ciuitas Dei: haec unum Deum nouit et colit; hanc angeli sancti adnuntiauerunt, qui nos ad eius societatem inuitauerunt ciuesque suos in illa esse uoluerunt; quibus non placet ut eos colamus tamquam nostros deos, sed cum eis et illorum et nostrum Deum; nec eis sacrificemus, sed cum ipsis sacrificium simus Deo. Nullo itaque dubitante, qui haec deposita maligna obstinatione considerat, omnes inmortales beati, qui nobis non inuident (neque enim si inuiderent, essent beati), sed potius nos dili-

12 Rom. 8, 24 sq.

4 ipse ei placuerat *s* 5 longe se faciunt] elongant se *a* 6 omnes *s* fornicantur $a^1 s$ 11 cum] quando *a b* 12 domino deo *a* 14 quid sperat *a* $b^2 p s \alpha k^2 v$; quid et sperat $b^1 e l k^1 f$ 16 simus nos] scimus nunc *s* 25 nostrorum *b* 26 Deo simus *v* 29 $\overline{\text{ee}}^{\text{nt}}$ ut beati *l*

gunt, ut et nos cum ipsis beati simus, plus nobis fauent, plus adiuuant, quando unum Deum cum illis colimus, Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quam si eos ipsos per sacrificia coleremus.

CAPUT XXVI.

De inconstantia Porphyrii inter confessionem ueri Dei et cultum daemonum fluctuantis.

Nescio quo modo (quantum mihi uidetur) amicis suis theurgis erubescebat Porphyrius. Nam ista utcumque sapiebat, sed contra multorum deorum cultum non libere defendebat. Et angelos quippe alios esse dixit, qui deorsum descendentes hominibus theurgicis diuina pronuntient; alios autem, qui in terris ea, quae Patris sunt, et altitudinem eius profunditatemque declarent. Num igitur hos angelos, quorum ministerium est declarare uoluntatem Patris, credendum est uelle nos subdi nisi ei, cuius nobis adnuntiant uoluntatem? Unde optime admonet etiam ipse Platonicus imitandos eos potius quam inuocandos. Non itaque debemus metuere, ne inmortales et beatos uni Deo subditos non eis sacrificando offendamus. Quod enim non nisi uni uero Deo deberi sciunt, cui et ipsi adhaerendo beati sunt, procul dubio neque per ullam significantem figuram, neque per ipsam rem, quae sacramentis significatur, sibi exhiberi uolunt. Daemonum est haec adrogantia superborum adque miserorum, a quibus longe diuersa est pietas subditorum Deo nec aliunde quam illi cohaerendo beatorum. Ad quod bonum percipiendum etiam nobis sincera benignitate oportet ut faueant, neque sibi adrogent quo eis subiciamur, sed eum adnuntient sub quo eis in pace sociemur. Quid adhuc trepidas, o philosophe, aduersus potestates et ueris uirtutibus et ueri Dei

1 et *om. e* illis *b* 2 cum ipsis *Domb.*[1] 9 theurgicis *e α f*; theorgicis *s*; theoricis *p* 14 declarent *ex* darent *corr. b* Num] nunc *a* 20 uero *om. a* sciunt..... dubio *m. 1 in marg. e* 25 adhaerendo *Domb.*[1] 26 ut *om. a* 27 quod *p α* 28 o *om. l p* 29 ueris uirtutibus, *in marg.* ueritatibus, *e*

muneribus inuidas habere liberam uocem? Iam distinxisti angelos, qui Patris adnuntiant uoluntatem, ab eis angelis, qui ad theurgos homines nescio qua deducti arte descendunt. Quid adhuc eos honoras, ut dicas pronuntiare diuina? Quae tandem diuina pronuntiant, qui non uoluntatem Patris adnuntiant? Nempe illi sunt, quos sacris precibus inuidus adligauit, ne praestarent animae purgationem, nec a bono, ut dicis, purgare cupiente ab illis uinculis solui et suae potestati reddi potuerunt. Adhuc dubitas haec maligna esse daemonia, uel te fingis fortasse nescire, dum non uis theurgos offendere, a quibus curiositate deceptus ista perniciosa et insana pro magno beneficio didicisti? Audes istam inuidam non potentiam, sed pestilentiam, et non dicam dominam, sed, quod tu fateris, ancillam potius inuidorum isto aere transcenso leuare in caelum et inter deos uestros etiam sidereos conlocare, uel ipsa quoque sidera his obprobriis infamare?

CAPUT XXVII.

De inpietate Porphyrii, qua etiam Apulei transcendit errorem.

Quanto humanius et tolerabilius consectaneus tuus Platonicus Apuleius errauit, qui tantummodo daemones a luna et infra ordinatos agitari morbis passionum mentisque turbelis honorans eos quidem, sed uolens nolensque confessus est; deos tamen caeli superiores ad aetheria spatia pertinentes, siue uisibiles, quos conspicuos lucere cernebat, solem ac lunam et cetera ibidem lumina, siue inuisibiles, quos putabat, ab omni labe istarum perturbationum quanta potuit disputa-

21 de deo Socr. p. 15 sq.

1 inuides *e* dixisti *a* (*in marg.* distinxisti), *b* 3 theurgicos *e s* 4 qui *e* eos *om. a* 5 qui .... nuntiant *b in marg.* adnuntiant *p α;* //nuntiant *a;* nuntiant *rell. v Domb.* 7 a bono] ab eo *a* 8 cupienti *a b l;* cupientes *e* 10 theorgicos *s;* theoricos *p* 13 dico *s* 15 locare *b* 16 sydera *sup. lin. a* 18 apolei *C* 20 consentaneus *b* 22 passione *a* 23 honorat *b* quidem eos *v* 24 superioris *e s*

tione secreuit! Tu autem hoc didicisti non a Platone, sed a Chaldaeis magistris tuis, ut in aetherias uel empyreas mundi sublimitates et firmamenta caelestia extolleres uitia humana, ut possent di uestri theurgis pronuntiare diuina; quibus diuinis te tamen per intellectualem uitam facis altiorem, ut tibi uidelicet tamquam philosopho theurgicae artis purgationes nequaquam necessariae uideantur; sed aliis eas tamen inportas, ut hanc ueluti mercedem reddas magistris tuis, quod eos, qui philosophari non possunt, ad ista seducis, quae tibi tamquam superiorum capaci esse inutilia confiteris; ut uidelicet quicumque a philosophiae uirtute remoti sunt, quae ardua nimis adque paucorum est, te auctore theurgos homines, a quibus non quidem in anima intellectuali, uerum saltem in anima spiritali purgentur, inquirant, et quoniam istorum, quos philosophari piget, incomparabiliter maior est multitudo, plures ad secretos et inlicitos magistros tuos, quam ad scholas Platonicas uenire cogantur. Hoc enim tibi inmundissimi daemones, deos aetherios se esse fingentes, quorum praedicator et angelus factus es, promiserunt, quod in anima spiritali theurgica arte purgati ad Patrem quidem non redeunt, sed super aerias plagas inter deos aetherios habitabunt. Non audit ista hominum multitudo, propter quos a daemonum dominatu liberandos Christus aduenit. In illo enim habent misericordissimam purgationem et mentis et spiritus et corporis sui. Propterea quippe totum hominem sine peccato ille suscepit, ut totum, quo constat homo, a peccatorum peste sanaret. Quem tu quoque utinam cognouisses eique te potius quam uel tuae uirtuti, quae humana, fragilis et infirma est, uel perniciosissimae curiositati sanandum tutius commisisses. Non enim te decepisset, quem

1 discreuit *v* didicisti hoc *v* 2 magistris tuis *p s;* tuis *om. rell. v Domb.* empyreas *p v;* emphyrias *rell.;* empyrias *Domb.* 3 et in *p* 4 possint *e s* theorgis *s;* theoricis *p* 6 tamquam *om. a* 7 tamen eas *s* portas *a* 12 theorgicos *s* 14 inquirat a^1 16 scolas *a b e s* 17 coguntur *b* 18 se *om. s* 19 theorgica *s;* theorica *p* 20 redeant *s* aetherias *s* 22 a *om. s* 25 illo *s* suscepit *sup. lin. s* 26 a *om. s* 29 totius b^1

uestra, ut tu ipse scribis, oracula sanctum inmortalemque confessa sunt; de quo etiam poeta nobilissimus poetice quidem, quia in alterius adumbrata persona, ueraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit:

Te duce, si qua manent sceleris uestigia nostri,
Inrita perpetua soluent formidine terras.

Ea quippe dixit, quae etiam multum proficientium in uirtute iustitiae possunt propter huius uitae infirmitatem, etsi non scelera, scelerum tamen manere uestigia, quae non nisi ab illo saluatore sanantur, de quo iste uersus expressus est. Nam utique non hoc a se ipso se dixisse Vergilius in eclogae ipsius quarto ferme uersu indicat, ubi ait:

Ultima Cumaei uenit iam carminis aetas;

unde hoc a Cumaea Sibylla dictum esse incunctanter apparet. Theurgi uero illi uel potius daemones deorum species figurasque fingentes inquinant potius quam purgant humanum spiritum falsitate phantasmatum et deceptoria uanarum ludificatione formarum. Quo modo enim purgent hominis spiritum, qui inmundum habent proprium? Alioquin nullo modo carminibus inuidi hominis ligarentur ipsumque inane beneficium, quod praestaturi uidebantur, aut metu premerent aut simili inuidentia denegarent. Sufficit quod purgatione theurgica neque intellectualem animam, hoc est mentem nostram, dicis posse purgari, et ipsam spiritalem, id est nostrae animae partem mente inferiorem, quam tali arte purgari posse adseris, inmortalem tamen aeternamque non posse hac arte fieri confiteris. Christus autem uitam promittit aeternam; unde ad eum mundus uobis quidem stomachantibus, mirantibus tamen stupen-

5 Verg. Eclog. 4, 13 sq.

3 qui *s* 7 proficientium *om. a* 10 saluatore] salutari *a* 11 hoc utique non *v* eglogae *a e;* eulogae *s* 13 uenient *e* 14 Sibylla *om. a* 15 theorgi *s;* theorii *p* illi *om. p* species figurasque *e p s v;* speciem figurasque *a b k f Domb.;* speciem figuramque *α* 16 purgent *a* 17 et *om. e* 18 enim] ergo *s* 21 praestare *a* simili] simul *a* 22 theorgica *s;* theorica *p* 24 animae nostrae *a*

tibusque concurrit. Quid prodest quia negare non potuisti errare homines theurgica disciplina et quam plurimos fallere per caecam insipientemque sententiam adque esse certissimum errorem agendo et supplicando ad principes angelosque decurrere, et rursum, quasi ne operam perdidisse uidearis ista discendo, mittis homines ad theurgos, ut per eos anima spiritalis purgetur illorum, qui non secundum intellectualem animam uiuunt?

CAPUT XXVIII.

Quibus persuasionibus Porphyrius obcaecatus non potuerit ueram sapientiam, quod est Christus, agnoscere.

Mittis ergo homines in errorem certissimum, neque hoc tantum malum te pudet, cum uirtutis et sapientiae profitearis amatorem; quam si uere ac fideliter amasses, Christum Dei uirtutem et Dei sapientiam cognouisses nec ab eius saluberrima humilitate tumore inflatus uanae scientiae resiluisses. Confiteris tamen etiam spiritalem animam sine theurgicis artibus et sine teletis, quibus frustra discendis elaborasti, posse continentiae uirtute purgari. Aliquando etiam dicis, quod teletae non post mortem eleuant animam, ut iam nec eidem ipsi, quam spiritalem uocas, aliquid post huius uitae finem prodesse uideantur; et tamen uersas haec multis modis et repetis, ad nihil aliud, quantum existimo, nisi ut talium quoque rerum quasi peritus appareas et placeas inlicitarum artium curiosis, uel ad eas facias ipse curiosos. Sed bene, quod

4 *uerba* decurrere *usque ad* theurgos *l. 6 b in marg.* 5 quasi si ne *e* ne *om. b* opera *e s;* opera tu *p* dicendo *a e* 6 atheurgos *e;* at theorgicos *s;* ad theoricos *p* animae spirituales purgentur *a* 14 te profit., te *m. 2 sup. lin., b* profiteris *a* 15 amorem *s* 18 theorgicis *s;* theoricis *p* 19 dicendis et laborasti *e* 20 uirtute] tute *s* 21 animam tuam neque idem *a* neque idem *b* 23 uidentur *a* 24 ad nihil *om. s*[1] 26 bene, *in marg.* uere, *e*

metuendam dicis hanc artem uel legum periculis uel ipsius actionis. Adque utinam hoc saltem abs te miseri audiant et inde, ne illic absorbeantur, abscedant aut eo penitus non accedant. Ignorantiam certe et propter eam multa uitia per nullas teletas purgari dicis, sed per solum πατρικὸν νοῦν, id est paternam mentem siue intellectum, qui paternae est conscius uoluntatis. Hunc autem Christum esse non credis; contemnis enim eum propter corpus ex femina acceptum et propter crucis obprobrium, excelsam uidelicet sapientiam spretis adque abiectis infimis idoneus de superioribus carpere. At ille inplet, quod prophetae sancti de illo ueraciter praedixerunt: Perdam sapientiam sapientium et prudentiam prudentium reprobabo. Non enim suam in eis perdit et reprobat, quam ipse donauit, sed quam sibi adrogant, qui non habent ipsius. Unde commemorato isto prophetico testimonio sequitur et dicit apostolus: Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor huius saeculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? Nam quoniam in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam praedicationis saluos facere credentes. Quoniam quidem Iudaei signa petunt et Graeci sapientiam quaerunt; nos autem, inquit, praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis uero uocatis Iudaeis et Graecis Christum Dei uirtutem et Dei sapientiam; quoniam stultum Dei sapientius est hominibus, et infirmum Dei fortius est hominibus. Hoc quasi stultum et infirmum tamquam sua uirtute sapientes fortesque contem-

11 Esai. 29, 14 . 16 1. Cor. 1, 19 sqq.

1 ipsi////us, *omisso* actionis, *s* 5 per *om.* a^1 patricum nyn *a;* patr. num s^1; patr. numen a^1 *b e l p* s^2; patr. nomen a^2; patr. non k^1; patr. nunc k^2 *f* 6 uolunt. conscius *v* 8 eum *om. a* 13 quam ipse donauit *in marg. a* 17 saeculi] mundi *s* saeculi..... huius *in marg. b* 20 saluare credentes in se *s* 22 praedic. inquit *v* christum et hunc crucif. *f;* christum iesum et hunc crucif. *e*

nunt. Sed haec est gratia, quae sanat infirmos, non superbe iactantes falsam beatitudinem suam, sed humiliter potius ueram miseriam confitentes.

CAPUT XXVIIII.

De incarnatione Domini nostri Iesu Christi, quam confiteri Platonicorum erubescit inpietas.

Praedicas Patrem et eius Filium, quem uocas paternum intellectum seu mentem, et horum medium, quem putamus te dicere Spiritum sanctum, et more uestro appellas tres deos. Ubi, etsi uerbis indisciplinatis utimini, uidetis tamen qualitercumque et quasi per quaedam tenuis imaginationis umbracula, quo nitendum sit; sed incarnationem incommutabilis Filii Dei, qua saluamur, ut ad illa, quae credimus uel ex quantulacumque parte intellegimus, uenire possimus, non uultis agnoscere. Itaque uidetis utcumque, etsi de longinquo, etsi acie caligante, patriam in qua manendum est, sed uiam qua eundum est non tenetis. Confiteris tamen gratiam, quando quidem ad Deum per uirtutem intellegentiae peruenire paucis dicis esse concessum. Non enim dicis: Paucis placuit, uel: Pauci uoluerunt; sed cum dicis esse concessum, procul dubio Dei gratiam, non hominis sufficientiam confiteris. Uteris etiam hoc uerbo apertius, ubi Platonis sententiam sequens nec ipse dubitas in hac uita hominem nullo modo ad perfectionem sapientiae peruenire, secundum intellectum tamen uiuentibus omne quod deest prouidentia Dei et gratia post hanc uitam posse conpleri. O si cognouisses Dei gratiam per Iesum Christum dominum nostrum ipsamque eius incarnationem, qua hominis animam corpusque suscepit, summum esse exemplum gratiae uidere potuisses. Sed quid faciam? Scio me frustra loqui mortuo, sed quantum ad te adtinet: quantum autem ad eos,

1 est *om.* s^1 11 imaginationibus *a* .12 quo nit.] conitendum *e* 17 gratiam *m. 2 in ras. e* 19 Non *usque ad* concessum *l. 20 om. a* Paucis *om. s* 22 sequeris *m. 2 ex* sequens *corr. e* 24 sed intellectum, *in marg.* aℓ secundum intell., *b*

qui te magnipendunt et te uel qualicumque amore sapientiae uel curiositate artium, quas non debuisti discere, diligunt, quos potius in tua conpellatione adloquor, fortasse non frustra. Gratia Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipse unicus Dei Filius in se incommutabiliter manens indueretur hominem et spem dilectionis suae daret hominibus homine medio, qua ad illum ab hominibus ueniretur, qui tam longe erat inmortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, iustus ab inpiis, beatus a miseris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati inmortalesque esse cupiamus, manens beatus suscipiensque mortalem, ut nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere quod timemus.

Sed huic ueritati ut possetis adquiescere, humilitate opus erat, quae ceruici uestrae difficillime persuaderi potest. Quid enim incredibile dicitur, praesertim uobis qui talia sapitis, quibus ad hoc credendum uos ipsos admonere debeatis; quid, inquam, uobis incredibile dicitur, cum dicitur Deus adsumsisse humanam animam et corpus? Vos certe tantum tribuitis animae intellectuali, quae anima utique humana est, ut eam consubstantialem paternae illi menti, quem Dei Filium confitemini, fieri posse dicatis. Quid ergo incredibile est, si aliqua una intellectualis anima modo quodam ineffabili et singulari pro multorum salute suscepta est? Corpus uero animae cohaerere, ut homo totus et plenus sit, natura ipsa nostra teste cognoscimus. Quod nisi usitatissimum esset, hoc profecto esset incredibilius; facilius quippe in fidem recipiendum est, etsi humanum diuino, etsi mutabilem incommutabili, tamen spiritum spiritui, aut ut uerbis utar quae in usu habetis,

4 non *erasum* e 5 indueretur *a b e l s Domb.*; indueret *p v* homine *a e* 6 suae dil. *a* quo *unus a*; qua, *superscripto* fc. dilectione, *p* 11 nobis *om. a* 13 possemus *a* 14 nostrae *a* 16 uobis ipsos *l* debeatis *a b e l v*; debeat *s*; deceat *p*; debuistis *α* 17 dicitur deus *a b e l p s*; Deus dicitur *v Domb.* 20 quam a^2 24 coherens *s* 25 esset *om.* s^1 26 in fide *e α* esset *s* 27 mutabile *b e s* 28 utar quae] utraque *s* in usum e^1

incorporeum incorporeo, quam corpus incorporeo cohaerere. An forte uos offendit inusitatus corporis partus ex uirgine? Neque hoc debet offendere, immo potius ad pietatem suscipiendam debet adducere, quod mirabilis mirabiliter natus est. An uero quod ipsum corpus morte depositum et in melius resurrectione mutatum iam incorruptibile neque mortale in superna subuexit, hoc fortasse credere recusatis intuentes Porphyrium in his ipsis libris, ex quibus multa posui, quos de regressu animae scripsit, tam crebro praecipere omne corpus esse fugiendum, ut anima possit beata permanere cum Deo? Sed ipse potius ista sentiens corrigendus fuit, praesertim cum de anima mundi huius uisibilis et tam ingentis corporeae molis cum illo tam incredibilia sapiatis. Platone quippe auctore animal esse dicitis mundum et animal beatissimum, quod uultis esse etiam sempiternum. Quo modo ergo nec umquam soluetur a corpore, nec umquam carebit beatitudine, si, ut beata sit anima, corpus sit omne fugiendum? Solem quoque istum et cetera sidera non solum in libris uestris corpora esse fatemini, quod uobiscum omnes homines et conspicere non cunctantur et dicere; uerum etiam altiore, ut putatis, peritia haec esse animalia beatissima perhibetis et cum his corporibus sempiterna. Quid ergo est, quod, cum uobis fides Christiana suadetur, tunc obliuiscimini, aut ignorare uos fingitis, quid disputare aut docere soleatis? Quid causae est, quur propter opiniones uestras, quas uos ipsi obpugnatis, Christiani esse nolitis, nisi quia Christus humiliter uenit et uos superbi estis? Qualia sanctorum corpora in resurrectione futura sint, potest aliquanto scrupulosius inter Christianarum scripturarum doctissimos disputari; futura tamen sempiterna minime dubitamus,

13 Tim. p. 30 sqq.

1 corporeum b^1 quam corpus incorp. *om. s* 8 in is *b* 9 pcipere *e* 13 quippe] certe *m. 2 sup. lin. s* 16 anima beata sit *v* 17 corpus sit *p s;* corp. est *v Domb.* 18 corporea *s.* 19 prospicere *s* 21 perhibeatis *e* 24 sole/tis, a *eraso, e* 27 aliquanto *b l p s α k f;* aliquando *a e v* 29 *sq.* disputari utrum quale *omissis ceteris a* minima *s*

et talia futura, quale sua resurrectione Christus demonstrauit exemplum. Sed qualiacumque sint, cum incorruptibilia prorsus et inmortalia nihiloque animae contemplationem, qua in Deo figitur, inpedientia praedicentur uosque etiam dicatis esse in caelestibus inmortalia corpora inmortaliter beatorum: quid est quod, ut beati simus, omne corpus fugiendum esse opinamini, ut fidem Christianam quasi rationabiliter fugere uideamini, nisi quia illud est, quod iterum dico: Christus est humilis, uos superbi? An forte corrigi pudet? Et hoc uitium non nisi superborum est. Pudet uidelicet doctos homines ex discipulis Platonis fieri discipulos Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere: In principio erat Verbum, et Verbum erat aput Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio aput Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso uita erat, et uita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non conprehenderunt. Quod initium sancti euangelii, cui nomen est secundum Iohannem, quidam Platonicus, sicut a sancto sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi ecclesiae praesedit episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum et per omnes ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. Sed ideo uiluit superbis Deus ille magister, quia Verbum caro factum est et habitauit in nobis; ut parum sit miseris quod aegrotant, nisi se etiam in ipsa aegritudine extollant et de medicina, qua sanari poterant, erubescant. Non enim hoc faciunt ut erigantur, sed ut cadendo grauius adfligantur.

12 Io. 1, 1 sqq.

3 contemplatione *e p s* in deum, *in marg.* in deo, *e* 6 ut quod *a* ut *om. s* 10 est *om. b* 11 suo *om. s* 16 uita est *s* 25 ni *e* nisi se etiam in ipsa *p s*; nisi se in ipsa etiam *rell. v Domb.* 27 sed ... adflig. *om. s*

CAPUT XXX.

Quanta Platonici dogmatis Porphyrius refutauerit et dissentiendo correxerit.

Si post Platonem aliquid emendare existimatur indignum, quur ipse Porphyrius nonnulla et non parua emendauit? Nam Platonem animas hominum post mortem reuolui usque ad corpora bestiarum scripsisse certissimum est. Hanc sententiam Porphyrii doctor tenuit et Plotinus; Porphyrio tamen iure displicuit. In hominum sane non sua quae dimiserant, sed alia noua corpora redire humanas animas arbitratus est. Puduit scilicet illud credere, ne mater fortasse filium in mulam reuoluta uectaret; et non puduit hoc credere, ubi reuoluta mater in puellam filio forsitan nuberet. Quanto creditur honestius, quod sancti et ueraces angeli docuerunt, quod prophetae Dei spiritu acti locuti sunt, quod ipse quem uenturum Saluatorem praemissi nuntii praedixerunt, quod missi apostoli qui orbem terrarum euangelio repleuerunt, — quanto, inquam, honestius creditur reuerti animas semel ad corpora propria quam reuerti totiens ad diuersa! Verum tamen, ut dixi, ex magna parte correctus est in hac opinione Porphyrius, ut saltem in solos homines humanas animas praecipitari posse sentiret, beluinos autem carceres euertere minime dubitaret. Dicit etiam ad hoc Deum animam mundo dedisse, ut materiae cognoscens mala ad Patrem recurreret nec aliquando iam talium polluta contagione teneretur. Ubi etsi aliquid inconuenienter sapit (magis enim data est corpori, ut bona faceret; non enim mala disceret, si non faceret), in eo tamen aliorum Platonicorum opinionem et non in re parua emendauit, quod mundatam ab omnibus

8 Enn. III, 4, 2

3 correxit *Cp* 5 nonnulla *om. a* 7 uestiarum *s* 8 porphirius, us *m. 2, e* ductor *a* 16 missi] nostri *q* 18 animas semel *a b e l p s;* semel animas *v Domb.* 19 ut *om. e* dixit. t *m. 2, e* 20 correptus *s* in hac opin. correctus est *v* 22 Deum ad hoc *v* 23 materiae corporalis *Domb.*[1]

malis animam et cum Patre constitutam numquam iam mala mundi huius passuram esse confessus est. Qua sententia profecto abstulit, quod esse Platonicum maxime perhibetur, ut mortuos ex uiuis, ita uiuos ex mortuis semper fieri; falsumque esse ostendit, quod Platonice uidetur dixisse Vergilius, in campos Elysios purgatas animas missas (quo nomine tamquam per fabulam uidentur significari gaudia beatorum) ad fluuium Letheum euocari, hoc est ad obliuionem praeteritorum:

> Scilicet inmemores supera ut conuexa reuisant
> Rursus et incipiant in corpora uelle reuerti.

Merito displicuit hoc Porphyrio, quoniam re uera credere stultum est ex illa uita, quae beatissima esse non poterit nisi de sua fuerit aeternitate certissima, desiderare animas corruptibilium corporum labem et inde ad ista remeare, tamquam hoc agat summa purgatio, ut inquinatio requiratur. Si enim quod perfecte mundantur hoc efficit, ut omnium obliuiscantur malorum, malorum autem obliuio facit corporum desiderium, ubi rursus inplicentur malis: profecto erit infelicitatis causa summa felicitas et stultitiae causa perfectio sapientiae et inmunditiae causa summa mundatio. Nec ueritate ibi beata erit anima, quamdiucumque erit, ubi oportet fallatur, ut beata sit. Non enim beata erit nisi secura; ut autem secura sit, falso putabit semper se beatam fore, quoniam aliquando erit et misera. Cui ergo gaudendi causa falsitas erit, quo modo de ueritate gaudebit? Vidit hoc Porphyrius purgatamque animam ob hoc reuerti dixit ad Patrem, ne aliquando iam malorum polluta contagione teneatur. Falso igitur a quibusdam est Platonicis creditus quasi necessarius orbis ille ab eisdem abeundi et ad eadem reuertendi. Quod etiamsi uerum esset,

3 Phaed. p. 70 C. sqq. 10 Aen. VI, 750 sq.

2 esse *om. a e* 10 superum *a* ut] et *e* 14 corp. corrupt. *v* 22 ibi *radendo ex* ubi *corr., e* oportet ut fallatur beata sit *e* 23 sit secura *e* 24 putauit *e s* 28 Platon. est *v* 29 ab eisdem *om. a*

quid hoc scire prodesset, nisi forte inde se nobis auderent praeferre Platonici, quia id nos in hac uita iam nesciremus, quod ipsi in alia meliore uita purgatissimi et sapientissimi fuerant nesciturі et falsum credendo beati futuri? Quod si absurdissimum et stultissimum est dicere, Porphyrii profecto est praeferenda sententia his, qui animarum circulo alternantem semper beatitudinem et miseriam suspicati sunt. Quod si ita est, ecce Platonicus in melius a Platone dissentit; ecce uidit, quod ille non uidit, nec post talem ac tantum magistrum refugit correctionem, sed homini praeposuit ueritatem.

CAPUT XXXI.

Contra argumentum Platonicorum, quo animam humanam Deo adserunt esse coaeternam.

Quur ergo non potius diuinitati credimus de his rebus, quas humano ingenio peruestigare non possumus, quae animam quoque ipsam non Deo coaeternam, sed creatam dicit esse, quae non erat? Ut enim hoc Platonici nollent credere, hanc utique causam idoneam sibi uidebantur adferre, quia, nisi quod semper antea fuisset, sempiternum deinceps esse non posset; quamquam et de mundo et de his, quos in mundo deos a Deo factos scribit Plato, apertissime dicat eos esse coepisse et habere initium, finem tamen non habituros, sed per conditoris potentissimam uoluntatem in aeternum mansuros esse perhibeat. Verum id quo modo intellegant inuenerunt, non esse hoc uidelicet temporis, sed substitutionis initium. 'Sicut enim, inquiunt, si pes ex aeternitate semper fuisset in puluere, semper ei subesset uestigium, quod tamen uestigium a calcante factum

21 Tim. p. 41 B

1 a nobis *e* 6 animarum] nimirum *a* circulo *p s;* circulos *reli. v Domb.* alternantem *scripsi;* alternante *mss.* 7 beatitudinem *p;* beatitudine e^2 *s;* beatitate *rell. v Domb.* miseriam *p;* miseria *rell. v Domb.* 13 asserunt deo coeternam esse *p* 19 non potest sed *e* 21 esse] se *s* 23 permansuros *v* perhibebat *b* 24 inuenerunt] uiderint *a* 27 quod tamen uestigium *in marg. s*

nemo dubitaret, nec alterum altero prius esset, quamuis alterum ab altero factum esset: sic, inquiunt, et mundus adque in illo di creati et semper fuerunt semper existente qui fecit, et tamen facti sunt.' Numquid ergo, si anima semper fuit, etiam miseria eius semper fuisse dicenda est? Porro si aliquid in illa, quod ex aeterno non fuit, esse coepit ex tempore, quur non fieri potuerit, ut ipsa esset ex tempore quae antea non fuisset? Deinde beatitudo quoque eius post experimentum malorum firmior et sine fine mansura, sicut iste confitetur, procul dubio coepit ex tempore, et tamen semper erit, cum antea non fuerit. Illa igitur omnis argumentatio dissoluta est, qua putatur nihil esse posse sine fine temporis, nisi quod initium non habet temporis. Inuenta est enim animae beatitudo, quae cum initium temporis habuerit, finem temporis non habebit. Quapropter diuinae auctoritati humana cedat infirmitas, eisque beatis et inmortalibus de uera religione credamus, qui sibi honorem non expetunt, quem Deo suo, qui etiam noster est, deberi sciunt, nec iubent, ut sacrificium faciamus, nisi ei tantum, cuius et nos cum illis, ut saepe dixi et saepe dicendum est, sacrificium esse debemus, per eum sacerdotem offerendi, qui in homine, quem suscepit, secundum quem et sacerdos esse uoluit, etiam usque ad mortem sacrificium pro nobis dignatus est fieri.

CAPUT XXXII.

De uniuersali uia animae liberandae, quam Porphyrius male quaerendo non repperit, et quam sola gratia Christiana reserauit.

Haec est religio, quae uniuersalem continet uiam animae liberandae, quoniam nulla nisi hac liberari potest. Haec est

4 sic anima fuit. porro, *cetera desunt*, *a* 5 dicendū *e* 6 quod] quae *s* externo *s* 12 possit *s* 13 non *om.* e^1 anime *sup. lin. e* 19 tantummodo *v* 20 est *om. b* 21 in homine quem suscepit] in forma quam susc. *a b* secundum quam $a^2 b$; quam *om.* a^1 28 uniuersam *a* liber. animae *p*

enim quodam modo regalis uia, quae una ducit ad regnum, non temporali fastigio nutabundum, sed aeternitatis firmitate securum. Cum autem dicit Porphyrius in primo iuxta finem de regressu animae libro nondum receptum in unam quandam sectam, quae uniuersalem contineat uiam animae liberandae, uel a philosophia uerissima aliqua uel ab Indorum moribus ac disciplina, aut inductione Chaldaeorum aut alia qualibet uia, nondumque in suam notitiam eandem uiam historiali cognitione perlatam: procul dubio confitetur esse aliquam, sed nondum in suam uenisse notitiam. Ita ei non sufficiebat quid-quid de anima liberanda studiosissime didicerat sibique uel potius aliis nosse ac tenere uidebatur. Sentiebat enim adhuc sibi deesse aliquam praestantissimam auctoritatem, quam de re tanta sequi oporteret. Cum autem dicit uel a philosophia uerissima aliqua nondum in suam notitiam peruenisse sectam, quae uniuersalem contineat uiam animae liberandae: satis, quantum arbitror, ostendit uel eam philosophiam, in qua ipse philosophatus est, non esse uerissimam, uel ea non contineri talem uiam. Et quo modo iam potest esse uerissima, qua non continetur haec uia? Nam quae alia uia est uniuersalis animae liberandae, nisi qua uniuersae animae liberantur ac per hoc sine illa nulla anima liberatur? Cum autem addit et dicit: 'Vel ab Indorum moribus ac disciplina, uel ab inductione Chaldaeorum uel alia qualibet uia', manifestissima uoce testatur neque illis quae ab Indis neque illis quae a Chaldaeis didicerat hanc uniuersalem uiam liberandae animae contineri; et utique se a Chaldaeis oracula diuina sumsisse, quorum adsiduam commemorationem facit, tacere non potuit. Quam

1 regalis uitalis uia *a;* uitalis uia, *in marg.* regalis *b* ad regnum] ad uitam *a* 2 nutabundum] timidam *a* 3 securam *a* primo] proximo *b* 4 receptum *a b l s;* receptum *superscripto* esse, *p;* receptam *e v* in unam *mss.;* unam *v* 5 quae *p s v;* quod *rell. Domb.* 10 ei *om. a* 11 liberanda est *e* 15 aliquam *b* 19 quę *e;* quo b^2 22 anima *om. a* addit] audit *s* et dicit *om.* b^1 23 ac] et *v* 24 manifesta *a* 25 neque .. ab Indis *om. b* 26 liber. animae *a b e l p;* an. lib. *s v*

uult ergo intellegi animae liberandae uniuersalem uiam nondum receptam uel ex aliqua uerissima philosophia uel ex earum gentium doctrinis, quae magnae uelut in diuinis rebus habebantur, quia plus aput eas curiositas ualuit quorumque angelorum cognoscendorum et colendorum, nondumque in suam notitiam historiali cognitione perlatam? Quaenam ista est uniuersalis uia, nisi quae non suae cuique genti propria, sed uniuersis gentibus quae communis esset diuinitus inpertita est? Quam certe iste homo non mediocri ingenio praeditus esse non dubitat. Prouidentiam quippe diuinam sine ista uniuersali uia liberandae animae genus humanum relinquere potuisse non credit. Neque enim ait non esse, sed hoc tantum bonum tantumque adiutorium nondum receptum, nondum in suam notitiam esse perlatum; nec mirum. Tunc enim Porphyrius erat in rebus humanis, quando ista liberandae animae uniuersalis uia, quae non est alia quam religio Christiana, obpugnari permittebatur ab idolorum daemonumque cultoribus regibusque terrenis, propter adserendum et consecrandum martyrum numerum, hoc est testium ueritatis, per quos ostenderetur omnia corporalia mala pro fide pietatis et commendatione ueritatis esse toleranda. Videbat ergo ista Porphyrius et per huius modi persecutiones cito istam uiam perituram et propterea non esse ipsam liberandae animae uniuersalem putabat, non intellegens hoc, quod eum mouebat et quod in eius electione perpeti metuebat, ad eius confirmationem robustioremque commendationem potius pertinere.

Haec est igitur animae liberandae uniuersalis uia, id est uniuersis gentibus diuina miseratione concessa, cuius profecto notitia ad quoscumque iam uenit et ad quoscumque uentura est, nec debuit nec debebit ei dici: Quare modo? et: Quare sero? quoniam mittentis consilium non est humano ingenio penetrabile. Quod sensit etiam iste, cum dixit, nondum recep-

10 ista *om.* *s* 14 Tunc] et hunc *s* 18 regibus, *omisso* que, *s* 19 testimonium *s* 28 diuinae b^1 30 et *om.* *s* 32 sensit etiam] sententiam *s*

tum hoc donum Dei et nondum in suam notitiam fuisse perlatum. Neque enim propterea uerum non esse iudicauit, quia nondum in fidem suam receptum fuerat uel in notitiam nondum peruenerat. Haec est, inquam, liberandorum credentium uniuersalis uia, de qua fidelis Abraham diuinum accepit oraculum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Qui fuit quidem gente Chaldaeus, sed ut talia promissa perciperet et ex illo propagaretur semen dispositum per angelos in manu Mediatoris, in quo esset ista liberandae animae uniuersalis uia, hoc est omnibus gentibus data, iussus est discedere de terra sua et de cognatione sua et de domo patris sui. Tunc ipse primitus a Chaldaeorum superstitionibus liberatus unum uerum Deum sequendo coluit, cui haec promittenti fideliter credidit. Haec est uniuersalis uia, de qua in sancta prophetia dictum est: Deus misereatur nostri et benedicat nos; inluminet uultum suum super nos et misereatur nostri, ut cognoscamus in terra uiam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Unde tanto post ex Abrahae semine carne suscepta de ipso ait ipse Saluator: Ego sum uia, ueritas et uita. Haec est uniuersalis uia, de qua tanto ante praedictum est: Erit in nouissimis diebus manifestatus mons domus Domini, paratus super cacumina montium et extolletur super colles, et uenient ad eum uniuersae

6 Gen. 22, 18 8 Gal. 3, 19 15 Ps. 66, 2 sq. 20 Io. 14, 6 21 Esai. 2, 2 sq.

1 esse *s* 2 neque *a b e l p s;* nec *v Domb.* 3 in suam fidem *v* finem *s* 4 liberandarum gentium *l* 7 chaldeis *e* 12 Tunc] et hunc *s* 13 cui] et *a* 15 nostri] nobis *l* 16 super nos et misereatur nostri *a p s v;* super nos et mis. nobis *b k;* et miser. nostri *om. e l α f Domb.* 18 in omnibus ... tuum *om. l* 19 de se ipso *a b² e l v* 20 et ueritas *v* 21 ante *a b¹ e l p s α k f;* ante tempore *b² v* praedictum *p s;* prophetatum *rell. v Domb.* 22 manifestatus *p s;* manifestus *v Domb.* domus domini *a p v;* domus *om. rell. Domb.* 23 super cacumina *p s;* in cacumine *b e l v Domb.;* in uertice *a* 24 ad eum *om. a* uniuersae] omnes *s*

gentes et ingredientur nationes multae et dicent: Venite, ascendamus in montem Domini et in domum Dei Iacob; et adnuntiabit nobis uiam suam, et ingrediemur in eam. Ex Sion enim prodiet lex et uerbum Domini ab Hierusalem. Via ergo ista non est unius gentis, sed uniuersarum gentium; et lex uerbumque Domini non in Sion et Hierusalem remansit, sed inde processit, ut se per uniuersa diffunderet. Unde ipse Mediator post resurrectionem suam discipulis trepidantibus ait: Oportebat inpleri quae scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intellegerent scripturas, et dixit eis, quia oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertio die et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes incipientibus ab Hierusalem. Haec est igitur uniuersalis animae liberandae uia, quam sancti angeli sanctique prophetae prius in paucis hominibus ubi potuerunt Dei gratiam reperientibus et maxime in Hebraea gente, cuius erat ipsa quodam modo sacrata res publica in prophetationem et praenuntiationem ciuitatis Dei ex omnibus gentibus congregandae, et tabernaculo et templo et sacerdotio et sacrificiis significauerunt et eloquiis quibusdam manifestis, plerisque mysticis praedixerunt: praesens autem in carne ipse Mediator et beati eius apostoli iam testamenti noui gratiam reuelantes apertius indicarunt, quae aliquanto occultius superioribus sunt significata temporibus, pro aetatum generis humani distributione, sicut eam Deo sapienti placuit ordinare, mirabilium operum diuinorum, quorum superius pauca iam posui, contestantibus signis. Non enim apparuerunt tantummodo uisiones angelicae et caelestium

9 Lc. 24, 44 sqq.

3 adnuntiauit *s* 4 in eam *a b e l p s;* in ea *v Domb.* 11 de me, *superscr. m. 2* s. dixit, *b* et tunc *s* 13 tertia *a* b^2 15 omnium peccatorum *s* 18 repperire *s* 20 et praedicationem *s* 23 presentes *a* 24 mediator iste *a* 26 occultus *s* 28 mirab. diuin. operum *a*

ministrorum sola uerba sonuerunt, uerum etiam hominibus Dei uerbo simplicis pietatis agentibus spiritus inmundi de hominum corporibus ac sensibus pulsi sunt, uitia corporis languoresque sanati, fera animalia terrarum et aquarum, uolatilia caeli, ligna, elementa, sidera diuina iussa fecerunt, inferna cesserunt, mortui reuixerunt; exceptis ipsius Saluatoris propriis singularibusque miraculis, maxime natiuitatis et resurrectionis, quorum in uno maternae uirginitatis tantummodo sacramentum, in altero autem etiam eorum, qui in fine resurrecturi sunt, demonstrauit exemplum. Haec uia totum hominem mundat et inmortalitati mortalem ex omnibus quibus constat partibus praeparat. Ut enim non alia purgatio ei parti quaereretur, quam uocat intellectualem Porphyrius, alia ei, quam uocat spiritalem, aliaque ipsi corpori: propterea totum suscepit ueracissimus potentissimusque mundator adque saluator. Praeter hanc uiam, quae, partim cum haec futura praenuntiantur, partim cum facta nuntiantur, numquam generi humano defuit, nemo liberatus est, nemo liberatur, nemo liberabitur.

Quod autem Porphyrius uniuersalem uiam animae liberandae nondum in suam notitiam historiali cognitione dicit esse perlatam: quid hac historia uel inlustrius inueniri potest, quae uniuersum orbem tanto apice auctoritatis obtinuit, uel fidelius, in qua ita narrantur praeterita, ut futura etiam praedicantur, quorum multa uidemus inpleta, ex quibus ea quae restant sine dubio speremus inplenda? Non enim potest Porphyrius uel quicumque Platonici etiam in hac uia quasi terrenarum rerum et ad uitam istam mortalem pertinentium diuinationem praedictionemque contemnere, quod merito in aliis uaticinationibus et quorumlibet modorum uel artium diuinationibus faciunt. Negant enim haec uel magnorum hominum uel magni

3 pulsi sunt, uitia] pulsis in uitia *s* 8 in quorum *v* 10 mundat et immortalem *a b* 16 praenuntiarentur *a* 18 defuit humano *v* 22 haec *s* 24 praedicentur *a b* 28 istam uitam *a v* 29 uaticinationibus *b p s v;* uaticinantibus *a e l Domb.*

esse pendenda, et recte. Nam uel inferiorum fiunt praesensione causarum, sicut arte medicinae quibusdam antecedentibus signis plurima euentura ualetudine praeuidentur; uel inmundi daemones sua disposita facta praenuntiant, quorum ius et in mentibus adque cupiditatibus iniquorum ad quaeque congruentia facta ducendis quodam modo sibi uindicant, et in materia infima fragilitatis humanae. Non talia sancti homines in ista uniuersali animarum liberandarum uia gradientes tamquam magna prophetare curarunt, quamuis et ista eos non fugerint et ab eis saepe praedicta sint ad eorum fidem faciendam, quae mortalium sensibus non poterant intimari nec ad experimentum celeri facilitate perduci. Sed alia erant uere magna adque diuina, quae quantum dabatur cognita Dei uoluntate futura nuntiabant. Christus quippe in carne uenturus et quae in illo tam clara perfecta sunt adque in eius nomine inpleta, paenitentia hominum et ad Deum conuersio uoluntatum, remissio peccatorum, gratia iustitiae, fides piorum et per uniuersum orbem in ueram diuinitatem multitudo credentium, culturae simulacrorum daemonumque subuersio et a tentationibus exercitatio, proficientium purgatio et liberatio ab omni malo, iudicii dies, resurrectio mortuorum, societatis inpiorum aeterna damnatio regnumque aeternum gloriosissimae ciuitatis Dei conspectu eius inmortaliter perfruentis in huius uiae scripturis praedicta adque promissa sunt; quorum tam multa inpleta conspicimus, ut recta pietate futura esse cetera confidamus. Huius uiae rectitudinem usque ad Deum uidendum

1 praesentione *s* 2 quibus *a* 3 plurima euentura ualetudine *scripsi;* pl. uentura ualetudine *p s;* plurimae uentura ualetudini *b;* plurima uentura ualetudini *e;* plurimae uenture (e *ex* a *corr.*) ualetudines, nes *m. 2 in ras.*, *a* plurima euentura ualetudini *v Domb.* 4 pronunciant *e* ius, *superscripto* ł uis, *b* 5 in *om. a* 6 congruenda *a* 7 in materiam infamā infirma, *in marg.* in materia infima, *e* infima *p s α k v;* infirma *a b l f* 9 magica *e* 10 praedicata *s;* dicta *e* 11 mortalibus *s* 14 nunciabunt *e* 15 clare *e* 19 conuersio *p s* a *om.* b^2 *e* 20 temptationis *e;* temptationum, num *m. 2 in ras.*, *b* 21 societas *e* et eterna societatis impiorum dāpnatio *p* 23 perfluentis *s* 24 uitae, *m. 2 superscr.* uiae, *b*

eique in aeternum cohaerendum in sanctarum scripturarum qua praedicatur adque adseritur ueritate quicumque non credunt et ob hoc nec intellegunt, obpugnare possunt, sed expugnare non possunt.

Quapropter in decem istis libris, etsi minus quam nonnullorum de nobis expectabat intentio, tamen quorundam studio, quantum uerus Deus et Dominus adiuuare dignatus est, satisfecimus refutando contradictiones inpiorum, qui conditori sanctae ciuitatis, de qua disputare instituimus, deos suos praeferunt. Quorum decem librorum quinque superiores aduersus eos conscripti sunt, qui propter bona uitae huius deos colendos putant; quinque autem posteriores aduersus eos, qui cultum deorum propter uitam, quae post mortem futura est, seruandum existimant. Deinceps itaque, ut in primo libro polliciti sumus, de duarum ciuitatum, quas in hoc saeculo perplexas diximus inuicemque permixtas, exortu et procursu et debitis finibus quod dicendum arbitror, quantum diuinitus adiuuabor, expediam.

LIBER XI.

CAPUT I.

De ea parte operis, qua duarum ciuitatum, id est caelestis adque terrenae, initia et fines incipient demonstrari.

Ciuitatem Dei dicimus, cuius ea scriptura testis est, quae non fortuitis motibus animorum, sed plane summae dispositione prouidentiae super omnes omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum diuina excellens auctoritate

2 quam *e* ueritate credamus *e* 3 non b^1 et ob expugnare non possunt nec intellegunt oppugnare possunt *p* sed exp. n. possunt *m. 2 in marg. b* 5 libris istis *v* 6 expetebat *s* 7 deus uerus *s* 11 uitae bona huius colendos deos *e* 15 quasi *s* 16 diximus *a b l p s v;* dicimus *e Domb.* 22 incipient V *α;* incipiunt *v*

subiecit. Ibi quippe scriptum est: Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei; et in alio psalmo legitur: Magnus Dominus et laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, dilatans exultationes uniuersae terrae; et paulo post in eodem psalmo: Sicut audiuimus, ita et uidimus, in ciuitate domini uirtutum, in ciuitate Dei nostri; Deus fundauit eam in aeternum; item in alio: Fluminis inpetus laetificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commouebitur. His adque huius modi testimoniis, quae omnia commemorare nimis longum est, didicimus esse quandam ciuitatem Dei, cuius ciues esse concupiscimus illo amore, quem nobis illius conditor inspirauit. Huic conditori sanctae ciuitatis ciues terrenae ciuitatis deos suos praeferunt ignorantes eum esse Deum deorum, non deorum falsorum, hoc est inpiorum et superborum, qui eius incommutabili omnibusque communi luce priuati et ob hoc ad quandam egenam potestatem redacti suas quodam modo priuatas potentias consectantur honoresque diuinos a deceptis subditis quaerunt; sed deorum piorum adque sanctorum, qui potius se ipsos uni subdere quam multos sibi, potiusque Deum colere quam pro Deo coli delectantur. Sed huius sanctae ciuitatis inimicis decem superioribus libris, quantum potuimus, domino et rege nostro adiuuante respondimus. Nunc uero quid a me iam expectetur agnoscens meique non inmemor debiti de duarum ciuitatum, terrenae scilicet et caelestis, quas in hoc interim saeculo perplexas quodam modo diximus inuicemque permixtas, exortu et excursu et debitis finibus, quantum ualuero,

1 Ps. 86, 3 2 Ps. 47, 2, 3. 9 5 Ps. 45, 5 sq.

3 nimis *V a e l p α f*; ualde *b v* 13 concupiscimus *p v*; concupimus *a* b^1; concupiuimus *V* b^2 *e l Domb.* 14 eius *b e l* 16 deorū deum falsum *e* 21 adque] ut quae, *hinc incipit t* ipsos pios *t* 23 coli delect. *l p t v Domb.*; del. coli *V a b e* 25 adiubante V^1 ętiam *V* 29 deuitis t^1

disputare eius ipsius domini et regis nostri ubique opitulatione fretus adgrediar, primumque dicam, quem ad modum exordia duarum istarum ciuitatum in angelorum diuersitate praecesserint.

CAPUT II.

De cognoscendo Deo, ad cuius notitiam nemo hominum peruenit, nisi per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum.

Magnum est et admodum rarum uniuersam creaturam corpoream et incorpoream consideratam conpertamque mutabilem intentione mentis excedere adque ad incommutabilem Dei substantiam peruenire et illic discere ex ipso, quod cunctam naturam, quae non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Sic enim Deus cum homine non per aliquam creaturam loquitur corporalem, corporalibus instrepens auribus, ut inter sonantem et audientem aeria spatia uerberentur, neque per eius modi spiritalem, quae corporum similitudinibus figuratur, sicut in somnis uel quo alio tali modo (nam et sic uelut corporis auribus loquitur, quia uelut per corpus loquitur et uelut interposito corporalium locorum interuallo; multum enim similia sunt talia uisa corporibus); sed loquitur ipsa ueritate, si quis sit idoneus ad audiendum mente, non corpore. Ad illud enim hominis ita loquitur, quod in homine ceteris, quibus homo constat, est melius, et quo ipse Deus solus est melior. Cum enim homo rectissime intellegatur uel, si hoc non potest, saltem credatur factus ad imaginem Dei: profecto ea sui parte est propinquior superiori Deo, qua superat in-

1 et *sup. lin. V* 2 quemammodum *V* 7 peruenit *usque ad* hominem *om. q*^{1} 8 hominem xp̄m iesum *V α;* dominum iesum xp̄m *p;* hom. Ies. Chr. *v* 9 et *om. t* ammodum *et sic semper V* 12 quod *om. e* 15 corporibus strepens *t* tonantem *e* 17 spiritualem *v* 18 somnis *mss.;* somniis *v* quo] quoḍ *V;* quod *in ras. t;* quolibet *a;* aliquo si quo *e* nam et si cui uelut *a* nam .....loquitur *om. t*^{1} 23 illum *t* 25 rectitudinis *t* intellegitur *V*^{1} uelut *t*

feriores suas, quas etiam cum pecoribus communes habet. Sed quia ipsa mens, cui ratio et intellegentia naturaliter inest, uitiis quibusdam tenebrosis et ueteribus inualida est, non solum ad inhaerendum fruendo, uerum etiam ad perferendum incommutabile lumen, donec de die in diem renouata adque sanata fiat tantae felicitatis capax, fide primum fuerat inbuenda adque purganda. In qua ut fidentius ambularet ad ueritatem, ipsa ueritas, Deus Dei filius, homine adsumto, non Deo consumto, eandem constituit et fundauit fidem, ut ad hominis Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Per hoc enim mediator, per quod homo, per hoc et uia. Quoniam si inter eum qui tendit et illud quo tendit uia media est, spes est perueniendi; si autem desit aut ignoretur qua eundum sit, quid prodest nosse quo eundum sit? Sola est autem aduersus omnes errores uia munitissima, ut idem ipse sit Deus et homo; quo itur Deus, qua itur homo.

CAPUT III.

De auctoritate canonicae scripturae diuino spiritu conditae.

Hic prius per prophetas, deinde per se ipsum, postea per apostolos, quantum satis esse iudicauit, locutus etiam scripturam condidit, quae canonica nominatur, eminentissimae auctoritatis, cui fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit nec per nos ipsos nosse idonei sumus. Nam si ea sciri possunt testibus nobis, quae remota non sunt a sensibus nostris siue interioribus siue etiam exterioribus (unde et praesentia nuncupantur, quod ita ea dicimus esse prae sensibus,

2 in est *V* 6 fide] si de *t* 8 deo assumto *V* 9 et *mss.*; atque *v* ad hominem *p, ex corr. t* 11 Per.....homo *om. V* 12 si inter] sine *t* 13 eo *m. 2 ex* eum *corr. t* uia media *om. t* 14 que *e* uia eunda sit *m. 2 in ras. e* 22 loquotus *l* 24 cui *ex* tuae *corr. V* 25 nos met ipsos *v* Nam] utrum *t* 28 praesentibus *t*

sicut prae oculis quae praesto sunt oculis): profecto ea, quae remota sunt a sensibus nostris, quoniam nostro testimonio scire non possumus, de his alios testes requirimus eisque credimus, a quorum sensibus remota esse uel fuisse non credimus. Sicut ergo de uisibilibus, quae non uidimus, eis credimus, qui uiderunt, adque ita de ceteris, quae ad suum quemque sensum corporis pertinent: ita de his, quae animo ac mente sentiuntur (quia et ipse rectissime dicitur sensus, unde et sententia uocabulum accepit), hoc est de inuisibilibus quae a nostro sensu interiore remota sunt, his nos oportet credere, qui haec in illo incorporeo lumine disposita didicerunt uel manentia contuentur.

CAPUT IIII.

De conditione mundi, quae nec intemporalis sit, nec nouo Dei ordinata consilio, quasi postea uoluerit, quod ante noluerat.

Visibilium omnium maximus mundus est, inuisibilium omnium maximus Deus est. Sed mundum esse conspicimus, Deum esse credimus. Quod autem Deus fecerit mundum, nulli tutius credimus quam ipsi Deo. Ubi eum audiuimus? Nusquam interim nos melius quam in scripturis sanctis, ubi dixit propheta eius: In principio fecit Deus caelum et terram. Numquidnam ibi fuit iste propheta, quando fecit Deus caelum et terram? Non; sed ibi fuit sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quae in animas sanctas etiam se transferens amicos Dei et prophetas constituit eisque opera

25 Sap. 7, 27

2 a sensibus] adsentibus *t* 3 hisque e^2 4 a *om.* *V* 5 uidemus *e* 6 adque] sicque *t* 8 qua *V* dicetur *t* 10 mota l^1 iis *v* 11 corporeo *V* 14 mundi *m. 2 sup. lin. q* quae *V p q α;* quod *v* 16 ante noluerat *V p;* antea noluerit *q v* 17 est mundus *v* inuisibilis *t* 18 est Deus *v* 19 mundum fecerit *v* 20 totius V^1 l^1 *t* audimus *t* 21 sacris *t* 23 caelum quando fecit *t* 24 dei .... omnia *om.* b^1 25 sanctas etiam *V* etiam s. *rell. v Domb.* 26 transferens *p;* transferet *t;* transfert *rell. v*

sua sine strepitu intus enarrat. Loquuntur eis quoque angeli Dei, qui semper uident faciem Patris uoluntatemque eius quibus oportet adnuntiant. Ex his unus erat iste propheta, qui dixit et scripsit: In principio fecit Deus caelum et terram. Qui tam idoneus testis est, per quem Deo credendum sit, ut eodem spiritu Dei, quo haec sibi reuelata cognouit, etiam ipsam fidem nostram futuram tanto ante praedixerit.

Sed quid placuit aeterno Deo tunc facere caelum et terram, quae antea non fecisset? Qui hoc dicunt, si mundum aeternum sine ullo initio et ideo nec a Deo factum uideri uolunt, nimis auersi sunt a ueritate et letali morbo inpietatis insaniunt. Exceptis enim propheticis uocibus mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate et mobilitate et uisibilium omnium pulcherrima specie quodam modo tacitus et factum se esse et non nisi a Deo ineffabiliter adque inuisibiliter magno et ineffabiliter adque inuisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat. Qui autem a Deo quidem factum fatentur, non tamen eum temporis uolunt habere sed suae creationis initium, ut modo quodam uix intellegibili semper sit factus, dicunt quidem aliquid, unde sibi Deum uidentur uelut a fortuita temeritate defendere, ne subito illi uenisse credatur in mentem, quod numquam ante uenisset, facere mundum, et accidisse illi nouam uoluntatem, cum in nullo sit omnino mutabilis; sed non uideo quo modo eis possit in ceteris rebus ratio ista subsistere maximeque in anima, quam si Deo coaeternam esse contenderint, unde illi acciderit noua miseria, quae numquam

2 Mt. 18, 10

1 errarrat V^1 3 quibusq., q. *lineola transuersa deletum*, *V* 6 sit] est *t* 9 quid *correctoris manu in marg. p* Deo aeterno *v* tunc] totum *p t* 10 ante *p* 11 uidere *t* 15 se *om. t* 16 magno ... inuisibiliter *sup. lin. V* 18 fatetur *t* 19 eum *om. p t* uolunt temporis *v* sed] ad *e* suae] siue *t* ut *om. e* 20 quodam modo *e* 23 uenisse V^1 24 nouam uol. *l p t α;* uol. nou. *rell. v Domb.* 26 animam *l t* 27 acciderint l^1

antea per aeternum, nullo modo poterunt explicare. Si enim alternasse semper eius miseriam et beatitudinem dixerint, necesse est dicant etiam semper alternaturam; unde illa eos sequetur absurditas, ut etiam cum beata dicitur in hoc utique non sit beata, si futuram suam miseriam et turpitudinem praeuidet; si autem non praeuidet nec se turpem ac miseram fore, sed beatam semper existimat, falsa opinione sit beata; quo dici stultius nihil potest. Si autem semper quidem per saecula retro infinita cum beatitudine alternasse animae miseriam putant, sed nunc iam de cetero, cum fuerit liberata, ad miseriam non esse redituram, nihilo minus conuincuntur numquam eam fuisse uere beatam, sed deinceps esse incipere noua quadam nec fallaci beatitudine; ac per hoc fatebuntur accidere illi aliquid noui, et hoc magnum adque praeclarum, quod numquam retro per aeternitatem accidisset. Cuius nouitatis causam si Deum negabunt in aeterno habuisse consilio, simul eum negabunt beatitudinis eius auctorem, quod nefandae inpietatis est; si autem dicent etiam ipsum nouo consilio excogitasse, ut de cetero sit anima in aeternum beata, quo modo eum alienum ab ea, quae illis quoque displicet, mutabilitate monstrabunt? Porro si ex tempore creatam, sed nullo ulterius tempore perituram, tamquam numerum, habere initium, sed non habere finem fatentur, et ideo semel expertam miserias, si ab eis fuerit liberata, numquam miseram postea futuram: non utique dubitabunt hoc fieri manente incommutabilitate consilii Dei. Sic ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse, nec tamen ideo Deum in eo faciendo aeternum consilium uoluntatemque mutasse.

1 semper altern. *l* 3 alternasse naturam *e* l^2 alternatam nat. *b* sequitur *l t* 4 sit beata si *m. 1 sup. lin. V* 5 futura V^1 praeuidit *m. 2 in ras. e* 11 nihilhominus *V e* 14 illi *om. l* 16 causa *t* 16 *sq.* in eterno habuisse simili (simul *t*) eum negabunt consilio beatitudinis *p t* simul eum] si malum V^1 18 dicunt *l t* 21 monstrabant V^1 si eam *e* 22 numerus *t* 27 faciendum V^1

CAPUT V.

Tam non esse cogitandum de infinitis temporum spatiis ante mundum, quam nec de infinitis locorum spatiis extra mundum, quia, sicut nulla ante ipsum sunt tempora, ita nulla extra ipsum sunt loca.

Deinde uidendum est, isti, qui Deum conditorem mundi esse consentiunt et tamen quaerunt de mundi tempore quid respondeamus, quid ipsi respondeant de mundi loco. Ita enim quaeritur, quur potius tunc et non antea factus sit, quem ad modum quaeri potest, quur hic potius ubi est et non alibi. Nam si infinita spatia temporis ante mundum cogitant, in quibus eis non uidetur Deus ab opere cessare potuisse, similiter cogitent extra mundum infinita spatia locorum, in quibus si quisquam dicat non potuisse uacare Omnipotentem, nonne consequens erit, ut innumerabiles mundos cum Epicuro somniare cogantur (ea tantum differentia, quod eos ille fortuitis motibus atomorum gigni adserit et resolui, isti autem opere Dei factos dicturi sunt), si eum per interminabilem inmensitatem locorum extra mundum circumquaque patentium uacare noluerint, nec eosdem mundos, quod etiam de isto sentiunt, ulla causa posse dissolui? Cum his enim agimus, qui et Deum incorporeum et omnium naturarum, quae non sunt quod ipse, creatorem nobiscum sentiunt; alios autem nimis indignum est ad istam disputationem religionis admittere, maxime quod aput eos, qui multis dis sacrorum obsequium deferendum putant, isti philosophos ceteros nobilitate adque auctoritate uicerunt, non ob aliud, nisi quia longo quidem interuallo, uerum tamen reliquis propinquiores sunt ueritati. An forte

4 *ut editur V α; uerba inde a* spatiis *sqq. om. p q v* 7 isti *V a*^{1} *e l α f* *Domb.;* istis *a*^{2} *b t p v* 8 esse *sup. lin. V* 9 respondetunus *V*^{am} 10 quemammodum *V* 12 si *om. f* 13 similiter ergo *f* 14 cogitant *b e l* 20 patentium] patientiam *t* 25 ammittere *t* 27 nobitate *V*^{1}*;* nouitate *V*^{2}

substantiam Dei, quam nec includunt nec determinant nec distendunt loco, sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea praesentia ubique totam, a tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, et uno tantum adque in conparationem illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in haec uaniloquia progressuros. Cum igitur unum mundum ingenti quidem mole corporea, finitum tamen et loco suo determinatum et operante Deo factum esse dicant: quod respondent de infinitis extra mundum locis, quur in eis ab opere Deus cesset, hoc sibi respondeant de infinitis ante mundum temporibus, quur in eis ab opere Deus cessauerit. Et sicut non est consequens, ut fortuito potius quam ratione diuina Deus non alio, sed isto in quo est loco mundum constituerit, cum pariter infinitis ubique patentibus nullo excellentiore merito posset hic eligi, quamuis eandem diuinam rationem, qua id factum est, nulla possit humana conprehendere: ita non est consequens, ut Deo aliquid existimemus accidisse fortuitum, quod illo potius quam anteriore tempore condidit mundum, cum aequaliter anteriora tempora per infinitum retro spatium praeterissent nec fuisset aliqua differentia, unde tempus tempori eligendo praeponeretur. Quod si dicunt inanes esse hominum cogitationes, quibus infinita imaginantur loca, cum locus nullus sit praeter mundum, respondetur eis isto modo: inaniter homines cogitare praeterita tempora uacationis Dei, cum tempus nullum sit ante mundum.

3 totum t^1 5 in conparationem *V;* in comparatione *rell. v Domb.* (*cf. 123, 20. 148, 6; infra 520, 25*) infinitati istam *V* 10 quir *V* 11 ibi V^1 13 fortuitu *t* 15 parentibus *t* in illo, *ex* nullo *corr.*, *t* 16 possit *t* 17 quam id *t* nullam p. humanam *t* humana intellegentia *e* 19 quod si *V* condidit *usque ad* tempora *in marg. t* 20 cum *om. l* 23 cognitiones *t* 26 nullum tempus *v*

CAPUT VI.

Creationis mundi et temporum unum esse principium nec aliud alio praeueniri.

Si enim recte discernuntur aeternitas et tempus, quod tempus sine aliqua mobili mutabilitate non est, in aeternitate autem nulla mutatio est: quis non uideat, quod tempora non fuissent, nisi creatura fieret, quae aliquid aliqua motione mutaret, cuius motionis et mutationis cum aliud adque aliud, quae simul esse non possunt, cedit adque succedit, in breuioribus uel productioribus morarum interuallis tempus sequeretur? Cum igitur Deus, in cuius aeternitate nulla est omnino mutatio, creator sit temporum et ordinator: quo modo dicatur post temporum spatia mundum creasse non uideo, nisi dicatur ante mundum iam aliquam fuisse creaturam, cuius motibus tempora currerent. Porro si litterae sacrae maximeque ueraces ita dicunt, in principio fecisse Deum caelum et terram, ut nihil antea fecisse intellegatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quae fecit: procul dubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore, et post aliquod fit et ante aliquod tempus; post id quod praeteritum est, ante id quod futurum est; nullum autem posset esse praeteritum, quia nulla erat creatura, cuius mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est mundus, si in eius conditione factus est mutabilis motus, sicut uidetur se habere etiam ordo ille primorum sex uel septem dierum, in quibus et mane et uespera nominantur, donec omnia, quae his diebus Deus fecit, sexto perficiantur die septimoque in magno mysterio Dei uacatio commendetur. Qui dies cuius modi sint, aut

6 quibus *t* 11 omnino est *p t* 12 temporis *l* 13 ni *e*[1] 14 iam *ex* nam *corr. V* aliqua fuisse creatura *p t* 22 possit *l*[1] esse *om. p t* 23 tempori *p* 25 motus *ex* locus *m. 2 corr. t* 26 et *ante* mane *om. v* 27 nominatur *p t* qui donec, qui *m. 2, V* in his *p t* 28 facit *l* in] ac *t*

perdifficile nobis aut etiam inpossibile est cogitare, quanto magis dicere.

CAPUT VII.

De qualitate primorum dierum, qui etiam antequam sol fieret uesperam et mane traduntur habuisse.

Videmus quippe istos dies notos non habere uesperam nisi de solis occasu nec mane nisi de solis exortu; illorum autem priores tres dies sine sole peracti sunt, qui die quarto factus refertur. Et primitus quidem lux uerbo Dei facta adque inter ipsam et tenebras Deus separasse narratur et eandem lucem uocasse diem, tenebras autem noctem; sed qualis illa sit lux et quo alternante motu qualemque uesperam et mane fecerit, remotum est a sensibus nostris, nec ita ut est intellegi a nobis potest, quod tamen sine ulla haesitatione credendum est. Aut enim aliqua lux corporea est, siue in superioribus mundi partibus longe a conspectibus nostris siue unde sol postmodum accensus est; aut lucis nomine significata est sancta ciuitas in sanctis angelis et spiritibus beatis, de qua dicit apostolus: Quae sursum est Hierusalem, mater nostra aeterna in caelis; ait quippe et alio loco: Omnes enim uos filii lucis estis et filii diei; non sumus noctis neque tenebrarum; si tamen et uesperam diei huius et mane aliquatenus congruenter intellegere ualeamus. Quoniam scientia creaturae in conparationem scientiae Creatoris quodam modo uesperascit, itemque lucescit et mane fit, cum et ipsa refertur ad laudem dilectionemque Creatoris; nec in noctem uergitur, ubi non Creator creaturae dilectione relin-

20 Gal. 4, 26 21 1. Thess. 5, 5

4 quia *p* etiam *V a; om. p q v* 9 priorum *l* quarto die *v* 12 sit *om. V*[1] 16 siue] si bene, *haud dubie ex* sibe *natum, t* 20 Ierus. *v* 22 non sumus ..... diei *om. e* non sumus] non estis *p* 23 nostis *V* 25 in conparationem *V l;* in comparatione *rell. v* 28 mergitur *t*

quitur. Denique scriptura cum illos dies dinumeraret ex ordine, nusquam interposuit uocabulum noctis. Non enim ait alicubi: Facta est nox; sed: Facta est uespera et factum est mane dies unus. Ita dies secundus et ceteri. Cognitio quippe creaturae in se ipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, uelut in arte qua facta est. Ideo uespera quam nox congruentius dici potest; quae tamen, ut dixi, cum ad laudandum et ad amandum refertur Creatorem, recurrit in mane. Et hoc cum facit in cognitione sui ipsius, dies unus est; cum in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores et superiores caelum appellatum est, dies secundus; cum in cognitione terrae ac maris omniumque gignentium, quae radicibus continuata sunt terrae, dies tertius; cum in cognitione luminarium maioris et minoris omniumque siderum, dies quartus; cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium adque uolatilium, dies quintus; cum in cognitione omnium animalium terrenorum adque ipsius hominis, dies sextus.

CAPUT VIII.

Quae qualisque intellegenda sit Dei requies, qua post opera sex dierum requieuit in septimo.

Cum uero in die septimo requiescit Deus ab omnibus operibus suis et sanctificat eum, nequaquam est accipiendum pueriliter, tamquam Deus laborauerit operando, qui dixit et facta sunt uerbo intellegibili et sempiterno, non sonabili et

24 Ps. 148, 5

2 ait] et *t* 3 et factus *t* 6 in Dei] sub dei *t* 7 quam] que *a* congruentius quam nox *v* 8 et ad amandum *l p α f;* uel ad am. *α;* ad *om rell.* 9 *sq.* cognitionem *utroque loco V* 10 sui..... in cognit. *in marg. e* 11 et *m. 2 ex* ut *corr. e* 14 *uerba* maioris *usque ad* animalium *u. 16 om. e* 16 natalium b^1 natantium atque uolantium *p t;* natantium et uolantium *α;* natantium *omissis* atque uol. *l* 20 qualisque *V q α;* qualisue *p v* 21 requiebit *V* 23 sanctificauit *e t* 24 tamquam... qui dixit *in marg. t* 25 non son. et temp. *om. p t*

temporali. Sed requies Dei requiem significat eorum qui requiescunt in Deo, sicut laetitia domus laetitiam significat eorum, qui laetantur in domo, etiamsi non eos domus ipsa, sed alia res aliqua laetos facit. Quanto magis, si eadem domus pulchritudine sua faciat laetos habitatores, ut non solum eo loquendi modo laeta dicatur, quo significamus per id quod continet id quod continetur (sicut 'theatra plaudunt, prata mugiunt', cum in illis homines plaudunt, in his boues mugiunt); sed etiam illo, quo significatur per efficientem id quod efficitur; sicut laeta epistula dicitur, significans eorum laetitiam, quos legentes efficit laetos. Conuenientissime itaque, cum Deum requieuisse prophetica narrat auctoritas, significatur requies eorum, qui in illo requiescunt et quos facit ipse requiescere; hoc etiam hominibus, quibus loquitur et propter quos utique conscripta est, promittente prophetia, quod etiam ipsi post bona opera, quae in eis et per eos operatur Deus, si ad illum prius in ista uita per fidem quodam modo accesserint, in illo habebunt requiem sempiternam. Hoc enim et sabbati uacatione ex praecepto legis in uetere Dei populo figuratum est, unde suo loco diligentius arbitror disserendum.

CAPUT VIIII.

De angelorum conditione quid secundum diuina testimonia sentiendum sit.

Nunc, quoniam de sanctae ciuitatis exortu dicere institui et prius quod ad sanctos angelos adtinet dicendum putaui, quae huius ciuitatis et magna pars est et eo beatior, quod numquam peregrinata, quae hinc diuina testimonia subpetant, quantum satis uidebitur, Deo largiente explicare curabo. Ubi

1 Sed] et *V* 6 quod sign. *e l* id quod continet per id *a* 7 prata] pasta *ex* parta *corr. e* 8 *prius* in *om.* e^1 plaudunt $V^1 p \alpha$; plaudant $V^2 a b e l v$ bobes *V* mugiunt $V^1 p t^2 \alpha^1$; mugiant $V^2 t^1$ *rell. v* 9 quo] qui *t* 14 quibusque *t* 16 bonaiu operaiu *V* 24 sciendum *q* 29 curabo *codd. praeter V, qui* conabor *habet*

de mundi constitutione sacrae litterae loquuntur, non euidenter dicitur, utrum uel quo ordine creati sint angeli; sed si praetermissi non sunt, uel caeli nomine, ubi dictum est: In principio fecit Deus caelum et terram, uel potius lucis huius, de qua loquor, significati sunt. Non autem esse praetermissos hinc existimo, quod scriptum est, requieuisse Deum in die septimo ab omnibus operibus suis quae fecit, cum liber ipse ita sit exorsus: In principio fecit Deus caelum et terram, ut ante caelum et terram nihil aliud fecisse uideatur. Cum ergo a caelo et terra coeperit, adque ipsa terra, quam primitus fecit, sicut scriptura consequenter eloquitur, inuisibilis et incomposita nondumque luce facta utique tenebrae fuerint super abyssum, id est super quandam terrae et aquae indistinctam confusionem (ubi enim lux non est, tenebrae sint necesse est); deinde si omnia creando disposita sunt, quae per sex dies consummata narrantur: quo modo angeli praetermitterentur, tamquam non essent in operibus Dei, a quibus in die septimo requieuit? Opus autem Dei esse angelos hic quidem etsi non praetermissum, non tamen euidenter expressum est; sed alibi hoc sancta scriptura clarissima uoce testatur. Nam et in hymno trium in camino uirorum cum praedictum esset: Benedicite omnia opera Domini Dominum, in executione eorundem operum etiam angeli nominati sunt: et in psalmo canitur: Laudate Dominum de caelis, laudate eum in excelsis; laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes uirtutes eius; laudate

22 Dan. 3, 57 sq. 24 Ps. 148, 1 sqq.

1 loquuntur] dicuntur *V* 3 in princ. *om. t* 5 significati .... praetermissos *in marg. t* praetermissos esse *v* 6 existimo nisi aeterna est *α* dnm *a* 7 in sept. die *v* 8 ipse *sup. lin. V* est t^1 9 ut ... terram *om. l* 11 primitus] principio *l;* in principio *t* loquitur *l* 12 l//e *V* (uc) 15 si omnia *p t;* si *om. rell. v Domb.* dispos. sunt *p t;* dispos. sint *rell. v Domb.* 21 in *ante* hymno *om. e p t* trium .. uirorum *om. t* 22 benedicere *e* omnia *om. e* dominum *V a* b^1 *e* l^1 *p t f;* domino b^2 l^2 *v* 24 in psalmo] ipsa laus *t* cantantur *e*

eum sol et luna, laudate eum omnes stellae et lumen; laudate eum caeli caelorum, et aquae, quae super caelos sunt, laudent nomen Domini; quoniam ipse dixit, et facta sunt; ipse mandauit, et creata sunt. Etiam hic apertissime a Deo factos esse angelos diuinitus dictum est. cum eis inter cetera caelestia commemoratis infertur ad omnia: Ipse dixit, et facta sunt. Quis porro audebit opinari post omnia ista, quae sex diebus enumerata sunt, angelos factos? Sed etsi quisquam ita desipit, redarguit istam uanitatem illa scriptura paris auctoritatis, ubi Deus dicit: Quando facta sunt sidera, laudauerunt me uoce magna omnes angeli mei. Iam ergo erant angeli, quando facta sunt sidera. Facta sunt autem quarto die. Numquidnam ergo die tertio factos esse dicemus? Absit. In promtu est enim, quid illo die factum sit. Ab aquis utique terra discreta est et distinctas sui generis species duo ista elementa sumserunt et produxit terra quidquid ei radicitus inhaeret. Numquidnam secundo? Ne hoc quidem. Tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores et inferiores caelumque appellatum est; in quo firmamento quarto die facta sunt sidera. Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent angeli, ipsi sunt illa lux, quae diei nomen accepit, cuius unitas ut commendaretur, non est dictus dies primus, sed dies unus. Nec alius est dies secundus aut tertius aut ceteri; sed idem ipse unus ad inplendum senarium uel septenarium numerum repetitus est propter senariam uel septenariam cognitionem; senariam scilicet operum, quae fecit Deus, et septenariam quietis Dei. Cum enim dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, si recte in hac luce creatio intellegitur

11 Iob 38, 7

5 esse *om. l* 6 cetera *om. V* 8 audiuit *t* 14 dicimus *l* promtum *V t* 18 secundum *V* 19 est factum est (*sic!*) *V* inter] super *V* 20 die quarto *e* facta sunt sidera quarto die *v* 22 lux illa *v* qui die *V* diei *ex* dei *corr. p* 23 dictum *l* 25 unjus *V* 26 senariam uel *om. l p t* septinariam *l* 28 septimam *V b l p t*

angelorum, profecto facti sunt participes lucis aeternae, quod est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus unigenitum Dei filium; ut ea luce inluminati, qua creati, fierent lux et uocarentur dies participatione incommutabilis lucis et diei, quod est uerbum Dei, per quod et ipsi et omnia facta sunt. Lumen quippe uerum, quod inluminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, hoc inluminat et omnem angelum mundum, ut sit lux non in se ipso, sed in Deo; a quo si auertitur angelus, fit inmundus; sicut sunt omnes, qui uocantur inmundi spiritus, nec iam lux in Domino, sed in se ipsis tenebrae, priuati participatione lucis aeternae. Mali enim nulla natura est; sed amissio boni mali nomen accepit.

CAPUT X.

De simplici et incommutabili trinitate Dei Patris et Dei Filii et Dei Spiritus sancti, unius Dei, cui non est aliud qualitas aliudque substantia.

Est itaque bonum solum simplex et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia et ob hoc mutabilia. Creata sane, inquam, id est facta, non genita. Quod enim de simplici bono genitum est, pariter simplex est et hoc est quod illud de quo genitum est; quae duo Patrem et Filium dicimus; et utrumque hoc cum spiritu suo unus Deus est; qui spiritus Patris et Filii Spiritus sanctus propria quadam notione huius nominis in sacris litteris nuncupatur. Alius est autem quam Pater et

6 Io. 1, 9

4 creatione *t* fierent lux et uocarentur participatione (*omisso* aies) *p in marg., om. t* participationis V^1 6 uerum] dei *a* uerum est *p* 13 amissione *e t* 15 dei patris *V p q α;* Patris *v* 16 et dei filii et dei sp. s. *V α;* et filii et sp. s. *p q v* siue unius *q* cui *usque ad* substantia *om.* q^1 17 aliudque *V α;* aliud *p* q^2 *v* 19 Deus *om. t* 22 ob hoc *V* 24 suo *mss.;* sancto, e *in marg., v* deus est *mss.;* est Deus *v Domb.*

Filius, quia nec Pater est nec Filius; sed 'alius' dixi, non 'aliud', quia et hoc pariter simplex pariterque incommutabile bonum est et coaeternum. Et haec trinitas unus est Deus; nec ideo non simplex, quia trinitas. Neque enim propter hoc naturam istam boni simplicem dicimus, quia Pater in ea solus aut solus Filius aut solus Spiritus sanctus, aut uero sola est ista nominis trinitas sine subsistentia personarum, sicut Sabelliani haeretici putauerunt; sed ideo simplex dicitur, quoniam quod habet hoc est, excepto quod relatiue quaeque persona ad alteram dicitur. Nam utique Pater habet Filium, nec tamen ipse est Filius [et Filius habet Patrem, nec tamen ipse est Pater]. In quo ergo ad semet ipsum dicitur, non ad alterum, hoc est quod habet; sicut ad se ipsum dicitur uiuus habendo utique uitam, et eadem uita ipse est.

Propter hoc utique natura dicitur simplex, cui non sit aliquid habere, quod uel possit amittere; uel aliud sit habens, aliud quod habet; sicut uas aliquem liquorem aut corpus colorem aut aer lucem siue feruorem aut anima sapientiam. Nihil enim horum est id quod habet; nam neque uas liquor est, nec corpus color, nec aer lux siue feruor, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam priuari possunt rebus quas habent, et in alios habitus uel qualitates uerti adque mutari, ut et uas euacuetur umore quo plenum est, et corpus decoloretur et aer tenebrescat siue frigescat et anima desipiat. Sed etsi sit corpus incorruptibile, quale sanctis in resurrectione promittitur, habet quidem ipsius incorruptionis inamissibilem qualitatem, sed manente substantia corporali non hoc est, quod ipsa incorruptio. Nam illa etiam per singulas partes

2 bonum est incom. *v* 3 esset *e* 5 diximus *e* 6 aut solus f. a. solus *om.* V^1 7 substantia *a;* substentia, *in marg.* substantia, *e* 9 est *sup. lin. V* 11 *uerba inclusa om. V l p t* 12 semet $V b^2 e$; se $a b^1 l p t v$ 13 uiuus *codd.;* uiuens *v* 15 utique *p;* itaque *rell. v Domb.* dicitur natura *p t* 16 uel quod *e* 17 sicut et *a f* 19 liquorįş *V* 20 neque corpus *e t* neque aer *e l t* 22 qualitate subuerti *l* 23 ut si *p* 24 dissipiat *e* 25 in res.... ipsius *om.* e^1 26 corruptionis *t*

corporis tota est nec alibi maior, alibi minor; neque enim ulla pars est incorruptior quam altera; corpus uero ipsum maius est in toto quam in parte; et cum aliqua pars est in eo amplior, alia minor, non ea quae amplior est incorruptior quam ea quae minor. Aliud est itaque corpus, quod non ubique sui totum est, alia incorruptio, quae ubique eius tota est, quia omnis pars incorruptibilis corporis etiam ceteris inaequalis aequaliter incorrupta est. Neque enim uerbi gratia, quia digitus minor est quam tota manus, ideo incorruptibilior manus quam digitus. Ita cum sint inaequales manus et digitus, aequalis est tamen incorruptibilitas manus et digiti. Ac per hoc quamuis a corpore incorruptibili inseparabilis incorruptibilitas sit, aliud est tamen substantia, qua corpus dicitur, aliud qualitas eius, qua incorruptibile nuncupatur. Et ideo etiam sic non hoc est quod habet. Anima quoque ipsa, etiamsi semper sit sapiens, sicut erit cum liberabitur in aeternum, participatione tamen incommutabilis sapientiae sapiens erit, quae non est quod ipsa. Neque enim si aer infusa luce numquam deseratur, ideo non aliud est ipse, aliud lux qua inluminatur. Neque hoc ita dixerim, quasi aer sit anima, quod putauerunt quidam qui non potuerunt incorpoream cogitare naturam. Sed habent haec ad illa etiam in magna disparilitate quandam similitudinem, ut non inconuenienter dicatur sic inluminari animam incorpoream luce incorporea simplicis sapientiae Dei, sicut inluminatur aeris corpus luce corporea; et sicut aer tenebrescit ista luce desertus (nam nihil sunt aliud quae dicuntur locorum quorumcumque corporalium tenebrae quam aer carens luce), ita tenebrescere animam sapientiae luce priuatam.

1 nec alibi minor *e* 3 aliqua *p;* alia *rell. v Domb.* 5 ea quae *codd. praeter V, in quo* ea *deest* 8 et qualiter *t* 10 inaequales] aequales *t* 13 sit *ex* est *corr. V* quam *V;* quę *l* 14 aliud *b t v Domb.;* alia *V a e l p f* 18 lucem *t* 22 ab illa *V;* ad illam *t* in *om. l* dispar. magna *l;* dispar. in magna *t* 23 non conuenienter *b* 24 incorporea *t* lucem incorpoream *V* 25 luminatur *t* 27 colorum *V* locorumque b^1 *t* quorumque *V a* b^2 *l; om. p* 29 priuata *t*

Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quae principaliter uereque diuina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia, nec aliorum participatione uel diuina uel sapientia uel beata sunt. Ceterum dictus est in scripturis sanctis Spiritus sapientiae multiplex, eo quod multa in sese habeat; sed quae habet, haec et est, et ea omnia unus est. Neque enim multae, sed una sapientia est, in qua sunt infiniti quidam eique finiti thensauri rerum intellegibilium, in quibus sunt omnes inuisibiles adque incommutabiles rationes rerum etiam uisibilium et mutabilium, quae per ipsam factae sunt. Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quolibet homine artifice recte dici potest; porro si sciens fecit omnia, ea utique fecit quae nouerat. Ex quo occurrit animo quiddam mirum, sed tamen uerum, quod iste mundus nobis notus esse non posset, nisi esset; Deo autem nisi notus esset, esse non posset.

CAPUT XI.

An eius beatitudinis, quam sancti angeli ab initio sui semper habuerunt, etiam illos spiritus, qui in ueritate non steterunt, participes fuisse credendum sit.

Quae cum ita sint, nullo modo quidem secundum spatium aliquod temporis prius erant spiritus illi tenebrae, quos angelos dicimus; sed simul ut facti sunt, lux facti sunt; non tamen tantum ita creati, ut quoquo modo essent et quoquo modo uiuerent; sed etiam inluminati, ut sapienter beateque uiuerent. Ab hac inluminatione auersi quidam angeli non obtinuerunt excellentiam sapientis beataeque uitae. quae procul

5 Sap. 7, 22

2 in eis est V^1 5 sese *V a e l p;* se *b t v* 6 haec] hoc *codd.* 7 infiniti quidam eique finiti *V b e l p;* infinita quaedam eique infiniti *a f;* infinita q. eique finiti *t;* immensi quidam atque infiniti *v* 8 thens. *V l* 9 rationes *om.* a^1 11 aliquid non *e* 18 semper ab initio hab. *p* 20 fuisse *om.* p^1 22 quidem modo *v* aliq. temp. spat. *v* 23 illi spiritus *v* 25 ita tantum *v*

dubio non nisi aeterna est aeternitatisque suae certa adque secura; sed rationalem uitam licet insipientem sic habent, ut eam non possint amittere, nec si uelint. Quatenus autem, antequam peccassent, illius sapientiae fuerint participes, definire quis potest? In eius tamen participatione aequales fuisse istos illis, qui propterea uere pleneque beati sunt, quoniam nequaquam de suae beatitudinis aeternitate falluntur, quo modo dicturi sumus? quando quidem si aequales in ea fuissent, etiam isti in eius aeternitate mansissent pariter beati, quia pariter certi. Neque enim sicut uita, quamdiucumque fuerit, ita aeterna uita ueraciter dici poterit, si finem habitura sit; si quidem uita tantummodo uiuendo, aeterna uero finem non habendo nominata est. Quapropter quamuis non, quidquid aeternum, continuo beatum sit (dicitur enim etiam poenalis ignis aeternus): tamen si uere perfecteque beata uita non nisi aeterna est, non erat talis istorum, quandoque desitura et propterea non aeterna, siue id scirent, siue nescientes aliud putarent; quia scientes timor, nescientes error beatos esse utique non sinebat. Si autem hoc ita nesciebant, ut falsis incertisue non fiderent, sed utrum sempiternum an quandoque finem habiturum esset bonum suum, in neutram partem firma adsensione ferrentur: ipsa de tanta felicitate cunctatio eam beatae uitae plenitudinem, quam in sanctis angelis esse credimus, non habebat. Neque enim beatae uitae uocabulum ita contrahimus ad quasdam significationis angustias, ut solum Deum dicamus beatum; qui tamen uere ita beatus est, ut maior beatitudo esse non possit, in cuius conparatione, quod angeli beati sunt summa quadam sua beatitudine, quanta esse in angelis potest, quid aut quantum est?

2 sed *codd.;* sed et *v* 6 uere] habere *t, quod in exemplari unde descriptus est t,* bere *exaratum erat* 17 scientes *V* 19 incertis non *t* 22 adsensionem l^1 *t* 24 habebant *V;* habant *b;* habent *p* 26 esse beatum *e* uero *e* ita uere *v* 27 posset in eius *t* 28 summa quadam sua *V;* sua summa quadam *rell. v Domb.*

CAPUT XII.

De conparatione beatitudinis iustorum necdum obtinentium promissionis diuinae praemium et primorum in paradiso hominum ante peccatum.

Nec ipsos tantum, quod adtinet ad rationalem uel intellectualem creaturam, beatos nuncupandos putamus. Quis enim primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamuis sua beatitudo quam diuturna uel utrum aeterna esset incertos (esset autem aeterna, nisi peccassent), cum hodie non inpudenter beatos uocemus, quos uidemus iuste ac pie cum spe futurae inmortalitatis hanc uitam ducere sine crimine uastante conscientiam, facile inpetrantes peccatis huius infirmitatis diuinam misericordiam. Qui licet de suae perseuerantiae praemio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione prouectuque iustitiae perseueraturum usque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Quantum itaque pertinet ad delectationem praesentis boni, beatior erat primus homo in paradiso, quam quilibet iustus in hac infirmitate mortali; quantum autem ad spem futuri, beatior quilibet in quibuslibet cruciatibus corporis, cui non opinione, sed certa ueritate manifestum est, sine fine se habiturum omni molestia carentem societatem angelorum in participatione summi Dei, quam erat ille homo sui casus incertus in magna illa felicitate paradisi.

3 optinentium *V α;* tenentium *p q v* 8 sua beatitudo *codd.;* de sua beatitudine *v* uel utrum *om. b* 9 incertos] incertum est *p t;* incertos esse, *in marg.* al. lib. hẗ incertum ẽ, *e* 12 astante *V* conscientia *l* facilẽ petrantes *e* 14 de suo *t* 16 prouecta//, *ex* prouectuq; *corr., superscripto ł* perfecta, *b;* profectuque *v* iustitia, a *m. 2 in ras., b*

CAPUT XIII.

An ita unius felicitatis omnes angeli sint creati, ut neque lapsuros se possent nosse qui lapsi sunt, et post ruinam labentium perseuerantiae suae praescientiam acceperint qui steterunt.

Quocirca cuiuis iam non difficulter occurrit utroque coniuncto effici beatitudinem, quam recto proposito intellectualis natura desiderat, hoc est, ut et bono incommutabili, quod Deus est, sine ulla molestia perfruatur et in eo se in aeternum esse mansurum nec ulla dubitatione cunctetur nec ullo errore fallatur. Hanc habere angelos lucis pia fide credimus: hanc nec antequam caderent habuisse angelos peccatores, qui sua prauitate illa luce priuati sunt, consequenti ratione colligimus; habuisse tamen aliquam, etsi non praesciam, beatitudinem, si uitam egerunt ante peccatum, profecto credendi sunt. Aut si durum uidetur, quando facti sunt angeli, alios credere ita factos ut non acciperent praescientiam uel perseuerantiae uel casus sui, alios autem ita ut ueritate certissima aeternitatem suae beatitudinis nossent, sed aequalis felicitatis omnes ab initio creati sunt, et ita fuerunt, donec isti, qui nunc mali sunt, ab illo bonitatis lumine sua uoluntate cecidissent: procul dubio multo est durius nunc putare angelos sanctos aeternae suae beatitudinis incertos, et ipsos de semet ipsis ignorare, quod nos de illis per scripturas sanctas nosse potuimus. Quis enim catholicus Christianus ignorat nullum nouum diabolum ex bonis angelis ulterius futurum, sicut nec istum in societatem bonorum angelorum ulterius rediturum? Veritas quippe in euangelio sanctis fidelibusque promittit,

4 lauentium V^1 6 cuiuis] cuius, *in marg.* et quiuis, *e;* uiuis *t* 8 et *om. V* 9 se, *extra lin. adscripto* sanū. *b* 10 mansuram *a l v* nec] sine *m. 2 in ras. e* illa *V* 16 aut si . . . . . sunt *sup. lin. V* 18 autem factos *e* 21 sunt *om.* t^1 ab illo *in spatio uacuo om. t* 22 nunc putare] si nunc putant *p t* 23 sanctos *om. e* aeternitate *a e; in margine* aeternę suę beatitudinis, *e* beatitatis *b e v* incertos] perditos *m. 2 in ras. t* 24 nos de] nosti *t* 25 crist. *l*

quod erunt aequales angelis Dei; quibus etiam promittitur, quod ibunt in uitam aeternam. Porro autem si nos certi sumus numquam nos ex illa inmortali felicitate casuros, illi uero si certi non sunt, iam potiores, non aequales eis erimus. Sed quia nequaquam Veritas fallit et aequales eis erimus, profecto etiam ipsi certi sunt suae felicitatis aeternae. Cuius illi alii quia certi non fuerunt (non enim erat eorum aeterna felicitas cuius certi essent, quae finem fuerat habitura), restat, ut aut inpares fuerint, aut, si pares fuerunt, post istorum ruinam illis certa scientia suae sempiternae felicitatis accesserit. Nisi forte quis dicat id, quod Dominus ait de diabolo in euangelio: Ille homicida erat ab initio et in ueritate non stetit, sic esse accipiendum, ut non solum homicida fuerit ab initio, id est initio humani generis, ex quo utique homo factus est, quem decipiendo posset occidere, uerum etiam ab initio suae conditionis in ueritate non steterit et ideo numquam beatus cum sanctis angelis fuerit, suo recusans esse subditus creatori et sua per superbiam uelut priuata potestate laetatus, ac per hoc falsus et fallax, quia nec quisquam potestatem Omnipotentis euadit, et qui per piam subiectionem noluit tenere quod uere est, adfectat per superbam elationem simulare quod non est, ut sic intellegatur etiam quod beatus Iohannes apostolus ait: Ab initio diabolus peccat, hoc est, ex quo creatus est, iustitiam recusauit, quam nisi pia Deoque subdita uoluntas habere non posset. Huic sententiae quisquis adquiescit, non cum illis haereticis sapit, id est Manichaeis, et si quae aliae pestes ita sentiunt, quod

1 Mt. 22, 30 2 ib. 25, 46 11 Io. 8, 44 23 1. Io. 3, 8

3 simus *b* α *f* 4 si *om. V Domb.* 4 eis *om. V l* 7 *post* non fuerunt *in e sequuntur* merito ceciderunt illorum *t* 10 ruina *V* 11 id] hic α *f* 14 in initio *t* 15 possit *l* 18 suo *V* sua superbia *a, et in marg. e* 19 elatus *a e f; lętatus marg. e* nec quisquam *l;* ne quisquam *V;* neque quisquam *b* α, *marg. e Domb.* nec uimquam *a p v;* nec uimquam *t* 20 piam] suam *in ras. a* 21 per superbiam et elationem *a* 25 posset *V a b e p t* α; possit *l v* 27 hoc est *l p* destes] partes *a*

suam quandam propriam tamquam ex aduerso quodam principio diabolus habeat naturam mali; qui tanta uanitate desipiunt, ut, cum uerba ista euangelica in auctoritate nobiscum habeant, non adtendant non dixisse Dominum: A ueritate alienus fuit; sed: In ueritate non stetit, ubi a ueritate lapsum intellegi uoluit, in qua utique si stetisset, eius particeps factus beatus cum sanctis angelis permaneret.

CAPUT XIIII.

Quo genere locutionis dictum sit de diabolo, quod in ueritate non steterit, quia ueritas non est in eo.

Subiecit autem indicium, quasi quaesissemus, unde ostendatur, quod in ueritate non steterit, adque ait: Quia non est ueritas in eo. Esset autem in eo, si in illa stetisset. Locutione autem dictum est minus usitata. Sic enim uidetur sonare: In ueritate non stetit, quia ueritas non est in eo, tamquam ea sit causa, ut in ueritate non steterit, quod in eo ueritas non sit; cum potius ea sit causa, ut in eo ueritas non sit, quod in ueritate non stetit. Ista locutio est et in psalmo: Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus; cum dicendum fuisse uideatur: Exaudisti me Deus, quoniam clamaui. Sed cum dixisset: 'Ego clamaui', tamquam ab eo quaereretur, unde se clamasse monstraret, ab effectu exauditionis Dei clamoris sui ostendit affectum; tamquam diceret: 'Hinc ostendo clamasse me, quoniam exaudisti me.'

20 Ps. 16, 6

1 tamquam *om. t* 2 mali *om.* α^1 3 ut] et *t* 4 adtendunt, u *m. 2, t* 10 sterit V^1; stetit *q* 15 loquutionem *t* 16 non est ueritas *v* 18 eo] ex V^1 cum.....non sit *om.* b^1 19 steterit *v* 21 fuisset, t *punctis deletum, V* 24 effectum *V*

CAPUT XV.

Quid sentiendum sit de eo, quod dictum est: Ab initio diabolus peccat.

Illud etiam, quod ait de diabolo Iohannes: Ab initio diabolus peccat, non intellegunt, si natura talis est, nullo modo esse peccatum. Sed quid respondetur propheticis testimoniis, siue quod ait Esaias sub figurata persona principis Babyloniae diabolum notans: Quo modo cecidit Lucifer, qui mane oriebatur; siue quod Hiezechiel: In deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es? Ubi intellegitur fuisse aliquando sine peccato. Nam expressius ei paulo post dicitur: Ambulasti in diebus tuis sine uitio. Quae si aliter conuenientius intellegi nequeunt, oportet etiam illud, quod dictum est: In ueritate non stetit, sic accipiamus, quod in ueritate fuerit, sed non permanserit; et illud, quod ab initio diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit esse peccatum. Nec illud, quod scriptum est in libro Iob, cum de diabolo sermo esset: Hoc est initium figmenti Domini, quod fecit ad inludendum ab angelis suis (cui consonare uidetur et psalmus, ubi legitur: Draco hic, quem finxisti ad inludendum ei), sic intellegendum est, ut existimemus talem ab initio creatum, cui ab angelis inluderetur, sed in hac poena post peccatum ordinatum. Initium ergo eius figmentum est Domini; non enim est ulla natura etiam in extremis infimisque bestiolis, quam non ille constituit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo, sine quibus

8 Esai. 14, 12 12 Hiezech. 28, 13 sq. 20 Iob 40, 14 22 Ps. 103, 26

2 dictum $V\alpha$; scriptum pqv 4 etiam] autem l Iohannes, *m. 2 addito* apostolus, t 5 natura talis Vl^2f; naturalis $ae^1l^1pt\alpha$; naturale be^2v 7 Isaias ait v 10 lapidi V 12 ei] et l 13 conuenientibus l 19 scriptum] dictum t 23 non sic t 24 non talem e

nihil rerum inueniri uel cogitari potest; quanto magis angelica creatura, quae omnia cetera, quae Deus condidit, naturae dignitate praecedit!

CAPUT XVI.

De gradibus et differentiis creaturarum, quas aliter pendit usus utilitatis, aliter ordo rationis.

In his enim, quae quoquo modo sunt et non sunt quod Deus est a quo facta sunt, praeponuntur uiuentia non uiuentibus, sicut ea, quae habent uim gignendi uel etiam adpetendi, his, quae isto motu carent; et in his, quae uiuunt, praeponuntur sentientia non sentientibus, sicut arboribus animalia; et in his, quae sentiunt, praeponuntur intellegentia non intellegentibus, sicut homines pecoribus; et in his, quae intellegunt, praeponuntur inmortalia mortalibus, sicut angeli hominibus. Sed ita praeponuntur naturae ordine; est autem alius adque alius pro suo cuiusque usu aestimationis modus, quo fit, ut quaedam sensu carentia quibusdam sentientibus praeponamus, in tantum, ut si potestas esset ea prorsus de natura rerum auferre uellemus, siue quem in ea locum habeant ignorantes, siue etiamsi sciamus nostris ea commodis postponentes. Quis enim non domi suae panem habere quam mures, nummos quam pulices malit? Sed quid mirum, cum in ipsorum etiam hominum aestimatione, quorum certe natura tantae est dignitatis, plerumque carius conparetur equus quam seruus, gemma quam famula? Ita libertate iudicandi plurimum distat ratio considerantis a necessitate indigentis seu uoluptate cupientis, cum ista quid per se ipsum in rerum gradibus

5 quas *V α;* quod *p q v* 6 perdit *V;* pendet *v* 15 ita *V e l p t;* ista *r Domb.* adque alius *om. e* 19 uellimus *t* 20 etiam sciamus *V a e l p t* 21 domui *V a b p* α^2 22 in *V a b e p t* α f; *om. l v* 23 homines *t* 24 ut *ante* plerumque *sup. lin. l* 26 uoluntate *V l p t* 27 ipsam *e* grandibus *c*

pendat, necessitas autem quid propter quid expetat cogitat, et ista quid uerum luci mentis appareat. uoluptas uero quid iucundum corporis sensibus blandiatur expectat. Sed tantum ualet in naturis rationalibus quoddam ueluti pondus uoluntatis et amoris, ut, cum ordine naturae angeli hominibus, tamen lege iustitiae boni homines malis angelis praeferantur.

CAPUT XVII.

Vitium malitiae non naturam esse, sed contra naturam, cui ad peccandum non Conditor causa est, sed uoluntas.

Propter naturam igitur, non propter malitiam diaboli, dictum recte intellegimus: Hoc est initium figmenti Domini. Quia sine dubio, ubi esset uitium malitiae, natura non uitiata praecessit. Vitium autem ita contra naturam est, ut non possit nisi nocere naturae. Non itaque esset uitium recedere a Deo, nisi naturae, cuius id uitium est, potius conpeteret esse cum Deo. Quapropter etiam uoluntas mala grande testimonium est naturae bonae. Sed Deus sicut naturarum bonarum optimus creator est, ita malarum uoluntatum iustissimus ordinator, ut, cum illae male utuntur naturis bonis, ipse bene utatur etiam uoluntatibus malis. Itaque fecit, ut diabolus institutione illius bonus, uoluntate sua malus, in inferioribus ordinatus inluderetur ab angelis eius, id est, ut prosint tentationes eius sanctis, quibus eas obesse desiderat. Et quoniam Deus, cum eum conderet, futurae malignitatis eius non erat

1 pendeat *t* per pendat in manifesto sit, necessitas autem quid propter qui d cogitat expetat. ut in his quod uerum est luci mentis ł aperiat appareat, *b* uel quid propter *a* expetat˜ (= expetatur) *p;* expectat *c* cogitet *v* 2 et ista] et in his *a* lucis *t* uoluntas *e l* 3 expectat *mss.;* spectat *Domb.*[2]*;* exquirat *v* 4 ualet *m. 1 in marg. a* rationabilibus *a* 6 iustitiae dei *t* 14 Quia .... uitium *om. b*[1] esset *mss. v;* est *Domb.* 16 naturā, *in marg.* naturę, *e* 17 id] aliud V^1 21 illi *b* male illae *v* 25 desiderant *t*

utique ignarus et praeuidebat quae bona de malo eius esset ipse facturus: propterea psalmus ait: Draco hic, quem finxisti ad inludendum ei, ut in eo ipso quod eum finxit, licet per suam bonitatem bonum, iam per suam praescientiam praeparasse intellegatur quo modo illo uteretur et malo.

CAPUT XVIII.

De pulchritudine uniuersitatis, quae per ordinationem Dei etiam ex contrariorum fit obpositione luculentior.

Neque enim Deus ullum, non dico angelorum, sed uel hominum crearet, quem malum futurum esse praescisset, nisi pariter nosset quibus eos bonorum usibus commodaret adque ita ordinem saeculorum tamquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestaret. Antitheta enim quae appellantur in ornamentis elocutionis sunt decentissima, quae Latine uel appellentur obposita, uel, quod expressius dicitur, contraposita. Non est aput nos huius uocabuli consuetudo, cum tamen eisdem ornamentis locutionis etiam sermo Latinus utatur, immo linguae omnium gentium. His antithetis et Paulus apostolus in secunda ad Corinthios epistula illum locum suauiter explicat, ubi dicit: Per arma iustitiae dextra et sinistra: per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam; ut seductores et ueraces, ut qui ignoramur et cognoscimur; quasi morientes, et

22 2. Cor. 6, 7 sqq.

1 utiquinutignarus *V* prouidebat *e l* de malo *V a l p t α f*; de malis *b v*; de loco, *in marg.* de malis, *e* 2 dracho *V* 10 lucentior *q* 14 tamque V^1 etiam *V e l p t α; om. a b v* 15 ex *om. e* 16 in ordinatione locutionis *p*; ordinationis et locutionis *t* 17 uel appellentur *scripsi*; ut appellentur *V a b l p t α f Domb.*; appellentur *omisso* ut *e*; appellantur *v* 19 cum . . . locutionis *in marg. t* 22 dextra et sinistra *V l p t*; a dextra et sinistra *α*; a dext. et a sin. *e*; a dextris et a sinistris *a b v* 24 sed uer. *t*

ecce uiuimus, ut coherciti et non mortificati; ut tristes, semper autem gaudentes; sicut egeni, multos autem ditantes; tamquam nihil habentes et omnia possidentes. Sicut ergo ista contraria contrariis obposita sermonis pulchritudinem reddunt: ita quadam non uerborum, sed rerum eloquentia contrariorum obpositione saeculi pulchritudo conponitur. Apertissime hoc positum est in libro ecclesiastico isto modo: Contra malum bonum est et contra mortem uita; sic contra pium peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi, bina bina, unum contra unum.

CAPUT XVIIII.

Quid sentiendum uideatur de eo quod scriptum est: Diuisit Deus inter lucem et tenebras.

Quamuis itaque diuini sermonis obscuritas etiam ad hoc sit utilis, quod plures sententias ueritatis parit et in lucem notitiae producit, dum alius eum sic, alius sic intellegit (ita tamen ut, quod in obscuro loco intellegitur, uel adtestatione rerum manifestarum uel aliis locis minime dubiis adseratur; siue, cum multa tractantur, ad id quoque perueniatur, quod sensit ille qui scripsit, siue id lateat, sed ex occasione tractandae profundae obscuritatis alia quaedam uera dicantur): non mihi uidetur ab operibus Dei absurda sententia, si, cum lux prima illa facta est, angeli creati intelleguntur, inter sanctos angelos et inmundos fuisse discretum, ubi dictum est: Et diuisit Deus inter lucem et tenebras; et uocauit Deus lucem diem et tenebras uocauit noctem. Solus

8 Eccli. 33, 15

1 ut temptati, *in marg.* ut coerciti, *e* 2 egentes *α* 3 locupletantes *lpt α* 8 hoc modo *v* 10 bina bina *V a b e l p t α;* bina et bina *v* 13 de eo q. scr. est *om. p* 17 producet *t* 21 sentit *t* id quidem lateat *v* 22 bera V^1 23 absorda V^1 24 illa prima *v* intelligantur *a* inter *V b e l p t α;* et inter *a v* 25 sanctos, *superscripto m. 2* quoque, *b* etiam mundos *l* 27 uocauit *om. t*

quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent praescire casuros et priuatos lumine ueritatis in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem et noctem, id est inter hanc lucem et has tenebras, uulgatissima sensibus nostris luminaria caeli ut diuiderent imperauit: Fiant, inquit, luminaria in firmamento caeli, ut luceant super terram et diuidant inter diem et noctem; et paulo post: Et fecit, inquit, Deus duo luminaria magna, luminare maius in principia diei, et luminare minus in principia noctis, et stellas; et posuit illa Deus in firmamento caeli lucere super terram et praeesse diei et nocti et diuidere inter lucem et tenebras. Inter illam uero lucem, quae sancta societas angelorum est inlustratione ueritatis intellegibiliter fulgens, et ei contrarias tenebras, id est malorum angelorum auersorum a luce iustitiae taeterrimas mentes, ipse diuidere potuit, cui etiam futurum non naturae, sed uoluntatis malum occultum aut incertum esse non potuit.

CAPUT XX.

De eo, quod post discretionem lucis adque tenebrarum dictum est: Et uidit Deus lucem quia bona est.

Denique nec illud est praetereundum silentio, quod, ubi dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, continuo subiunctum est: Et uidit Deus lucem quia bona est; non postea quam separauit inter lucem et tenebras et uocauit lucem diem et tenebras noctem, ne simul cum luce etiam talibus tenebris testimonium placiti sui perhibuisse uideretur. Nam ubi tenebrae

1 illa *e* qui potuit *om. e* 2 c..derent *ex* conderent *corr. V* lumine priu. *v* 3 superuia t^1 mansuros *t* istum enim *t* nobis *sup. lin. a.* 5 uulgatissimas *V e l t* 10 in principia *V e l p t v;* in principio *a b α f* in luminare *t* 16 a luce *sup. lin. a* 18 aut] ut *t* 22 quod esset bona *p*

inculpabiles sunt, inter quas et lucem istam his oculis conspicuam luminaria caeli diuidunt, non ante, sed post infertur: Et uidit Deus quia bonum est. Posuit illa, inquit, in firmamento caeli lucere super terram et praeesse diei et nocti et separare inter lucem et tenebras. Et uidit Deus quia bonum est. Utrumque placuit, quia utrumque sine peccato est. Ubi autem dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux. Et uidit Deus lucem quia bona est; et postmodum infertur: Et separauit Deus inter lucem et tenebras; et uocauit Deus lucem diem et tenebras uocauit noctem: non hoc loco additum est: Et uidit Deus quia bonum est, ne utrumque appellaretur bonum, cum esset horum alterum malum, uitio proprio, non natura. Et ideo sola ibi lux placuit Conditori; tenebrae autem angelicae, etsi fuerant ordinandae, non tamen fuerant adprobandae.

CAPUT XXI.

De aeterna et incommutabili scientia Dei ac uoluntate, qua semper illi uniuersa quae fecit sic placuerunt facienda, quem ad modum facta.

Quid est enim aliud intellegendum in eo, quod per omnia dicitur: Vidit Deus quia bonum est, nisi operis adprobatio secundum artem facti, quae sapientia Dei est? Deus autem usque adeo non, cum factum est, tunc didicit bonum, ut nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo uidet quia bonum est, quod, nisi uidisset antequam fieret, non utique fieret: docet bonum esse, non discit. Et Plato quidem plus ausus est dicere, elatum esse scilicet Deum gaudio mundi

27 Tim. p. 37, C

1 inpalpabiles *a* 3 posuit *V a b e l p·t α f*; Et posuit *v* inquit *om. α f* 6 Utrumque *codd.*; Utr. enim *v* 7 ibi, *in marg.* ubi, *e* 10 et uocauit .... tenebras *om. l*[1] uocauitque *v* 18 dei scientia *p* uoluntate] bonitate *V* 19 quia semper *p* ei *α* 24 dicit *V*

uniuersitate perfecta. Ubi et ipse non usque adeo desipiebat, ut putaret Deum sui operis nouitate factum beatiorem; sed sic ostendere uoluit artifici suo placuisse iam factum, quod placuerat in arte faciendum; non quod ullo modo Dei scientia uarietur, ut aliud in ea faciant quae nondum sunt, aliud quae iam sunt, aliud quae fuerunt; non enim more nostro ille uel quod futurum est prospicit, uel quod praesens est aspicit, uel quod praeteritum est respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe alteque diuerso. Ille quippe non ex hoc in illud cogitatione mutata, sed omnino incommutabiliter uidet; ita ut illa quidem, quae temporaliter fiunt, et futura nondum sint et praesentia iam sint et praeterita iam non sint, ipse uero haec omnia stabili ac sempiterna praesentia conprehendat; nec aliter oculis, aliter mente; non enim ex animo constat et corpore; nec aliter nunc et aliter antea et aliter postea; quoniam non sicut nostra, ita eius quoque scientia trium temporum, praesentis uidelicet et praeteriti uel futuri, uarietate mutatur, aput quem non est inmutatio nec momenti obumbratio. Neque enim eius intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporeo contuitu simul adsunt cuncta quae nouit; quoniam tempora ita nouit nullis suis temporalibus notionibus, quem ad modum temporalia mouet nullis suis temporalibus motibus. Ibi ergo uidit bonum esse quod fecit, ubi bonum esse uidit ut faceret; nec quia factum uidit scientiam duplicauit uel ex aliqua parte auxit, tamquam minoris scientiae fuerit priusquam faceret quod uideret, qui tam perfecte non operaretur, nisi tam perfecta scientia, cui nihil ex eius operibus adderetur. Quapropter, si tantummodo nobis insinuandum esset quis fecerit

18 Iac. 1, 17

1 desapiebat l^1; decipiebat t^2 2 nouitatem V^1 4 in arte *om.* *e* 5 fiant *t* 7 prospicit] praeficit $V\,t$ 8 recipit *e* 9 lateque *e* α 12 praeterita iam] preteritatem *t* 15 nunc et aliter $V\,a\,b\,e\,p\,t$; et *om.* *l v* 21 contuitu $V\,b\,e\,l\,v$; intuitu $a\,p\,t\,\alpha\,f$ 25 uel ex, *m.* 2 *in* ut ex *corr.*, *V*

lucem, sufficeret dicere, fecit Deus lucem; si autem non solum quis fecerit, uerum etiam per quid fecerit, satis esset ita enuntiari: Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux; ut non tantum Deum, sed etiam per Verbum lucem fecisse nossemus. Quia uero tria quaedam maxime scienda de creatura nobis oportuit intimari, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit: Dixit Deus, inquit: Fiat lux, et facta est lux. Et uidit Deus lucem quia bona est. Si ergo quaerimus, quis fecerit: Deus est; si per quid fecerit: Dixit: Fiat, et facta est; si quare fecerit: Quia bona est. Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei uerbo, nec causa melior quam ut bonum crearetur a [Deo] bono. Hanc etiam Plato causam condendi mundi iustissimam dicit, ut a bono Deo bona opera fierent; siue ista legerit, siue ab his qui legerant forte cognouerit; siue acerrimo ingenio inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspexerit, siue ab his qui ista conspexerant et ipse didicerit.

CAPUT XXII.

De his, quibus in uniuersitate rerum a bono Creatore bene conditarum quaedam displicent, et putant nonnullam malam esse naturam.

Hanc tamen causam, id est ad bona creanda bonitatem Dei, hanc, inquam, causam tam iustam adque idoneam, quae diligenter considerata et pie cogitata omnes controuersias quaerentium mundi originem terminat, quidam haeretici non uiderunt, quia egenam carnis huius fragilemque mortalitatem iam de iusto supplicio uenientem, dum ei non conueniunt, plurima

13 Tim. p. 30 15 Rom. 1, 20

1 Deus fecit *v* 6 per quid fecit *l* 7 quare fecerit *om. t* Deus dixit *v* 12 crearetur a Deo bono] creatura bona (*enatum fortasse ex* creatur a bono) *p t* [Deo] *om. V b l*^{1} bono deo *a e* 14 legerint *V*^{1} 17 ita *e* 21 ullam *V p q α* esse nat. malam *v* 26 iam] itam *e*^{1}*;* istam *e*^{2} 27 supplicio] iudicio *t*

offendunt, sicut ignis aut frigus aut fera bestia aut quid eius modi; nec adtendunt, quam uel in suis locis naturisque uigeant pulchroque ordine disponantur, quantumque uniuersitati rerum pro sui portione decoris tamquam in communem rem publicam conferant uel nobis ipsis, si eis congruenter adque scienter utamur, commoditatis adtribuant, ita ut uenena ipsa, quae per inconuenientiam perniciosa sunt, conuenienter adhibita in salubria medicamenta uertantur; quamque a contrario etiam haec, quibus delectantur, sicut cibus et potus et ista lux, inmoderato et inopportuno usu noxia sentiantur. Unde nos admonet diuina prouidentia non res insipienter uituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere, et ubi nostrum ingenium uel infirmitas deficit, ita credere occultam, sicut erant quaedam, quae uix potuimus inuenire; quia et ipsa utilitatis occultatio aut humilitatis exercitatio est aut elationis adtritio; cum omnino natura nulla sit malum nomenque hoc non sit nisi priuationis boni. Sed a terrenis usque ad caelestia et a uisibilibus usque ad inuisibilia sunt aliis alia bona meliora, ad hoc inaequalia, ut essent omnia; Deus autem ita est artifex magnus in magnis, ut minor non sit in paruis; quae parua non sua granditate (nam nulla est), sed artificis sapientia metienda sunt; sicut in specie uisibilis hominis, si unum radatur supercilium, quam propemodum nihil corpori, et quam multum detrahitur pulchritudini, quoniam non mole constat, sed parilitate ac dimensione membrorum! Nec sane multum mirandum est, quod hi, qui nonnullam malam putant esse naturam suo quodam contrario exortam propagatamque principio, nolunt accipere istam causam creationis rerum, ut bonus Deus conderet bona, credentes

1 aut quid *e l p t v;* uel quid *V* (quid *ex* quod *corr.*), *a b* huiusmodi *v* 4 pro sui portione *p;* pro suis portionis *t;* pro suis portionibus *rell. v Domb.* publicam *om.* α 8 quamquam ea contr. *l* 9 et *ante* potus *om. l* 10 inopportunosanoxia *V m. 1 corr.* 11 utilitate rer. diligentes *t* 13 deficit *V a b*^{2} *l*^{2} *p t;* defecit *b*^{1} *e l*^{1} α *f* occulta *e p t* 16 nisi sit non *V*^{1} priuatio///, *l* 18 inuilia *V*^{1} 24 demensione *l*^{1} 27 exortum *t*

eum potius ad haec mundana molimina rebellantis aduersum se mali repellendi extrema necessitate perductum suamque naturam bonam malo cohercendo superandoque miscuisse, quam turpissime pollutam et crudelissime captiuatam et obpressam labore magno uix mundet ac liberet; non tamen totam, sed quod eius non potuerit ab illa inquinatione purgari, tegmen ac uinculum futurum hostis uicti et inclusi. Sic autem Manichaei non desiperent uel potius insanirent, si Dei naturam, sicuti est, incommutabilem adque omnino incorruptibilem crederent, cui nocere nulla res possit; animam uero, quae uoluntate mutari in deterius et peccato corrumpi potuit adque ita incommutabilis ueritatis luce priuari, non Dei partem nec eius naturae, quae Dei est, sed ab illo conditam longe inparem Conditori Christiana sanitate sentirent.

CAPUT XXIII.

De errore, in quo Origenis doctrina culpatur.

Sed multo est mirandum amplius, quod etiam quidam, qui unum nobiscum credunt omnium rerum esse principium, ullamque naturam, quae non est quod Deus est, nisi ab illo conditore esse non posse, noluerunt tamen istam causam fabricandi mundi tam bonam ac simplicem bene ac simpliciter credere, ut Deus bonus conderet bona et essent post Deum quae non essent quod est Deus, bona tamen, quae non faceret nisi bonus Deus; sed animas dicunt, non quidem partes Dei, sed factas a Deo, peccasse a Conditore recedendo et diuersis progressibus pro diuersitate peccatorum a caelis usque ad terras diuersa corpora quasi uincula meruisse, et hunc esse mundum eamque causam mundi fuisse faciendi, non ut conderentur bona, sed ut mala cohiberentur. Hinc Origenes iure culpatur. In libris

1 aduersus *t* 2 malis repellendis *a* 3 coherendo *l t;* coercendoque *omisso* superando *e* 5 totam tamen *v* 9 immutabilem *e l* 10 re *t* anima *t* 13 deus *b* 16 culpatus *V;* culpatur *α;* inculpatur *p q v* 17 mir. est *e* ꝙꝙꝯ quod *V* 18 nullamque *e* 19 nisi *sup. lin. V* 23 deus est *e* 29 hinc *V a b e l p t v;* hic *α f Domb.*

enim, quos appellat περὶ ἀρχῶν, id est de principiis, hoc sensit, hoc scripsit. Ubi plus quam dici potest miror hominem in ecclesiasticis litteris tam doctum et exercitatum non adtendisse, primum quam hoc esset contrarium scripturae huius tantae auctoritatis intentioni, quae per omnia opera Dei subiungens: Et uidit Deus, quia bonum est, conpletisque omnibus inferens: Et uidit Deus omnia, quae fecit, et ecce bona ualde, nullam aliam causam faciendi mundi intellegi uoluit, nisi ut bona fierent a bono Deo. Ubi si nemo peccasset, tantummodo naturis bonis esset mundus ornatus et plenus; et quia peccatum est, non ideo cuncta sunt inpleta peccatis, cum bonorum longe maior numerus in caelestibus suae naturae ordinem seruet; nec mala uoluntas, quia naturae ordinem seruare noluit, ideo iusti Dei leges omnia bene ordinantis effugit; quoniam sicut pictura cum colore nigro loco suo posito, ita uniuersitas rerum, si quis possit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra est, quamuis per se ipsos consideratos sua deformitas turpet.

Deinde uidere debuit Origenes et quicumque ita sapiunt, si haec opinio uera esset, mundum ideo factum, ut animae pro meritis peccatorum suorum tamquam ergastula, quibus poenaliter includerentur, corpora acciperent, superiora et leuiora quae minus, inferiora uero et grauiora quae amplius peccauerunt, daemones, quibus deterius nihil est, terrena corpora, quibus inferius et grauius nihil est, potius quam homines etiam bonos habere debuisse. Nunc uero, ut intellegeremus animarum merita non qualitatibus corporum esse pensanda, aerium pessimus daemon, homo autem, et nunc licet malus longe minoris mitiorisque malitiae, et certe ante peccatum, tamen luteum corpus accepit. Quid autem stultius dici potest,

1 appellabat *b* sentit *t* 4 est *t* et huius *t* 8 faciendo mundum *p;* faciendum mundum *t* 10 naturaliş boni *V* esset bonis *b* ordinatus *V* 15 posito *V b l f;* posita *a e p t α v* 17 est *om. t* 19 ita| ista *e; sic scribendum esse suspicatur Domb.* 26 bonos *codd.;* malos *v* 30 stultitius *t*

quam isto sole, ut in uno mundo unus esset, non decori pulchritudinis uel etiam saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius euenisse, quia una anima sic peccauerat, ut tali corpore mereretur includi? ac per hoc si contigisset, ut non una, sed duae; immo non duae, sed decem uel centum similiter aequaliterque peccassent, centum soles haberet hic mundus? Quod ut non fieret, non opificis prouisione mirabili ad rerum corporalium salutem decoremque consultum est, sed contigit potius tanta unius animae progressione peccantis, ut sola corpus tale mereretur. Non plane animarum, de quibus nesciunt quid loquantur, sed eorum ipsorum, qui talia sapiunt multum longe a ueritate, [et] merito est cohercenda progressio. Haec ergo tria, quae superius commendaui, cum in unaquaque creatura requirantur, quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit, ut respondeatur 'Deus, per Verbum, quia bona est', utrum altitudine mystica nobis ipsa trinitas intimetur, hoc est Pater et Filius et Spiritus sanctus, an aliquid occurrat, quod hoc loco scripturarum id accipiendum esse prohibeat, multi sermonis est quaestio, nec omnia uno uolumine ut explicemus urgendum est.

14 p. 542, 5

1 isto sole *scripsi, cum saepe in codicibus pro ablatiuo singulari accusatiuus legatur (cf.* inlatam mortem *C 43, 8;* frontem *C 48, 21;* honorem *C 76, 10;* mercedem *C 146, 11;* perpetuam *C 155, 16;* Africam *C 160, 22;* felicitatem *C 191, 19 etc.; cf. V 516, 27. 521, 9. 10. 527, 24. 541, 2. 550, 14);* istum solem *codd. praeter p;* per istum solem *pv. Dombart* istum solem *retinet anacoluthon statuens, mallet tamen scribi* iste sol ut decore V^1 t^2 3 uenisse *t* 12 *uulgo distinguitur:* qui talia sapiunt, multum longe a ueritate [et] merito est cohercenda progressio. [et] *om. a, inclusit Domb.* 13 ergo sunt tria *p* 14 unaquaeque *V* requirantur *V;* requiruntur *rell. v* 18 an] in *l* hoc *V b e l;* in hoc *a p t a v*

CAPUT XXIIII.

De trinitate diuina, quae per omnia opera sua significationis suae sparsit indicia.

Credimus et tenemus et fideliter praedicamus, quod Pater genuerit Verbum, hoc est sapientiam, per quam facta sunt omnia, unigenitum Filium, unus unum, aeternus coaeternum, summe bonus aequaliter bonum; et quod Spiritus sanctus simul et Patris et Filii sit Spiritus et ipse consubstantialis et coaeternus ambobus; adque hoc totum et trinitas sit propter proprietatem personarum et unus Deus propter inseparabilem diuinitatem. sicut unus Omnipotens propter inseparabilem omnipotentiam; ita tamen, ut etiam cum de singulis quaeritur unusquisque eorum et Deus et omnipotens esse respondeatur; cum uero de omnibus simul, non tres di uel tres omnipotentes, sed unus Deus omnipotens; tanta ibi est in tribus inseparabilis unitas, quae sic se uoluit praedicari. Utrum autem boni Patris et boni Filii Spiritus sanctus, quia communis ambobus est, recte bonitas dici possit amborum, non audeo temerariam praecipitare sententiam; uerum tamen amborum eum dicere sanctitatem facilius ausus fuero, non amborum quasi qualitatem, sed ipsum quoque substantiam et tertiam in trinitate personam. Ad hoc enim me probabilius ducit, quod, cum sit et Pater spiritus et Filius spiritus, et Pater sanctus et Filius sanctus, proprie tamen ipse uocatur Spiritus sanctus tamquam sanctitas substantialis et consubstantialis amborum. Sed si nihil est aliud bonitas diuina quam sanctitas, profecto et intellegentia rationis est, non praesumtionis audacia, ut in operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur

2 sua opera *p* 8 constitutialis, *lineolis deletum, in marg.* c̄substantialis, *e* 10 deus sit *a* diuinitatem . . . . inseparabilem *om. l*^{1} 11 unus *om. a* 20 quasi qualit., *in marg.* quasi aequalitatē, *e* 21 ipsam *e* 22 me *om. t* 25 si *om. a b*^{1} *l*^{1} 26 aliud est *v* intellegentia, *sic scribendo locum Dombartio obscuriorem uisum emendari posse puto;* illa diligentia *codd. v*

intentio, eadem nobis insinuata intellegatur trinitas, unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit. Pater quippe intellegitur Verbi, qui dixit ut fiat; quod autem illo dicente factum est, procul dubio per Verbum factum est; in eo uero quod dicitur: Vidit Deus, quia bonum est, satis significatur Deum nulla necessitate, nulla suae cuiusquam utilitatis indigentia, sed sola bonitate fecisse quod factum est, id est, quia bonum est; quod ideo postea quam factum est dicitur, ut res, quae facta est, congruere bonitati, propter quam facta est, indicetur. Quae bonitas si Spiritus sanctus recte intellegitur, uniuersa nobis trinitas in suis operibus intimatur. Inde est ciuitatis sanctae, quae in sanctis angelis sursum est, et origo et informatio et beatitudo. Nam si quaeratur unde sit: Deus eam condidit; si unde sit sapiens: a Deo inluminatur; si unde sit felix: Deo fruitur; subsistens modificatur, contemplans inlustratur, inhaerens iucundatur; est, uidet, amat; in aeternitate Dei uiget, in ueritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.

CAPUT XXV.

De tripertita totius philosophiae disciplina.

Quantum intellegi datur, hinc philosophi sapientiae disciplinam tripertitam esse uoluerunt, immo tripertitam esse animaduertere potuerunt (neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius inuenerunt), cuius una pars appellaretur physica, altera logica, tertia ethica (quarum nomina Latina iam multorum litteris frequentata sunt, ut naturalis, rationalis moralisque uocarentur; quas etiam in octauo libro breuiter strinximus); non quo sit consequens, ut isti in his tribus ali-

27 c. 4 sqq.

1 trinitas unaquaeque trinitas unamquamq. craturam *V;* trin. unaquaque trinitas unamquamque creaturam *t* 2 per quid fec. propter quid fecerit *om. t* 3 ut *om. a v* 6 deus t^1 7 indigentiam t^1 10 nisi *V* 11 et uniuersa *e* 12 rursum *t* 17 uiget *m. rec. ex* uidet *corr. V* 25 hetica *V* 26 ration. natur. *V α* 28 strinximus *a b e p f;* instrinx. *V l α;* perstr. *v* quo *codd.;* quod *v*

quid secundum Deum de trinitate cogitauerint, quamuis Plato primus istam distributionem repperisse et commendasse dicatur, cui neque naturarum omnium auctor nisi Deus uisus est neque intellegentiae dator neque amoris, quo bene beateque uiuitur, inspirator. Sed certe cum et de natura rerum et de ratione indagandae ueritatis et de boni fine, ad quem cuncta quae agimus referre debemus, diuersi diuersa sentiant: in his tamen tribus magnis et generalibus quaestionibus omnis eorum uersatur intentio. Ita cum in unaquaque earum quid quisque sectetur multiplex discrepantia sit opinionum, esse tamen aliquam naturae causam, scientiae formam, uitae summam nemo cunctatur. Tria etiam sunt, quae in unoquoque homine artifice spectantur, ut aliquid efficiat: natura, doctrina, usus; natura ingenio, doctrina scientia, usus fructu diiudicandus est. Nec ignoro, quod proprie fructus fruentis, usus utentis sit, adque hoc interesse uideatur, quod ea re frui dicimur, quae nos non ad aliud referenda per se ipsa delectat; uti uero ea re, quam propter aliud quaerimus (unde temporalibus magis utendum est, quam fruendum, ut frui mereamur aeternis; non sicut peruersi, qui frui uolunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum inpendunt, sed Deum propter nummum colunt); uerum tamen eo loquendi modo, quem plus obtinuit consuetudo, et fructibus utimur et usibus fruimur; nam et fructus iam proprie dicuntur agrorum, quibus utique omnes temporaliter utimur. Hoc itaque more usum dixerim in his tribus, quae in homine spectanda commonui, quae sunt natura, doctrina, usus. Ex his propter obtinendam bea-

4 quolibet quo bene *V* quod bene *e* uiuatur b^1 6 indagandae *V a b e v;* inueniendae *e in marg., l p t α f* ad] at *V* ad quem *m. 2 ex* atq; *corr. l* 10 sit discrep. *v* 12 cunctetur, e *ex* a *corr., b* 13 expectantur *b t* usu *e* 16 dicimus V^1 nos *om. e* 17 ad *om.* b^1 per *sup. lin. b* ipsa *V α;* ipsam. *b l p v;* nisi per se ipsa, *in marg.* sed, *e;* nisi per se ipsam *a f* delectat, *in marg.* delectatur, *e* 19 est] scit t^1; sit t^2 20 quia V^1 24 dicantur V^1 25 usu V^1

tam uitam tripertita, ut dixi, a philosophis inuenta est disciplina, naturalis propter naturam, rationalis propter doctrinam, moralis propter usum. Si ergo natura nostra esset a nobis, profecto et nostram nos genuissemus sapientiam, nec eam doctrina, id est aliunde discendo, percipere curaremus; et noster amor a nobis profectus et ad nos relatus et ad beate uiuendum sufficeret, nec bono alio quo frueremur ullo indigeret; nunc uero quia natura nostra, ut esset, Deum habet auctorem, procul dubio ut uera sapiamus ipsum debemus habere doctorem, ipsum etiam ut beati simus suauitatis intimae largitorem.

CAPUT XXVI.

De imagine summae trinitatis, quae secundum quendam modum in natura etiam necdum beatificati hominis inuenitur.

Et nos quidem in nobis, tametsi non aequalem, immo ualde longeque distantem, neque coaeternam et, quo breuius totum dicitur, non eiusdem substantiae, cuius Deus est, tamen qua Deo nihil sit in rebus ab eo factis natura propinquius, imaginem Dei, hoc est illius summae trinitatis, agnoscimus, adhuc reformatione perficiendam, ut sit etiam similitudine proxima. Nam et sumus et nos esse nouimus et id esse ac nosse diligimus. In his autem tribus, quae dixi, nulla nos falsitas ueri similis turbat. Non enim ea sicut illa, quae foris sunt, ullo sensu corporis tangimus, uelut colores uidendo, sonos audiendo, odores olfaciendo, sapores gustando, dura et mollia contrectando sentimus, quorum sensibilium etiam imagines eis simili-

1 tripertitam *V* 4 nos *sup. lin. l* 5 doctrinam *t* 6 et ad *V p t Domb.*; et *om. a b l v* beatae *V* 7 alio bono *p t* fruemur *t* 10 ductorem l^1 14 naturam *V* 15 hominis inuenitur *om.* q^1 16 Et quidem nos *a* 18 dicitur, *in marg.* dicatur, *e* est Deus *v* V^1 *e t* 19 naturam *V* 20 summae illius *v* adhuc, *in marg.* ad hoc, *e*; ad *l t* reformationem perficiendam *e l t* 22 id *om. V a b l* 25 audiendos V^1

mas nec iam corporeas cogitatione uersamus, memoria tenemus et per ipsas in istorum desideria concitamur; sed sine ulla phantasiarum uel phantasmatum imaginatione ludificatoria mihi esse me idque nosse et amare certissimum est. Nulla in his ueris Academicorum argumenta formido dicentium: Quid si falleris? Si enim fallor, sum. Nam qui non est, utique nec falli potest: ac per hoc sum, si fallor. Quia sum ergo si fallor, quo modo esse me fallor, quando certum est me esse, si fallor? Quia igitur essem qui fallerer, etiamsi fallerer, procul dubio in eo, quod me noui esse, non fallor. Consequens est autem, ut etiam in eo, quod me noui nosse, non fallar. Sicut enim noui esse me, ita noui etiam hoc ipsum, nosse me. Eaque duo cum amo, eundem quoque amorem quiddam tertium nec inparis aestimationis eis quas noui rebus adiungo. Neque enim fallor amare me, cum in his quae amo non fallar; quamquam etsi illa falsa essent, falsa me amare uerum esset. Nam quo pacto recte reprehenderer et recte prohiberer ab amore falsorum, si me illa amare falsum esset? Cum uero et illa uera adque certa sint, quis dubitet quod eorum, cum amantur, et ipse amor uerus et certus est? Tam porro nemo est qui esse se nolit, quam nemo est qui non esse beatus uelit. Quo modo enim potest beatus esse, si nihil sit?

CAPUT XXVII.

De essentia et scientia et utriusque amore.

Ita uero ui quadam naturali ipsum esse iucundum est, ut non ob aliud et hi qui miseri sunt nolint interire et, cum se miseros esse sentiant, non se ipsos de rebus, sed miseriam

1 cogitationes uersamur *t* 4 meque id *p* 5 achadem. *V l* 6 uel sum *a* 7 si fallor *om. p t* si quia sum fallor *p;* si quia hoc sunt fallor *t;* quia ergo sum, *omisso* si fallor, *V e;* quia ergo sum si fallor *a b l v* 9 etiamsi fallerer *om. t* 10 esse] nosse *e* 11 etiam] iam *V* fallor *V b*^{1} 12 me esse *v* 15 non fallor *t*^{1} 16 ꝑ̃ essent *V* 18 et illa *codd. v;* ad illa *l;* et *om. Domb.* 20 nemo . . . . . quam *om. V*^{1} 21 beatus esse *v* 25 ui] ut *t*

suam potius auferri uelint. Illis etiam, qui et sibi miserrimi apparent et plane sunt et non solum a sapientibus, quoniam stulti, uerum et ab his, qui se beatos putant, miseri iudicantur, quia pauperes adque mendici sunt, si quis inmortalitatem daret, qua nec ipsa miseria moreretur, proposito sibi quod, si in eadem miseria semper esse nollent, nulli et nusquam essent futuri, sed omni modo perituri, profecto exultarent laetitia et sic semper eligerent esse quam omnino non esse. Huius rei testis est notissimus sensus illorum. Unde enim mori metuunt et malunt in illa aerumna uiuere, quam eam morte finire, nisi quia satis apparet quam refugiat natura non esse? Adque ideo cum se nouerint esse morituros, pro magno beneficio sibi hanc inpendi misericordiam desiderant, ut aliquanto productius in eadem miseria uiuant tardiusque moriantur. Procul dubio ergo indicant, inmortalitatem, saltem talem quae non habeat finem mendicitatis, quanta gratulatione susciperent. Quid? animalia omnia etiam inrationalia, quibus datum non est ista cogitare, ab inmensis draconibus usque ad exiguos uermiculos nonne se esse uelle adque ob hoc interitum fugere omnibus quibus possunt motibus indicant? Quid? arbusta omnesque frutices, quibus nullus est sensus ad uitandam manifesta motione perniciem, nonne ut in auras tutum cacuminis germen emittant, aliud terrae radicis adfigunt, quo alimentum trahant adque ita suum quodam modo esse conseruent? Ipsa postremo corpora, quibus non solum sensus, sed nec ulla saltem seminalis est uita, ita tamen uel exiliunt in superna uel in ima descendunt uel librantur in mediis, ut essentiam suam, ubi secundum naturam possunt esse, custodiant.

Iam uero nosse quantum ametur quamque falli nolit humana

7 esse *V* 8 non *om. e*¹ 9 eorum *t* 11 morte *t* 13 misericordia *t* 16 habeant *V* 17 inrationalia *Vv;* inrationabilia *a b e l p t α* $_{\cdot}^{=}$ 21 fructifices *p* 22 cacuminis V^2, *b in marg., e l α;* caminis V^1*;* culminis *a b p t* 23 aliud *V b e l p t α f;* altius *a v* radicis *V b e t α:* radices *a l p* $_{\cdot}^{=}$ *v* 24 ista, *in marg.* ita, *e* 27 an ima *V* 28 custodiunt V^1

natura, uel hinc intellegi potest, quod lamentari quisque sana mente mauult quam laetari in amentia. Quae uis magna adque mirabilis mortalibus praeter homini animantibus nulla est, licet eorum quibusdam ad istam lucem contuendam multo quam nobis sit acrior sensus oculorum; sed lucem illam incorpoream contingere nequeunt, qua mens nostra quodam modo radiatur, ut de his omnibus recte iudicare possimus. Nam in quantum eam capimus, in tantum id possumus. Verum tamen inest in sensibus inrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, at certe quaedam scientiae similitudo; cetera autem rerum corporalium, non quia sentiunt, sed quia sentiuntur, sensibilia nuncupata sunt. Quorum in arbustis hoc simile est sensibus, quod aluntur et gignunt. Verum tamen et haec et omnia corporalia latentes in natura causas habent; sed formas suas, quibus mundi huius uisibilis structura formosa est, sentiendas sensibus praebent, ut pro eo, quod nosse non possunt, quasi innotescere uelle uideantur. Sed nos ea sensu corporis ita capimus, ut de his non sensu corporis iudicemus. Habemus enim alium interioris hominis sensum isto longe praestantiorem, quo iusta et iniusta sentimus, iusta per intellegibilem speciem, iniusta per eius priuationem. Ad huius sensus officium non acies pupulae, non foramen auriculae, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus tactus accedit. Ibi me et esse et hoc nosse certus sum, et haec amo adque amare me similiter certus sum.

6 nequeunt *V* quia *V* 7 radiatur *V a b e l p t α;* irradiatur *v* 8 id] et *t α;* ad id *V; om. p* 9 in *om. e v* inrationabilium *t* 10 at] ad *V l*^{1}*;* ac *t*^{1}*;* hac *t*^{2} scientia *V*^{1} 12 sentiantur *V*^{1} 14 et *ante* omnia *om. V* 16 pro *sup. lin. V* 18 capimur *t* 19 aliud *e* 21 iniusta] intellegibilem *l* 22 pupulae *V α*^{1}*;* populae *t;* pupillae *rell. v* 23 spiramen *e;* inspiramenta *t* gustos *t* facium *V*^{1} 24 nullus *e*^{1} *t* 25 nosse] non esse *t* 26 sum] suum *m. rec. rescriptum V*

CAPUT XXVIII.

An etiam ipsum amorem, quo et esse et scire diligimus, diligere debeamus, quo magis diuinae trinitatis imagini propinquemus.

Sed de duobus illis, essentia scilicet et notitia, quantum amentur in nobis, et quem ad modum etiam in ceteris rebus, quae infra sunt, eorum reperiatur, etsi differens, quaedam tamen similitudo, quantum suscepti huius operis ratio uisa est postulare, satis diximus; de amore autem, quo amantur, utrum et ipse amor ametur, non dictum est. Amatur autem; et hinc probamus, quod in hominibus, qui rectius amantur, ipse magis amatur. Neque enim uir bonus merito dicitur qui scit quod bonum est, sed qui diligit. Quur ergo et in nobis ipsis non et ipsum amorem nos amare sentimus, quo amamus quidquid boni amamus? Est enim et amor, quo amatur et quod amandum non est, et istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur quod amandum est. Possunt enim ambo esse in uno homine, et hoc bonum est homini, ut illo proficiente quo bene uiuimus, iste deficiat quo male uiuimus, donec ad perfectum sanetur et in bonum commutetur omne quod uiuimus. Si enim pecora essemus, carnalem uitam et quod secundum sensum eius est amaremus idque esset sufficiens bonum nostrum et secundum hoc, cum esset nobis bene, nihil aliud quaereremus. Item si arbores essemus, nihil quidem sentiente motu amare possemus, uerum tamen id quasi adpetere uideremur, quo feracius essemus uberiusque fructuosae. Si essemus lapides aut fluctus aut uentus aut flamma uel quid huius modi, sine ullo quidem sensu adque uita, non tamen nobis deesset quasi quidam nostrorum locorum adque ordinis adpetitus. Nam uelut amores corporum momenta sunt ponderum, siue deorsum grauitate siue sursum

4 propinquamus *p q v* 9 cū, *in marg.* quo, *e* 14 amamuis *V* 15 et *ante* amor *om. t* 17 quoḍ id *V* 22 sensus *α* 26 ueracius *t* 28 huius modi *V;* ciusmodi *rell. v*

leuitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocumque fertur. Quoniam igitur homines sumus ad nostri creatoris imaginem creati, cuius est uera aeternitas, aeterna ueritas, aeterna et uera caritas, estque ipse aeterna et uera et cara trinitas neque confusa neque separata: in his quidem rebus, quae infra nos sunt, quoniam et ipsa nec aliquo modo essent nec aliqua specie continerentur nec aliquem ordinem uel adpeterent uel tenerent, nisi ab illo facta essent, qui summe est, qui summe sapiens est, qui summe bonus est, tamquam per omnia, quae fecit mirabili stabilitate, currentes quasi quaedam eius alibi magis, alibi minus inpressa uestigia colligamus; in nobis autem ipsis eius imaginem contuentes tamquam minor ille euangelicus filius ad nosmet ipsos reuersi surgamus et ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi esse nostrum non habebit mortem, ibi nosse nostrum non habebit errorem, ibi amare nostrum non habebit offensionem. Nunc autem tria ista nostra quamuis certa teneamus nec aliis ea credamus testibus, sed nos ipsi praesentia sentiamus adque interiore ueracissimo cernamus aspectu, tamen, quamdiu futura uel utrum numquam defutura et quo si male, quo autem si bene agantur peruentura sint, quoniam per nos ipsos nosse non possumus, alios hinc testes uel quaerimus uel habemus; de quorum fide quur nulla debeat esse dubitatio, non est iste, sed posterior erit diligentius disserendi locus. In hoc autem libro de ciuitate Dei, quae non peregrinatur in huius uitae mortalitate, sed inmortalis semper in caelis est, id est de angelis sanctis Deo cohaerentibus, qui nec fuerunt umquam

12 Lc. 15, 18

4 uera caritas *superscripto* trinitas *b* estque] ///que, est (?) *eraso*, *b* ipse *V e l p t α;* ipsa *a b v* 5 his] eis *v* 6 nos] ñ (= non) *e* nec ipsa *α f*[1] 10 currentis *V t* 11 magis *m. 2 in* maius *corr. V* 14 et *V a b e l p t;* ut *f v* eamus *V b*[1] *e* 15. 16 ibi *in* ubi *corr. b* 15 nosse] esse *t* 17 ista tria *v* 19 tamquam diu *e* 20 futura *p*[1] *t*[2] quos si *t* si male] simile *e* si bene.. si male *v* 25 non] nunc *l t* peregrinantur *e* 26 immortalitate *V* 27 fuerant *V*

nec futuri sunt desertores, inter quos et illos, qui aeternam lucem deserentes tenebrae facti sunt, Deum primitus diuisisse iam diximus, illo adiuuante quod coepimus ut possumus explicemus.

CAPUT XXVIIII.

De sanctorum angelorum scientia, qua trinitatem in ipsa eius deitate nouerunt et qua operum causas prius in operantis arte quam in ipsis operibus artificis intuentur.

Illi quippe angeli sancti non per uerba sonantia Deum discunt, sed per ipsam praesentiam inmutabilis ueritatis, hoc est Verbum eius unigenitum, et ipsum Verbum et Patrem et eorum Spiritum sanctum, eamque esse inseparabilem trinitatem singulasque in ea personas esse substantiam, et tamen omnes non tres deos esse, sed unum Deum, ita nouerunt, ut eis magis ista, quam nos ipsi nobis cogniti simus. Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tamquam in arte, qua facta est, quam in ea ipsa sciunt; ac per hoc et se ipsos ibi melius quam in se ipsis, uerum tamen et in se ipsis. Facti sunt enim et aliud sunt quam ille qui fecit. Ibi ergo tamquam in diurna cognitione, in se ipsis autem tamquam in uespertina, sicut iam supra diximus. Multum enim differt, utrum in ea ratione cognoscatur aliquid, secundum quam factum est, an in se ipso; sicut aliter scitur rectitudo linearum seu ueritas figurarum, cum intellecta conspicitur, aliter cum in puluere scribitur; et aliter iustitia in ueritate

22 c. 7

1 futuri erunt *t* qui] quia *t* 3 explicemus ut possumus *t* 7 et *om. p* 14 eas *t* esse substantiam *V l p t α;* unam esse substantiam *a b e;* esse unam subst. *v* 15 esse deos *e* 16 simus *V b² e l p t;* sumus *a b¹ v* 18 sciant V^1 20 qui *om. e* 21 in *om.* t^1 cognitionem *t* in cogn. diur. *v* autem *sup. lin. V* 22 in uespertinam *t* supra iam *v* 24 quam] quod *t* ipsos *V* alitur V^1

incommutabili, aliter in anima iusti. Sic deinde cetera, sicut firmamentum inter aquas superiores et inferiores, quod caelum uocatum est; sicut deorsum aquarum congeries terraeque nudatio et herbarum institutio adque lignorum; sicut solis ac lunae stellarumque conditio; sicut ex aquis animalium, uolucrum scilicet adque piscium beluarumque natantium; sicut quorumque in terra gradientium adque repentium et ipsius hominis, qui cunctis in terra rebus excelleret. Omnia haec aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in se ipsis; illa clariore, hac obscuriore cognitione, uelut artis adque operum; quae tamen opera cum ad ipsius Creatoris laudem uenerationemque referuntur, tamquam mane lucescit in mentibus contemplantium.

CAPUT XXX.

De senarii numeri perfectione, qui primus partium suarum quantitate conpletur.

Haec autem propter senarii numeri perfectionem eodem die sexiens repetito sex diebus perfecta narrantur, non quia Deo fuerit necessaria mora temporum, quasi qui non potuerit creare omnia simul, quae deinceps congruis motibus peragerent tempora; sed quia per senarium numerum est operum significata perfectio. Numerus quippe senarius primus conpletur suis partibus, id est sexta sui parte et tertia et dimidia, quae sunt unum et duo et tria, quae in summam ducta sex fiunt. Partes autem in hac consideratione numerorum illae intelle-

1 incommutabiliąliter *V* 4 ac] et *v* 6 quorumque *codd.;* quorumcumque *v* 7 grad. in terra *p t* 11 illa—hac (hęc *b p*) *codd.;* illic—hic *v* clariora *t* 13 tamquam mane] cum qua mani t^1 16 primus *om. p q* 19 sexiens] septies *p* VI diebus, *in marg.* sexti diei, *e* 20 necess. fuerit *v* potuerit] fuerit *t* creari *t* 21 simulque congruis, *omisso* deinceps, *V* pergerent *V* p tempora, *in marg.* agerent, *p* 23 contempletur *t* 25 unum duo et *p* summum *V;* summa *p t*

gendae sunt, quae quotae sint dici potest; sicut dimidia, tertia, quarta et deinceps ab aliquo numero denominatae. Neque enim exempli gratia quia in nouenario numero quattuor pars aliqua eius est, ideo dici potest quota eius sit; unum autem potest, nam nona eius est; et tria potest, nam tertia eius est. Coniunctae uero istae duae partes eius, nona scilicet adque tertia, id est unum et tria, longe sunt a tota summa eius, quod est nouem. Itemque in denario quaeternarius est aliqua pars eius; sed quota sit dici non potest; unum autem potest; nam decima pars eius est. Habet et quintam, quod sunt duo; habet et dimidiam, quod sunt quinque. Sed hae tres partes eius, decima et quinta et dimidia, id est unum et duo et quinque, simul ductae non conplent decem; sunt enim octo. Duodenarii uero numeri partes in summam ductae transeunt eum; habet enim duodecimam, quod est unum; habet sextam, quae sunt duo; habet quartam, quae sunt tria; habet tertiam, quae sunt quattuor; habet et dimidiam, quae sunt sex; unum autem et duo et tria et quattuor et sex non duodecim, sed amplius, id est sedecim, fiunt. Hoc breuiter commemorandum putaui ad commendandam senarii numeri perfectionem, qui primus, ut dixi, partibus suis in summam redactis ipse perficitur; in quo perfecit Deus opera sua. Unde ratio numeri contemnenda non est, quae in multis sanctarum scripturarum locis quam magni aestimanda sit elucet diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura et numero et pondere deposuisti.

25 Sap. 11, 21

2 et *om. e* denominata *t* 3 est eius aliqua *t* 8 item *omisso* que *a* denario numero *e* 10 quintam que sunt *p* 11 quae sunt *p* sed de tres, de tres *m. 2 in loco uacuo, t* sed de tribus partibus *p* 13 deducte *p t* et octo *t* 14 partes numeri *v* ducti *p* 15 que est *p* 16 duo habet *usque ad* quae sunt *initio l. 17 om. V*[1] 17 quattuor *ex* quartam *corr. V* et *om. e l t* dimidiam *om. e* 18 tria] tertiae *t* 19 faciunt *a* 20 senari *V* perfectiones *t*[1] 21 prius *e* 22 perficit *V l*[1] *p t* 24 locus *V;* lucis *t* extimanda *l;* existimanda *p t*

CAPUT XXXI.

De die septimo, in quo plenitudo et requies commendatur.

In septimo autem die, id est eodem die septiens repetito, qui numerus etiam ipse alia ratione perfectus est, Dei requies commendatur, in qua primum sanctificatio sonat. Ita Deus noluit istum diem in ullis suis operibus sanctificare, sed in requie sua, quae non habet uesperam; neque enim ulla creatura est, ut etiam ipse aliter in Dei Verbo, aliter in se cognita faciat aliam uelut diurnam, aliam uelut uespertinam notitiam. De septenarii porro numeri perfectione dici quidem plura possunt; sed et liber iste iam prolixus est, et uereor ne occasione conperta scientiolam nostram leuiter magis quam utiliter iactare uelle uideamur. Habenda est itaque ratio moderationis adque grauitatis, ne forte, cum de numero multum loquimur, mensuram et pondus neglegere iudicemur. Hoc itaque satis sit admonere, quod totus inpar primus numerus ternarius est, totus par quaternarius; ex quibus duobus septenarius constat. Ideo pro uniuerso saepe ponitur, sicuti est: Septiens cadet iustus, et resurget; id est: Quotienscumque ceciderit, non peribit; quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intellegi uoluit; et: Septiens in die laudabo te; quod alibi alio modo dictum est: Semper laus eius in ore meo; et multa huius modi in diuinis auctoritatibus reperiuntur, in quibus septenarius numerus, ut dixi, pro cuiusque rei uniuersitate poni solet. Propter hoc eodem saepe numero significatur Spiritus sanctus, de quo Dominus ait: Docebit uos omnem ueritatem. Ibi requies

20 Prou. 24, 16 23 Ps. 118, 164 24 Ps. 33, 2 28 Io. 16, 13

2 in *om.* *q* 4 septima *e* 6 primus *t* 10 cognitas *t* aliud.. aliud *p;* aliud..aliā *t* uelut *om.* t^1 11 porro] uero *a* 12 iste iam *ex* is etiam *corr.* *V* 15 dum *a* 17 satis *sup. lin.* *V* primus *om.* *V* 18 totius *e* 19 saepe] se *t* sicut *V* 20 cadit *V e* 21 ceciderit *om.* *e* 26 ut *sup. lin.* *V*

Dei, qua requiescitur in Deo. In toto quippe, id est in plena perfectione, requies; in parte autem labor. Ideo laboramus, quamdiu ex parte scimus, sed cum uenerit quod perfectum est, quod ex parte est euacuabitur. Hinc est quod etiam scripturas istas cum labore rimamur. Sancti uero angeli quorum societati et congregationi in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi aeternitatem, ita cognoscendi facilitatem et requiescendi felicitatem. Sine difficultate quippe nos adiuuant, quoniam spiritalibus motibus puris et liberis non laborant.

CAPUT XXXII.

De opinione eorum, qui angelorum creationem anteriorem uolunt esse quam mundi.

Ne quis autem contendat et dicat non sanctos angelos esse significatos in eo quod scriptum est: Fiat lux, et facta est lux, sed quamlibet lucem tunc primum factam esse corpoream aut opinetur aut doceat; angelos autem prius esse factos non tantum ante firmamentum, quod inter aquas et aquas factum appellatum est caelum, sed ante illud de quo dictum est: In principio fecit Deus caelum et terram; adque illud, quod dictum est: In principio, non ita dictum tamquam primum hoc factum sit, cum ante fecerit angelos, sed quia omnia in sapientia fecit, quod est Verbum eius et ipsum scriptura principium nominauit (sicut ipse in euangelio Iudaeis quaerentibus quis esset respondit se esse principium): non e contrario referam contentionem, maxime quia hoc me delectat plurimum, quod etiam in summo exordio sancti libri geneseos trinitas commendatur. Cum enim ita

3 1. Cor. 13, 9 sq. 24 Io. 8, 25

3 inuenerit *t* 5 *sq. ut editur codd.;* ad quorum societatem et congregationem *v* 6 laboriosissime *p;* laboriosissimus *t* 9 spiritualibus *v* 10 puris] patris *t* 16 primum *om. t;* primam *e* 19 illum *t* de quo *V a b l p t α;* quod *e v* 22 sit] est *e* 23 est *om. t* 25 qui V^1 26 e] et *e; om.* l^1

dicitur: In principio fecit Deus caelum et terram, ut Pater fecisse intellegatur in Filio, sicut adtestatur psalmus, ubi legitur: Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti: conuenientissime paulo post commemoratur etiam Spiritus sanctus. Cum enim dictum esset, qualem terram Deus primitus fecerit, uel quam molem materiamue futurae constructionis mundi caeli et terrae nomine nuncupauerit subiciendo et addendo: Terra autem erat inuisibilis et inconposita et tenebrae erant super abyssum: mox ut trinitatis commemoratio conpleretur: Et spiritus, inquit, dei superferebatur super aquam. Proinde ut uolet quisque accipiat, quod ita profundum est, ut ad exercitationem legentium a fidei regula non abhorrentes plures possit generare sententias, dum tamen angelos sanctos in sublimibus sedibus non quidem Deo coaeternos, sed tamen de sua sempiterna et uera felicitate securos et certos esse nemo ambigat. Ad quorum societatem pertinere paruulos suos Dominus docens non solum illud ait: Erunt aequales angelis Dei; uerum ipsi quoque angeli qua contemplatione fruantur ostendit, ubi ait: Videte, ne contemnatis unum ex pusillis istis; dico enim uobis, quia angeli eorum in caelis semper uident faciem Patris mei, qui in caelis est.

3 Ps. 103, 24 18 Mt. 22, 30 20 ib. 18, 10

1 ut] et *l* 5 etiam *om. e* 8 adtendendo *t* 11 ferebatur *l p t α* aquam *V e v;* aquas *a b l p t α* proin[de *usque ad* profundum est *om. e* 13 fide *t* abhorrentes *V;* aberrantes *a e v;* oberrantes *l p;* obseruantes *t* 15 ęternos *l* 17 docens dom. *e* 18 illud *om. l p t α* angeli *l*[1] 20 ex] de *b* 21 enim] autem *e p t α* in caelis *om. α* 22 est in cael. *b*

CAPUT XXXIII.

De duabus angelorum societatibus diuersis adque disparibus, quae non incongrue intelleguntur lucis et tenebrarum nominibus nuncupatae.

Peccasse autem quosdam angelos et in huius mundi ima detrusos, qui eis uelut carcer est, usque ad futuram in die iudicii ultimam damnationem apostolus Petrus apertissime ostendit dicens, quod Deus angelis peccantibus non pepercerit, sed carceribus caliginis inferi retrudens tradiderit in iudicio puniendos reseruari. Inter hos ergo et illos Deum uel praescientia uel opere diuisisse quis dubitet? illosque lucem merito appellari quis contradicat? quando quidem nos adhuc in fide uiuentes eorum aequalitatem adhuc sperantes, utique nondum tenentes, iam lux dicti ab apostolo sumus: Fuistis enim, inquit, aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino. Istos uero desertores tenebras aptissime nuncupari profecto aduertunt, qui peiores esse hominibus infidelibus siue intellegunt siue credunt. Quapropter, etsi alia lux in isto huius libri loco intellegenda est, ubi legimus: Dixit Deus: Fiat lux, et facta est lux, et aliae tenebrae significatae sunt in eo quod scriptum est: Diuisit Deus inter lucem et tenebras: nos tamen has duas angelicas societates, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho; unam cui dicitur: Adorate eum omnes angeli eius, aliam cuius princeps dicit: Haec omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me; unam Dei sancto amore flagrantem, alteram propriae celsitudinis inmundo amore fumantem; et quoniam, sicut scriptum

8 2. Petr. 2, 4 14 Ephes. 5, 8 23 Ps. 96, 7 25 Mt. 4, 9

4 nuncupatae *om. V* 8 pepercit *t* 9 caligines *V;* caliginosis *e* 11 quis] quibus *t* 13 itaque, *in marg.* utiq;, *e* 15 inquit *om. t* autem *om. e* 16 aptissime *V l p t α;* apertissime *a b e v* 17 intellegant *V* 18 credant, a *eraso ut uidetur* e, *V* 19 Deus *om. V* 20 et facta est lux *om. V b*[1] 23 t.mentem *V* thypho *e*[1]*;* tipo, *in marg.* ſupbie typo, *l* 25 procidens *b* 26 fraglantem *V t* proprio *t*

est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, illam in caelis caelorum habitantem, istam inde deiectam in hoc infimo aerio caelo tumultuantem; illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam; illam Dei nutu clementer subuenientem, iuste ulciscentem, istam suo fastu subdendi et nocendi libidine exaestuantem; illam, ut quantum uult consulat, Dei bonitati ministram, istam, ne quantum uult noceat, Dei potestate frenatam; illam huic inludentem ut nolens prosit persecutionibus suis, hanc illi inuidentem, cum peregrinos colligit suos, — nos ergo has duas societates angelicas inter se dispares adque contrarias, unam et natura bonam et uoluntate rectam, aliam uero natura bonam, sed uoluntate peruersam, aliis manifestioribus diuinarum scripturarum testimoniis declaratas, quod etiam in hoc libro, cui nomen est genesis, lucis tenebrarumque uocabulis significatas existimauimus, etiamsi aliud hoc loco sensit forte qui scripsit, non est inutiliter obscuritas huius pertractata sententiae, quia, etsi uoluntatem auctoris libri huius indagare nequiuimus, a regula tamen fidei, quae per alias eiusdem auctoritatis sacras litteras satis fidelibus nota est, non abhorruimus. Etsi enim corporalia hic commemorata sunt opera Dei, habent procul dubio nonnullam similitudinem spiritalium, secundum quam dicit apostolus: Omnes enim uos filii lucis estis et filii diei, non sumus noctis neque tenebrarum. Si autem hoc sensit etiam ille qui scripsit, ad perfectiorem disputationis finem nostra peruenit intentio, ut homo Dei tam eximiae diuinaeque sapientiae, immo per eum Spiritus Dei in commemorandis operibus Dei, quae omnia

1 Iac. 4, 6 1. Petr. 5, 5 23 1. Thess. 5, 5

3 aeri *t* illa *t* 6 pastu *l* 9 persecutoribus *V* 12 bona *V* 13 uoluntatem *t* 16 existimamus *a* etsi *ap* sensit hoc loco *v* 17 pertracta *t;* pertractandae b^1 18 indagare] indicare *e;* inuenire *l* 19 quae *om. p* 20 nota est] notas *p* 21 abhorruimus *V a b e p t;* oberrauimus *l;* aberrauimus *v* 22 spiritualium *v* 24 dei, *in marg.* diei, *e*

sexto die dixit esse perfecta, nullo modo angelos praetermisisse credatur siue in principio, quia primo fecit, siue quod conuenientius intellegitur, in principio, quia in Verbo unigenito fecit, scriptum sit: In principio fecit Deus caelum et terram; quibus nominibus uniuersalis est significata creatura, uel spiritalis et corporalis, quod est credibilius, uel magnae duae mundi partes, quibus omnia quae creata sunt continentur, ut primitus eam totam proponeret ac deinde partes eius secundum mysticum dierum numerum exsequeretur.

CAPUT XXXIIII.

De eo quod quidam putant in conditione firmamenti aquarum discretarum nomine angelos significatos, et quod quidam aquas existimant non creatas.

Quamquam nonnulli putauerint aquarum nomine significatos quodam modo populos angelorum et hoc esse quod dictum est: Fiat firmamentum inter aquam et aquam, ut supra firmamentum angeli intellegantur, infra uero uel aquae istae uisibiles uel malorum angelorum multitudo uel omnium hominum gentes. Quod si ita est, non illic apparet ubi facti sint angeli, sed ubi discreti; quamuis et aquas, quod peruersissimae adque inpiae uanitatis est, negent quidam factas a Deo, quoniam nusquam scriptum est: Dixit Deus: Fiant aquae. Quod possunt simili uanitate etiam de terra dicere; nusquam enim legitur: Dixit Deus: Fiat terra. Sed, inquiunt, scriptum est: In principio fecit Deus caelum et terram. Illic ergo et aqua intellegenda est; uno enim nomine utrumque conprehensum est. Nam ipsius est mare, sicut in psalmo legitur, et ipse fecit illud, et aridam terram manus eius finxerunt.

27 Ps. 94, 5

6 spiritualis *v* 9 exequetur *t* 13 quo *V* exist. aquas *p* aestimant *V* 14 putauerint *V b e l p t v;* putauerunt *a α f* 16 ut] et *V t* super *t* 19 sint *V a e t α;* sunt *b l p f v* 21 impiissime *l* quidem *e t* 22 numquam *l* 27 et ipse fecit illud sicut in psalmo legitur *l*

Sed hi, qui in nomine aquarum, quae super caelos sunt, angelos intellegi uolunt, ponderibus elementorum mouentur et ideo non putant aquarum fluuidam grauemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui; qui secundum rationes suas, si ipsi hominem facere possent, non ei pituitam, quod Graece φλέγμα dicitur et tamquam in elementis corporis nostri aquarum uicem obtinet, in capite ponerent. Ibi enim sedes est phlegmatis, secundum Dei opus utique aptissime, secundum istorum autem coniecturam tam absurde, ut, si hoc nesciremus et in hoc libro similiter scriptum esset, quod Deus umorem fluuidum et frigidum ac per hoc grauem in superiore omnibus ceteris humani corporis parte posuerit, isti trutinatores elementorum nequaquam crederent, et si auctoritati eiusdem scripturae subditi essent, aliquid aliud ex hoc intellegendum esse censerent. Sed quoniam, si diligenter singula scrutemur adque tractemus, quae in illo diuino libro de constitutione mundi scripta sunt, et multa dicenda et a proposito instituti operis longe digrediendum est, iamque de duabus istis diuersis inter se adque contrariis societatibus angelorum, in quibus sunt quaedam exordia duarum etiam in rebus humanis ciuitatum, de quibus deinceps dicere institui, quantum satis esse uisum est, disputauimus: hunc quoque librum aliquando claudamus.

1 quae *om. e* 2 angelus *t;* angeli *e* uoluit t^1 3 putant] potuit t^1 fluuidam *V a e t α;* fl̥uidam *l;* fluidam *b p v* 7 uice *V* 9 tamquam *l* 10 nescierimus *e* 11 fluuidum *V a e* l^1 *t;* fluidum *b* l^2 *p* superiorem *t* 15 inscrutemur *V* AUGUSTINI EPISCOPI CATHOLICI | DE CIUITATE DĪ | CONTRA PAGANOS | LIBER. XI. EXPLICIT INCIPIT LIB. XII. | FELICITER. *V*

LIBER XII.

CAPUT I.

De una bonorum angelorum malorumque natura.

Antequam de institutione hominis dicam, ubi duarum ciuitatum, quantum ad rationalium mortalium genus adtinet, apparebit exortus, sicut superiore libro apparuisse in angelis iam uidetur: prius mihi quaedam de ipsis angelis uideo esse dicenda, quibus demonstretur, quantum a nobis potest, quam non inconueniens neque incongrua dicatur esse hominibus angelisque societas, ut non quattuor (duae scilicet angelorum totidemque hominum), sed duae potius ciuitates, hoc est societates, merito esse dicantur, una in bonis, altera in malis non solum angelis, uerum etiam hominibus constitutae.

Angelorum bonorum et malorum inter se contrarios adpetitus non naturis principiisque diuersis, cum Deus omnium substantiarum bonus auctor et conditor utrosque creauerit, sed uoluntatibus et cupiditatibus extitisse dubitare fas non est, dum alii constanter in communi omnibus bono, quod ipse illis Deus est, adque in eius aeternitate ueritate caritate persistunt; alii sua potestate potius delectati, uelut bonum suum sibi ipsi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt et habentes elationis fastum pro excelsissima aeternitate, uanitatis astutiam pro certissima ueritate, studia partium pro indiuidua caritate superbi fallaces inuidi effecti sunt. Beatitudinis igitur illorum causa est adhaerere Deo; quocirca istorum miseriae causa ex contrario est intellegenda, quod est non adhaerere Deo. Quam ob rem si, cum quaeritur, quare illi beati sint, recte respondetur: Quia Deo adhaerent; et cum quaeritur, quur isti sint miseri, recte

3 malorumque angelorum *v*; malorumque *om. p* 5 attineat *t* 6 in libro superiore *a* 9 dicitur *e* 10 societas ut] societa sunt *t* 12 bonis] nobis *e* 14 contrarius *V* 19 et caritate *e* 22 fastu *t* 27 si *om. a* 28 adhaerent Deo *v* 29 sunt V^1

respondetur: Quia non adhaerent Deo: non est creaturae rationalis uel intellectualis bonum, quo beata sit, nisi Deus. Ita quamuis non omnis beata possit esse creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur aut capiunt ferae ligna saxa et si quid huius modi est), ea tamen, quae potest, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est, sed ex illo, a quo creata est. Hoc enim adepto beata, quo amisso misera est. Ille uero qui non alio, sed se ipso bono beatus est, ideo miser non potest esse, quia non se potest amittere.

Dicimus itaque incommutabile bonum non esse nisi unum uerum beatum Deum; ea uero, quae fecit, bona quidem esse, quod ab illo, uerum tamen mutabilia, quod non de illo, sed de nihilo facta sunt. Quamquam ergo summa non sint, quibus est Deus maius bonum: magna sunt tamen ea mutabilia bona, quae adhaerere possunt, ut beata sint, inmutabili bono, quod usque adeo bonum eorum est, ut sine illo misera esse necesse sit. Nec ideo cetera in hac creaturae uniuersitate meliora sunt, quia misera esse non possunt; neque enim cetera membra corporis nostri ideo dicendum est oculis esse meliora, quia caeca esse non possunt. Sicut autem melior est natura sentiens et cum dolet quam lapis qui dolere nullo modo potest: ita rationalis natura praestantior etiam misera, quam illa quae rationis uel sensus est expers, et ideo in eam non cadit miseria. Quod cum ita sit, huic naturae, quae in tanta excellentia creata est, ut, licet sit ipsa mutabilis, inhaerendo tamen incommutabili bono, id est summo Deo, beatitudinem consequatur, nec expleat indigentiam suam nisi utique beata sit, eique explendae non sufficiat nisi Deus, profecto non illi adhaerere uitium est. Omne autem uitium naturae nocet ac per hoc contra naturam est. Ab illa igitur, quae adhaeret

4 ferra t^1; ferro t^2 5 eiusmodi *v* 6 eę illo *V* 7 enim *om. b* 8 se *om. b* ideo ipse miser *a b v* 9 se non *t* 10 incommutabile *V b v*; immutabile *a e l p t* 16 ullo V^1 essent *t* 19 est] esset *t* 21 nullo modo dolere *b* 22 natura] creatura *a* praestantior est *v* 23 in ea *V* 25 ipsa sit *v* 30 illo *t*

Deo, non natura differt ista, sed uitio; quo tamen etiam uitio ualde magna multumque laudabilis ostenditur ipsa natura. Cuius enim recte uituperatur uitium, procul dubio natura laudatur. Nam recta uitii uituperatio est, quod illo dehonestatur natura laudabilis. Sicut ergo, cum uitium oculorum dicitur caecitas, id ostenditur, quod ad naturam oculorum pertinet uisus; et cum uitium aurium dicitur surditas, ad earum naturam pertinere demonstratur auditus: ita, cum uitium creaturae angelicae dicitur, quo non adhaeret Deo, hinc apertissime declaratur, eius naturae ut Deo adhaereat conuenire. Quam porro magna sit laus adhaerere Deo, ut ei uiuat, inde sapiat, illo gaudeat tantoque bono sine morte sine errore sine molestia perfruatur, quis digne cogitare possit aut eloqui? Quapropter etiam uitio malorum angelorum, quo non adhaerent Deo, quoniam omne uitium naturae nocet, satis manifestatur Deum tam bonam eorum creasse naturam, cui noxium sit non esse cum Deo.

CAPUT II.

Nullam essentiam Deo esse contrariam, quia ab eo, qui summe et semper est, hoc in totum uidetur diuersum esse quod non est.

Haec dicta sint, nec quisquam, cum de angelis apostaticis loquimur, existimet eos aliam uelut ex alio principio habere potuisse naturam, nec eorum naturae auctorem Deum. Cuius erroris inpietate tanto quisque carebit expeditius et facilius, quanto perspicacius intellegere potuerit, quod per angelum Deus dixit, quando Moysen mittebat ad filios Israel: Ego sum, qui sum. Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summe sit,

27 Exod. 3, 14

4 uitii *om. l* 5 uitiorum *t* 8 demonstratur] uidetur *l* 9 dicitur angelicę *a* quod *a b t v* haeret *t* 11 uiuant *e* 13 cogitare digne *v* 14 adhaerent Deo] adhaerendo t^1 19 esse deo *p* 20 summe est et *v* in totum *V* q^2; in *om. p* q^1 *v Domb.* 22 sunt *p f* apostatis *l* 26 dixit Deus *v* 27 israhel *V*

et ideo inmutabilis sit: rebus, quas ex nihilo creauit, esse dedit, sed non summe esse, sicut est ipse; et aliis dedit esse amplius, aliis minus, adque ita naturas essentiarum gradibus ordinauit (sicut enim ab eo, quod est sapere, uocatur sapientia, sic ab eo, quod est esse, uocatur essentia, nouo quidem nomine, quo usi ueteres non sunt Latini sermonis auctores, sed iam nostris temporibus usitato, ne deesset etiam linguae nostrae, quod Graeci appellant οὐσίαν; hoc enim uerbum e uerbo expressum est, ut diceretur essentia); ac per hoc ei naturae, quae summe est, qua faciente sunt quaecumque sunt, contraria natura non est, nisi quae non est. Ei quippe, quod est, non esse contrarium est. Et propterea Deo, id est summae essentiae et auctori omnium qualiumcumque essentiarum, essentia nulla contraria est.

CAPUT III.

De inimicis Dei non per naturam, sed per contrariam uoluntatem, quae cum ipsis nocet, bonae utique naturae nocet, quia uitium, si non nocet, non est.

Dicuntur autem in scripturis inimici Dei, qui non natura, sed uitiis aduersantur eius imperio, nihil ei ualentes nocere, sed sibi. Inimici enim sunt resistendi uoluntate, non potestate laedendi. Deus namque inmutabilis est et omni modo incorruptibilis. Idcirco uitium, quo resistunt Deo qui eius appellantur inimici, non est Deo, sed ipsis malum, neque hoc ob aliud, nisi quia corrumpit in eis naturae bonum. Natura igitur contraria non est Deo sed uitium, quia malum contrarium est bono. Quis autem neget Deum summe bonum? Vitium

2 ipse est *v* 7 usitatio *t* 8 οὐσίαν] usian *codd.* e *om. e* 22 potestate laedendi] nocendi potestate *l* 23 incorruptibilis ///, *eraso* est, *V* 24 quod *t* 26 qua *V* 27 non est contraria *v* quia malum contrarium est bono *b p*^{2}*;* quia malum est contrarium bono *a;* quia malum est contr. est bono *V l p*^{1} *t α f Domb.;* et quia malum est contr. est bono *e;* Quia quod malum est contr. est bono *v*

ergo contrarium est Deo, tamquam malum bono. Porro autem bonum est et natura quam uitiat; unde et huic bono utique contrarium est; sed Deo tantummodo tamquam bono malum, naturae uero, quam uitiat, non tantum malum, sed etiam noxium. Nulla quippe mala Deo noxia sed mutabilibus corruptibilibusque naturis, bonis tamen ipsorum quoque testimonio uitiorum. Si enim bonae non essent, eis uitia nocere non possent. Nam quid eis nocendo faciunt, nisi adimunt integritatem pulchritudinem, salutem uirtutem et quidquid boni naturae per uitium detrahi siue minui consueuit? Quod si omnino desit. nihil boni adimendo non nocet ac per hoc nec uitium est. Nam esse uitium et non nocere non potest. Unde colligitur, quamuis non possit uitium nocere incommutabili bono, non tamen posse nocere nisi bono, quia non inest, nisi ubi nocet. Hoc etiam isto modo dici potest, uitium esse nec in summo posse bono nec nisi in aliquo bono. Sola ergo bona alicubi esse possunt, sola mala nusquam; quoniam naturae etiam illae, quae ex malae uoluntatis initio uitiatae sunt, in quantum uitiosae sunt, malae sunt, in quantum autem naturae sunt, bonae sunt. Et cum in poenis est natura uitiosa, excepto eo, quod natura est, etiam hoc ibi bonum est, quod inpunita non est. Hoc enim est iustum et omne iustum procul dubio bonum. Non enim quisquam de uitiis naturalibus, sed de uoluntariis poenas luit. Nam etiam quod uitium consuetudine nimioue progressu roboratum uelut naturaliter inoleuit, a uoluntate sumsit exordium. De uitiis quippe nunc loquimur eius naturae, cui mens inest capax intellegibilis lucis, qua discernitur iustum ab iniusto.

7 nocere] docere *t* 8 ademunt *t* 11 adimendo] adhibendum *t* 16 bono] modo t^1 18 quae male *V* initio *codd.*; uitio *v* uitiosae] uitiatae V^1 *a, e in marg.* 20 sunt *post* naturae *om. e* 25 progresso V^1

CAPUT IIII.

De naturis inrationalium aut uita carentium, quae in suo genere adque ordine ab uniuersitatis decore non discrepant.

Ceterum uitia pecorum et arborum aliarumque rerum mutabilium adque mortalium uel intellectu uel sensu uel uita omnino carentium, quibus eorum dissolubilis natura corrumpitur, damnabilia putare ridiculum est, cum istae creaturae eum modum nutu Creatoris acceperint, ut cedendo ac succedendo peragant infimam pulchritudinem temporum in genere suo istius mundi partibus congruentem. Neque enim caelestibus fuerant terrena coaequanda, aut ideo uniuersitati deesse ista debuerunt, quoniam sunt illa meliora. Cum ergo in his locis, ubi esse talia conpetebat, aliis alia deficientibus oriuntur et succumbunt minora maioribus adque in qualitates superantium superata uertuntur, rerum est ordo transeuntium. Cuius ordinis decus nos propterea non delectat, quoniam parti eius pro condicione nostrae mortalitatis intexti uniuersum, cui particulae, quae nos offendunt, satis apte decenterque conueniunt, sentire non possumus. Unde nobis, in quibus eam contemplari minus idonei sumus, rectissime credenda praecipitur prouidentia Conditoris, ne tanti artificis opus in aliquo reprehendere uanitate humanae temeritatis audeamus. Quamquam et uitia rerum terrenarum non uoluntaria neque poenalia naturas ipsas, quarum nulla omnino est, cuius non sit auctor et conditor Deus, si prudenter adtendamus, eadem ratione commendant, quia et in eis hoc nobis per uitium tolli displicet, quod in natura placet; nisi quia hominibus etiam

2 naturis *V*; natura *p q v Domb.* inrationabilium *V α* 4 discrepat *p q v* 9 ac succedendo *om. e*¹ 10 infimum *V*¹ 11 istis *V l* 12 coaequando *V*¹ 13 ita *l* 14 talia esse *v* alia aliis *v* 15 et| ut *e* succumbant. a *m. 2 ex* u *corr., e* 17 ⁿ/os, m (?) *eraso, V* propterea nos *v* 18 eius *om. e*¹ 21 scimus *t* praecipiuntur *l* 22 aliqu^{a}/, *V*; aliqua *t* 24 uoluntate *l* 25 naturasq; ipsas, q; ipsas *m. rec., l* 27 displicent *t*

ipsae naturae plerumque displicent, cum eis fiunt noxiae. non eas considerantibus, sed utilitatem suam, sicut illa animalia, quorum abundantia Aegyptiorum superbia uapulauit. Sed isto modo possunt et solem uituperare, quoniam quidam peccantes uel debita non reddentes poni a iudicibus iubentur ad solem. Non itaque ex commodo uel incommodo nostro, sed per se ipsam considerata natura dat artifici suo gloriam. Sic est et natura ignis aeterni sine ulla dubitatione laudabilis, quamuis damnatis inpiis futura poenalis. Quid enim est igne flammante uigente lucente pulchrius? quid calfaciente curante coquente utilius? quamuis eo nihil sit urente molestius. Idem igitur ipse aliter adpositus perniciosus, qui conuenienter adhibitus commodissimus inuenitur. Nam eius in uniuerso mundo utilitates uerbis explicare quis sufficit? Nec audiendi sunt, qui laudant in igne lucem, ardorem autem uituperant, uidelicet non ex ui naturae, sed ex suo commodo uel incommodo. Videre enim uolunt, ardere nolunt. Sed parum adtendunt eam ipsam lucem, quae certe et illis placet, oculis infirmis per inconuenientiam nocere, et in illo ardore, qui eis displicet, nonnulla animalia per conuenientiam salubriter uiuere.

CAPUT V.

Quod in omni naturae specie ac modo laudabilis sit Creator.

Naturae igitur omnes, quoniam sunt et ideo habent modum suum, speciem suam et quandam secum pacem suam, profecto bonae sunt; et cum ibi sunt, ubi esse per naturae ordinem debent, quantum acceperunt, suum esse custodiunt; et

4 solem] solent *t* 7 ipsa *t* suam *l* 10 atque lucente *a e* luce *t* calfaciente *V* l^1 *t;* calefaciente *a b* $e l^2$ *p α v* curante *om. a* 16 uinaturae, *superscriptum* f *lineolis deletum, V;* ui naturae *e in marg., l f;* ui natura *α;* sui natura *a b e p t v* uel incommodo *om. b* 20 conuenientia *V* uidere *V* 22 in omni natura *q;* in omnium natura *V α* et specie *V α;* omnium naturarum specie *scribendum esse suspicatur Domb.*

quae semper esse non acceperunt, pro usu motuque rerum, quibus Creatoris lege subduntur, in melius deteriusue mutantur, in eum diuina prouidentia tendentes exitum, quem ratio gubernandae uniuersitatis includit; ita ut nec tanta corruptio, quanta usque ad interitum naturas mutabiles mortalesque perducit, sic faciat non esse quod erat, ut non inde fiat consequenter quod esse debebat. Quae cum ita sint, Deus, qui summe est adque ob hoc ab illo facta est omnis essentia, quae non summe est (quia neque illi aequalis esse deberet, quae de nihilo facta esset, neque ullo modo esse posset, si ab illo facta non esset), nec ullorum uitiorum offensione uituperandus et omnium naturarum consideratione laudandus est.

CAPUT VI.

Quae causa sit beatitudinis angelorum bonorum et quae causa sit miseriae angelorum malorum.

Proinde causa beatitudinis angelorum bonorum ea uerissima reperitur, quod ei adhaerent qui summe est. Cum uero causa miseriae malorum angelorum quaeritur, ea merito occurrit, quod ab illo, qui summe est, auersi ad se ipsos conuersi sunt, qui non summe sunt; et hoc uitium quid aliud quam superbia nuncupetur? Initium quippe omnis peccati superbia. Noluerunt ergo ad illum custodire fortitudinem suam, et qui magis essent, si ei qui summe est adhaererent, se illi praeferendo id quod minus est praetulerunt. Hic primus defectus et prima inopia primumque uitium eius naturae, quae ita creata est, ut nec summe esset, et tamen ad beatitudinem habendam eo, qui summe est, frui posset, a quo auersa non quidem nulla, sed tamen minus esset adque ob hoc misera fieret. Huius

22 Eccli. 10, 13 [23 Ps. 58, 10

3 exitu *V* 6 fiat] faciat *a* 7 debebat *V l*^{2} *Domb.;* debeat *a b e l*^{1} *p t v* 8 ob] ab *e*^{1} 15 Qua *V* 17 ea] a *t* 22 nuncupetur *V f;* nuncupatur *a b e l p t v* 27 eo] et *t* 28 non *om. t*

porro malae uoluntatis causa efficiens si quaeratur, nihil inuenitur. Quid est enim quod facit uoluntatem malam, cum ipsa faciat opus malum? Ac per hoc mala uoluntas efficiens est operis mali, malae autem uoluntatis efficiens nihil est. Quoniam si res aliqua est, aut habet aut non habet aliquam uoluntatem; si habet, aut bonam profecto habet aut malam; si bonam, quis ita desipiat, ut dicat quod bona uoluntas faciat uoluntatem malam? Erit enim, si ita est, bona uoluntas causa peccati, quo absurdius putari nihil potest. Si autem res ista, quae putatur facere uoluntatem malam, ipsa quoque habet uoluntatem malam, etiam eam quae fecerit res consequenter interrogo, adque ita, ut sit aliquis inquirendi modus, causam primae malae uoluntatis inquiro. Non est enim prima uoluntas mala, quam fecit uoluntas mala; sed illa prima est, quam nulla fecit. Nam si praecessit a qua fieret, illa prior est, quae alteram fecit. Si respondetur quod eam nulla res fecerit et ideo semper fuerit: quaero utrum in aliqua natura fuerit. Si enim in nulla fuit, omnino non fuit; si autem in aliqua, uitiabat eam et corrumpebat eratque illi noxia ac per hoc bono priuabat. Et ideo in mala natura uoluntas mala esse non poterat, sed in bona, mutabili tamen, cui uitium hoc posset nocere. Si enim non nocuit, non utique uitium fuit, ac per hoc nec mala uoluntas fuisse dicenda est. Porro si nocuit, bonum auferendo uel minuendo utique nocuit. Non igitur esse potuit sempiterna uoluntas mala in ea re, in qua bonum naturale praecesserat, quod mala uoluntas nocendo posset adimere. Si ergo non erat sempiterna, quis eam fecerit quaero. Restat ut dicatur, quod ea res fecerit malam uoluntatem, in qua nulla uoluntas fuit. Haec utrum superior sit, requiro, an inferior, an aequalis. Sed superior utique melior;

4 est nihil *v* 5 aliquam *om. t* 10 ipsam *a t* 11 etiam ipsam *a* res *om. a* 12 adque (atque) ita ut sit *V e l;* atque ut sit *a p t v;* atque sit *b* 15 a quo *l* 18 in *ante* nulla *om. b* ulla e^{1} omnino non fuit *om.* V^{1} non fuit *om. b* 22 possit *l* enim] ergo *l* 25 mala *usque ad* uoluntas *l. sq. om. e* 27 possit *l* 29 in quam ulla *V* 30 Sed si superior *b* p^{2} *v*

quo modo ergo nullius, ac non potius bonae uoluntatis? Hoc idem profecto et aequalis. Duo quippe quamdiu sunt pariter uoluntatis bonae, non facit alter in altero uoluntatem malam. Relinquitur ut inferior res, cui nulla uoluntas est, fecerit angelicae naturae, quae prima peccauit, uoluntatem malam. Sed etiam res ipsa quaecumque est inferior usque ad infimam terram, quoniam natura et essentia est, procul dubio bona est, habens modum et speciem suam in genere adque ordine suo. Quo modo ergo res bona efficiens est uoluntatis malae? Quo modo, inquam, bonum est causa mali? Cum enim se uoluntas relicto superiore ad inferiora conuertit, efficitur mala, non quia malum est, quo se conuertit, sed quia peruersa est ipsa conuersio. Idcirco non res inferior uoluntatem malam fecit, sed rem inferiorem praue adque inordinate, ipsa quia facta est, adpetiuit. Si enim aliqui duo aequaliter affecti animo et corpore uideant unius corporis pulchritudinem, qua uisa unus eorum ad inlicite fruendum moueatur, alter in uoluntate pudica stabilis perseueret, quid putamus esse causae, ut in illo fiat, in illo non fiat uoluntas mala? Quae illam res fecit in quo facta est? Neque enim pulchritudo illa corporis; nam eam non fecit in ambobus, quando quidem amborum non dispariliter occurrit aspectibus. An caro intuentis in causa est? quur non et illius? An uero animus? quur non utriusque? Ambos enim et animo et corpore aequaliter affectos fuisse praediximus. An dicendum est alterum eorum occulta maligni spiritus suggestione tentatum, quasi non eidem suggestioni et qualicumque suasioni propria uoluntate consenserit? Hanc igitur consensionem, hanc malam quam male suadenti adhibuit uoluntatem, quae in eo res fecerit, quaerimus. Nam ut hoc quoque inpedimentum ab ista quaestione tollatur, si eadem tentatione ambo tententur, et unus ei cedat adque consentiat, alter idem qui fuerat

8 habemus *V* 13 facit *l* 14 quia *V a b e l Domb.*; a qua *p*; a que *t*; quae *v* 15 affectu *t* 16 quamuisa *V*; quamuis *p*; quauis *t* inliciter *l* 17 perfruendum *v* 18 putemus *α* 19 illa res *b t* 23 in utriusque *l* 25 malignitas *V* 30 si ... tententur *om. e*

perseueret: quid aliud apparet, nisi unum noluisse, alterum uoluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria uoluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis et animi affectio? Amborum oculis pariter uisa est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio; propriam igitur in uno orum uoluntatem malam res quae fecerit scire uolentibus. si bene intueantur, nihil occurrit. Si enim dixerimus quod ipse eam fecerit, quid erat ipse ante uoluntatem malam nisi natura bona, cuius auctor Deus, qui est inmutabile bonum? Qui ergo dicit eum, qui consensit tentanti adque suadenti, cui non consensit alius, ad inlicite utendum pulchro corpore, quod uidendum ambobus pariter adfuit, cum ante illam uisionem ac tentationem similes ambo animo et corpore fuerint, ipsum sibi fecisse uoluntatem malam, qui utique bonus ante uoluntatem malam fuerit: quaerat quur eam fecerit, utrum quia natura est, an quia ex nihilo facta est, et inueniet uoluntatem malam non ex eo esse incipere quod natura est, sed ex eo quod de nihilo facta natura est. Nam si natura causa est uoluntatis malae, quid aliud cogimur dicere, nisi a bono fieri malum et bonum esse causam mali? si quidem a natura bona fit uoluntas mala. Quod unde fieri potest, ut natura bona, quamuis mutabilis, antequam habeat uoluntatem malam, faciat aliquid mali, hoc est ipsam uoluntatem malam?

1 uoluisse alterum noluisse *v* alt. uoluisse *om. b* 5 propria *t* 6 quae res *v* 7 occumbit *m. 2 sup. lin. t* 8 quod *t* 9 bonam *t* incommutabile *v* 10 consentit temptant adque suadent *t* 14 qui *Velpta;* quia *abv* 15 quaeratur *Vpt* 17 inquipere *t* 18 ex nihilo *l* natura facta est *v* 19 causa *deest in loco uacuo t* 20 causa *t* 21 a *om. t*

CAPUT VII.

Causam efficientem malae uoluntatis non esse quaerendam.

Nemo igitur quaerat efficientem causam malae uoluntatis; non enim est efficiens sed deficiens, quia nec illa effectio sed defectio. Deficere namque ab eo, quod summe est, ad id, quod minus est, hoc est incipere habere uoluntatem malam. Causas porro defectionum istarum, cum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, uelle inuenire tale est, ac si quisquam uelit uidere tenebras uel audire silentium, quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sane in specie, sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quaerat, quod me nescire scio, nisi forte ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippe quae non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici aut intellegi potest, quodam modo nesciendo sciuntur, ut sciendo nesciantur. Cum enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras uidet, nisi ubi coeperit non uidere. Ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet sentire silentium, quod tamen nullo modo nisi non audiendo sentitur. Sic species intellegibiles mens quidem nostra intellegendo conspicit; sed ubi deficiunt, nesciendo condiscit. Delicta enim quis intellegit?

23 Ps. 18, 13

5 sed .... effectio *sup. lin. V* sed deficiens *om. b* effectio] affectio *b* effectio est *v* sed defectio *om. b* 6 deficere *m. 2 sup. lin. t* 8 porro *m. 2 sup. lin. t* 9 talis *t* 11 illut si *t* 13 me nescire scio, *in marg.* scire nescio *e* 14 scire *t* discendum *t* 16 quodam] quod ad *t* 23 condescit *t* si quis *t*

CAPUT VIII.

De amore peruerso, quo uoluntas ab incommutabili bono ad mutabile bonum deficit.

Hoc scio, naturam Dei numquam, nusquam, nulla ex parte posse deficere, et ea posse deficere, quae ex nihilo facta sunt. Quae tamen quanto magis sunt et bona faciunt (tunc enim aliquid faciunt), causas habent efficientes; in quantum autem deficiunt et ex hoc mala faciunt (quid enim tunc faciunt nisi uana?), causas habent deficientes. Itemque scio, in quo fit mala uoluntas, id in eo fieri, quod si nollet non fieret, et ideo non necessarios, sed uoluntarios defectus iusta poena consequitur. Deficitur enim non ad mala, sed male, id est non ad malas naturas, sed ideo male, quia contra ordinem naturarum ab eo quod summe est ad id quod minus est. Neque enim auri uitium est auaritia, sed hominis peruerse amantis aurum iustitia derelicta, quae incomparabiliter auro debuit anteponi; nec luxuria uitium est pulchrorum suauiumque corporum, sed animae peruerse amantis corporeas uoluptates neglecta temperantia, qua rebus spiritaliter pulchrioribus et incorruptibiliter suauioribus coaptamur; nec iactantia uitium est laudis humanae, sed animae peruerse amantis laudari ab hominibus spreto testimonio conscientiae; nec superbia uitium est dantis potestatem uel ipsius etiam potestatis, sed animae peruerse amantis potestatem suam potentioris iustiore contemta. Ac per hoc qui peruerse amat cuiuslibet naturae bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus et miser meliore priuatus.

2 quod *V* 3 commutabile *v* 4 nusquam *om. p* 5 et ea posse deficere *om. p*¹ *t* 6 aliquid *V l p;* cum aliquid *b e t* 7 cum causas *a* habentes *e* 8 et *om. t* uana] mala *a* 9 Itemque scio] item quef| tio *a* 10 ideo] idem *V* 12 deficiunt *l* sed mala *l* 14 ad *om. t* 16 incorporaliter *V* 17 est uitium *v* 19 spiritualiter *v* 21 laudare *t* 25 peruersa *t*

CAPUT VIIII.

An sancti angeli, quem habent creatorem naturae, eundem habeant bonae uoluntatis auctorem per Spiritum sanctum in eis caritate diffusa.

Cum ergo malae uoluntatis efficiens naturalis uel, si dici potest, essentialis nulla sit causa (ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum, quo minuitur adque deprauatur naturae bonum, nec talem uoluntatem facit nisi defectio, qua deseritur Deus, cuius defectionis etiam causa utique deficit): si dixerimus nullam esse efficientem causam etiam uoluntatis bonae, cauendum est, ne uoluntas bona bonorum angelorum non facta, sed Deo coaeterna esse credatur. Cum ergo ipsi facti sint, quo modo illa non esse facta dicetur? Porro quia facta est, utrum cum ipsis facta est, an sine illa fuerunt prius? Sed si cum ipsis, non dubium quod ab illo facta sit, a quo et ipsi; simulque ut facti sunt, ei, a quo facti sunt, amore, cum quo facti sunt, adhaeserunt; eoque sunt isti ab illorum societate discreti, quod illi in eadem bona uoluntate manserunt, isti ab ea deficiendo mutati sunt, mala scilicet uoluntate hoc ipso quod a bona defecerunt; a qua non defecissent, si utique noluissent. Si autem boni angeli fuerunt prius sine bona uoluntate eamque in se ipsi Deo non operante fecerunt, ergo meliores a se ipsis quam ab illo facti sunt. Absit. Quid enim erant sine bona uoluntate nisi mali? Aut si propterea non mali, quia nec mala uoluntas eis inerat (neque enim ab ea, quam nondum coeperant habere, defecerant), certe nondum tales, nondum tam boni quam esse cum bona uoluntate coeperunt. At si non potuerunt se ipsos facere meliores,

2 naturae *om. p* 4 diffusa semper fuisse existimant *p q uett. editt. cf. adnotationem ad* c. X 8 si qua *t* 9 defecit *l* 12 esse *om. α* 13 illam *t* dr̃ (= dicitur) *e* 14 utrum cum ipsis] aut cum illis *a* an] aut *a* 15 est *l* 16 ipsi] illi *l* 18 *sq.* illi—isti *codd.*; hi—illi *v* bona *om. α* uoluntate bona *v* 19 manserant p^1 *t* 24 [Absit] *Domb.* Aut ... mali *om. l* 27 uolunt. bona *v* 28 coeperunt *v* at V^1 *e l p α*; ad *f*; aut V^2 *a b v*

quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit: profecto et bonam uoluntatem, qua meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent. Et cum id egit eorum uoluntas bona, ut non ad se ipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summe est, conuerterentur eique adhaerentes magis essent eiusque participatione sapienter beateque uiuerent: quid aliud ostenditur nisi uoluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret inplendo meliorem, prius faciens excitando auidiorem?

Nam et hoc discutiendum est, si boni angeli ipsi in se fecerunt bonam uoluntatem, utrum aliqua eam an nulla uoluntate fecerunt. Si nulla, utique nec fecerunt. Si aliqua, utrum mala an bona? Si mala, quo modo esse potuit mala uoluntas bonae uoluntatis effectrix? Si bona, iam ergo habebant. Et istam quis fecerat nisi ille, qui eos cum bona uoluntate, id est cum amore casto quo illi adhaererent, creauit, simul eis et condens naturam et largiens gratiam? Unde sine bona uoluntate, hoc est Dei amore, numquam sanctos angelos fuisse credendum est. Isti autem, qui, cum boni creati essent, tamen mali sunt (mala propria uoluntate, quam bona natura non fecit, nisi cum a bono sponte defecit, ut mali causa non sit bonum, sed defectus a bono), aut minorem acceperunt diuini amoris gratiam quam illi, qui in eadem perstiterunt, aut si utrique boni aequaliter creati sunt, istis mala uoluntate cadentibus illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, peruenerunt; sicut iam etiam in libro, quem sequitur iste, tractauimus. Con-

28 XI c. 13

1 illa *V t* 2 bonib^{am}ǫ̃ą̃ *V* quam *t* opera nos, nos *m. 2, t* 3 cum] iam *t* 4 bona ut] bonā uitā *t* *alterum* ad *om. t* 5 eique *om. t* 6 sapienter///, que *eraso, V* 8 fuisset *t* 9 ex se] et se *l* implenda *t* 12 bonam ..... fecerunt *om. e* 13 non *l* 14 ^{mala}//// an ^{bon}////a, *ex* bona an mala *corr., V* 16 quis] qui *e* 17 adherent *t* 18 si sine *a* 23 bona *t* 25 utriusque bonae qualiter *t* pariter *l* 27 certissime *t* 28 quae *t*

fitendum est igitur cum debita laude Creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, uerum etiam de sanctis angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis; nec tantum hominum, sed primitus praecipueque angelorum bonum esse, quod scriptum est: Mihi autem adhaerere Deo bonum est. Hoc bonum quibus commune est, habent et cum illo cui adhaerent et inter se sanctam societatem et sunt una ciuitas Dei eademque uiuum sacrificium eius uiuumque templum eius. Cuius pars, quae coniungenda inmortalibus angelis ex mortalibus hominibus congregatur et nunc mortaliter peregrinatur in terris uel in eis, qui mortem obierunt, secretis animarum receptaculis sedibusque requiescit, eodem Deo creante quem ad modum exorta sit, sicut de angelis dictum est, iam uideo esse dicendum. Ex uno quippe homine, quem primum Deus condidit, humanum genus sumsit exordium secundum sanctae scripturae fidem, quae mirabilem auctoritatem non inmerito habet in orbe terrarum adque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cetera uera, quae dixit, uera diuinitate praedixit.

3 Rom. 5, 5 6 Ps. 72, 28

1 est *om.* *e* deuita *t* 3 sit] est *l* in *om.* *t* 4 eis *sup. lin.* *V* 5 bonum *sup. lin.* *V* 8 societ. sanctam *v* 11 et] ut *l*, *om.* *p* mortaliter *a b e l p t α v*; mutabiliter *V f Domb.* 12 mortem *V* b^1; morte *a* b^2 *e l p v* obierant t^1 13 sedibus, *omisso* que, *e* requiescat t^1

CAPUT X.

De opinione eorum, qui humanum genus sicut ipsum mundum semper fuisse existimant.

Omittamus igitur coniecturas hominum nescientium quid loquantur de natura uel institutione generis humani. Alii namque, sicut de ipso mundo crediderunt, semper fuisse homines opinantur. Unde et ait Apuleius, cum hoc animantium genus describeret: 'Singillatim mortales, cuncti tamen uniuerso genere perpetui.' Et cum illis dictum fuerit, si semper fuit humanum genus, quonam modo uerum eorum loquatur historia narrans qui fuerint quarumque rerum inuentores, qui primi liberalium disciplinarum aliarumque artium institutores. uel a quibus primum illa uel illa regio parsque terrarum, illa adque illa insula incoli coeperit, respondent diluuiis et conflagrationibus per certa interualla temporum non quidem omnia, sed plurima terrarum ita uastari, ut redigantur homines ad exiguam paucitatem, ex quorum progenie rursus multitudo pristina reparetur; ac sic identidem reperiri et institui quasi prima, cum restituantur potius, quae fuerant illis nimiis uastationibus interrupta et extincta; ceterum hominem nisi ex homine existere omnino non posse. Dicunt autem quod putant, non quod sciunt.

7 de deo Socr. p. 8, 20

2 *Hanc capitis X inscriptionem seruarunt V α; in p q nouissima modo uerba* semper fuisse existimant *supersunt et quidem ut supra monui titulo antecedentis capitis adnexa. Quae uulgo capiti X praeponitur inscriptio* De falsitate cett. *eam sequenti capiti esse praefigendam idque incipere debere a uerbis* Fallunt eos cett. *recte monuit Dombart* 4 Omittamus igitur cett. *in V nulla noui capitis significatione cum superiore capite coniuncta sunt* 7 et ait *p t;* ait et *rell. v* 8 cuncti *codd.;* cunctim *v* 9 hum. genus fuit *v* 10 quonjam V^1; quodnam *t* 13 uel illa *om. l* 18 idem *p t* reperiri (repperiri) a^1 *b e l t;* repperi *V;* reparari a^2 *p v* 19 cum] ut *a* nimis *l*

CAPUT XI.

De falsitate eius historiae, quae multa milia annorum praeteritis temporibus adscribit.

Fallunt eos etiam quaedam mendacissimae litterae, quas perhibent in historia temporum multa annorum milia continere, cum ex litteris sacris ab institutione hominis nondum conpleta annorum sex milia conputemus. Unde ne multa disputem quem ad modum illarum litterarum, in quibus longe plura annorum milia referuntur, uanitas refellatur et nulla in illis rei huius idonea reperiatur auctoritas: illa epistula Alexandri Magni ad Olympiadem matrem suam, quam scripsit narrationem cuiusdam Aegyptii sacerdotis insinuans, quam protulit ex litteris quae sacrae aput illos haberentur, continet etiam regna, quae Graeca quoque nouit historia; in quibus regnum Assyriorum in eadem epistula Alexandri quinque milia excedit annorum; in Graeca uero historia mille ferme et trecentos habet ab ipsius Beli principatu, quem regem et ille Aegyptius in eiusdem regni ponit exordio; Persarum autem et Macedonum imperium usque ad ipsum Alexandrum, cui loquebatur, plus quam octo annorum milia ille constituit, cum aput Graecos Macedonum usque ad mortem Alexandri quadringenti octoginta quinque reperiantur, Persarum uero, donec ipsius Alexandri uictoria finiretur, ducenti et triginta tres conputentur. Longe itaque hi numeri annorum illis Aegyptiis sunt minores, nec eis, etiamsi ter tantum conputarentur, aequarent. Perhibentur enim Aegyptii quondam

2 storiae *V* 3 ascribat *v* 7 adimpleta *t* 13 habentur *p* continet etiam *V* a^2 *e l t* α; continet enim *p;* continent etiam *a b* $\overset{m}{.}$; continentem *v* 14 in *om. a* 17 belli *V* l^1 *t* principatu *V;* principatum *t* 19 machedonum *V* imperium *codd. v;* imperio *Domb. adnotans: 'fortasse omittendum* imperium' 20 octo annorum milia *codd.;* octo et annorum milium *v* 22 CCCCXLV *t* uero] autem *a* 23 finiatur *p* 24 conputentur *b p v;* conputantur *V e l t* α *f* ita hii *a* illis] mille *p t* 25 etiamsi c̃to mĩo computentur equare perhibeo. dicuntur enim egiptii *p* in ter tantum, in *m. 2 extra lin.. b* 26 aequarent *codd. praeter* l^2 *p;* aequarentur l^2 *v* perhibet qui *t*

tam breues annos habuisse, ut quaternis mensibus finirentur; unde annus plenior et uerior, qualis nunc et nobis et illis est, tres eorum annos conplectebatur antiquos. Sed ne sic quidem, ut dixi, Graeca Aegyptiae numero temporum concordat historia. Et ideo Graecae potius fides habenda est, quia ueritatem non excedit annorum, qui litteris nostris, quae uere sacrae sunt, continentur. Porro si haec epistula Alexandri, quae maxime innotuit, multum abhorret in spatiis temporum a probabili fide rerum: quanto minus credendum est illis litteris, quas plenas fabulosis uelut antiquitatibus proferre uoluerint contra auctoritatem notissimorum diuinorumque librorum, quae totum orbem sibi crediturum esse praedixit, et cui totus orbis, sicut ab ea praedictum est, credidit; quae uera se narrasse praeterita ex his, quae futura praenuntiauit, cum tanta ueritate inplentur, ostendit.

CAPUT XII.

De his, qui hunc quidem mundum non sempiternum putant, sed aut innumerabiles aut eundem unum certa conclusione saeculorum semper nasci et resolui opinantur.

Alii uero, qui mundum istum non existimant sempiternum, siue non eum solum, sed innumerabiles opinentur. siue solum quidem esse, sed certis saeculorum interuallis innumerabiliter oriri et occidere, necesse est fateantur hominum genus prius sine hominibus gignentibus extitisse. Neque enim ut alluuionibus incendiisque terrarum, quas illi non putant toto prorsus orbe contingere, et ideo paucos homines, ex quibus multitudo pristina reparetur, semper remanere contendunt, ita et hi

2 nunc *om. e* 3 nec si *e* 4 dixi] in *t* 7 continetur *V l* 8 a] ad *t* 10 uoluerunt *b l;* noluerunt *a* 12 totum *t* 13 eo *t* praedictus *V l* 15 impletur *t* 16 Cap. XI *v* 18 unum *om. V* 21 non *om. V t* estimant *t* 24 occidi *t* primo *t* 26 terrarum] temporum *t* 27 orbe *deest in uacuo spatio t* 28 repararetur *b*

possunt putare, quod aliquid hominum pereunte mundo relinquatur in mundo; sed sicut ipsum mundum ex materia sua renasci existimant, ita in illo ex elementis eius genus humanum ac deinde a parentibus progeniem pullulare mortalium, sicut aliorum animalium.

CAPUT XIII.

Quid respondendum sit his, qui primam conditionem hominis tardam esse causantur.

Quod autem respondimus, cum de mundi origine quaestio uerteretur, eis, qui nolunt credere non eum semper fuisse, sed esse coepisse, sicut etiam Plato apertissime confitetur, quamuis a nonnullis contra quam loquitur sensisse credatur: hoc etiam de prima hominis conditione responderim, propter eos, qui similiter mouentur, quur homo per innumerabilia adque infinita retro tempora creatus non sit tamque sero sit creatus, ut minus quam sex milia sint annorum, ex quo esse coepisse in sacris litteris inuenitur. Si enim breuitas eos offendit temporis, quod tam pauci eis uidentur anni, ex quo institutus homo in nostris auctoritatibus legitur: considerent nihil esse diuturnum, in quo est aliquid extremum, et omnia saeculorum spatia definita, si aeternitati interminae comparentur, non exigua existimanda esse, sed nulla. Ac per hoc si non quinque uel sex, uerum etiam sexaginta milia siue sescenta, aut sexagiens, aut sescentiens, aut sescentiens miliens dicerentur annorum, aut itidem per totidem totiens multiplicaretur haec summa, ubi iam nullum numeri nomen haberemus, ex quo Deus hominem fecit: similiter quaeri posset, quur ante

1 aliquid *V a b l* α^1; aliqui *e p t* α^2 *f v* relinquatur *a b l t f*; relinquantur *V e p α v* 4 a *om. V t;* ex *p* apparentibus *b* 6 Cap. XII. *v* 12 sensisse] sumpsisse *l* 14 similem amouentur *V* 15 temporum *t* sit creatus *V b e l p t α f;* sit conditus *a v* 21 interminae *V* e^2 *l p t α f;* interminatae *a b* e^1 *v* 22 exigua] ex ista *t* 24 aut sescentiens aut sescentiens miliens *V e l t Dübn.;* siue sescentiens aut s. m. *α Domb.; prius* aut sescentiens *om. a b p f v* 25 multiplicarentur *V t* 26 nulli *t* 27 possit *l*

non fecerit. Dei quippe ab hominis creatione cessatio retrorsus aeterna sine initio tanta est, ut, si ei conferatur quamlibet magna et ineffabilis numerositas temporum, quae tamen fine conclusa certi spatii terminatur, nec saltem tanta uideri debeat, quanta si umoris breuissimam guttam uniuerso mari, etiam quantum oceanus circumfluit, conparemus; quoniam istorum duorum unum quidem perexiguum est, alterum incomparabiliter magnum, sed utrumque finitum; illud uero temporis spatium, quod ab aliquo initio progreditur et aliquo termino cohercetur. magnitudine quantacumque tendatur, conparatum illi, quod initium non habet, nescio utrum pro minimo an potius pro nullo deputandum est. Hinc enim si a fine uel breuissima singillatim momenta detrahantur, decrescente numero licet tam ingenti, ut uocabulum non inueniat, retrorsum redeundo (tamquam si hominis dies ab illo, in quo nunc uiuit, usque ad illum, in quo natus est, detrahas) quandoque ad initium illa detractio perducetur. Si autem detrahantur retrorsus in spatio, quod a nullo coepit exordio, non dico singillatim minuta momenta uel horarum aut dierum aut mensum aut annorum etiam quantitates, sed tam magna spatia, quanta illa summa conprehendit annorum, quae iam dici a quibuslibet conputatoribus non potest, quae tamen momentorum minutatim detractione consumitur, et detrahantur haec tanta spatia non semel adque iterum saepiusque, sed semper: quid fit, quid agitur, quando numquam ad initium, quod omnino nullum est, peruenitur? Quapropter quod nos modo quaerimus post quinque milia et quod excurrit annorum, possent et posteri etiam post annorum sescentiens miliens eadem curiositate requirere, si in tantum haec mortalitas hominum exoriendo

4 terminetur *v* saltam V^1; saltim *l* 5 quantam *l* 9 initio aliquo *v* 10 quantumcunque *t* 13 numero] numquam *t* 14 non] nos *t* inueniat] in numero *t* 15 in quo *deest in uacuo spatio t* 16 ad initium illa, *deest in uacuo spatio, t* 17 perducetur *om.* a^1 retrorsum *e p* 18 singillatum *t* 19 mensum *V b* e^1 t^1; mensuum *l*; mensium *a* e^2 *p* t^2 *v* 21 conpotatoribus l^1 23 detrahatur V^1 24 qui fit *t* 27 possint *a l* 28 etiam *om. e l a f* 29 haec *om. t*

et occubando et inperita perseueraret infirmitas. Potuerunt et qui fuerunt ante nos ipsis recentibus hominis creati temporibus istam mouere quaestionem. Ipse denique primus homo uel postridie uel eodem die postea quam factus est potuit inquirere, quur non ante sit factus; et quandocumque antea factus esset, non uires tunc alias et alias nunc uel etiam postea ista de initio rerum temporalium controuersia reperiret.

CAPUT XIIII.

De reuolutione saeculorum, quibus certo fine conclusis uniuersa semper in eundem ordinem eandemque speciem reditura quidam philosophi crediderunt.

Hanc autem se philosophi mundi huius non aliter putauerunt posse uel debere dissoluere, nisi ut circuitus temporum inducerent, quibus eadem semper fuisse renouata adque repetita in rerum natura adque ita deinceps fore sine cessatione adseuerarent uolumina uenientium et praetereuntium saeculorum; siue in mundo permanente isti circuitus fierent, siue certis interuallis oriens et occidens mundus eadem semper quasi noua, quae transacta et uentura sunt, exhiberet. A quo ludibrio prorsus inmortalem animam, etiam cum sapientiam perceperit, liberare non possunt, euntem sine cessatione ad falsam beatitudinem et ad ueram miseriam sine cessatione redeuntem. Quo modo enim uera beatitudo est, de cuius numquam aeternitate confiditur, dum anima uenturam miseriam aut inperitissime in ueritate nescit aut infelicissime in beatitudine per-

1 occubando (obcub. I) *V e l*^{1} *t;* occupando *b;* occumbendo *a l*^{2} *p v* 5 quura *t* factus *om. t* et] est *t* 6 nunc *ex* hunc *corr. V* 7 controuersia] *lacuna t* 8 Cap. XIII *v* 13 mundi huius] *lacuna t* aliter] inter *t* 14 deb. dissol.] *lacuna t* 14. 18, p. 588, 4 circumitus *v* 15 ducerent *t* renouarem *t* utque repet. *t* 17 uen. praetereuntiumque *v* 18 circuiuit *t* 20 ea quae *e* quę transierunt *l* et quae uentura *l v* at quo *V* 21 perceperint liberares *t* 24 de cuius] deo uitus *t* 25 miseram *e*^{2}

timescit? At si ad miserias numquam ulterius reditura ex his ad beatitudinem pergit: fit ergo aliquid noui in tempore, quod finem non habet temporis. Quur non ergo et mundus? quur non et homo factus in mundo? ut illi nescio qui falsi circuitus a falsis sapientibus fallacibusque conperti in doctrina sana tramite recti itineris euitentur.

Nam quidam et illud, quod legitur in libro Salomonis, qui uocatur ecclesiastes: Quid est quod fuit? Ipsum quod erit. Et quid est quod factum est? Ipsum quod fiet; et non est omne recens sub sole. Qui loquetur et dicet: Ecce hoc nouum est: iam fuit saeculis quae fuerunt ante nos, propter hos circuitus in eadem redeuntes et in eadem cuncta reuocantes dictum intellegi uolunt; quod ille aut de his rebus dixit, de quibus superius loquebatur, hoc est de generationibus aliis euntibus, aliis uenientibus, de solis anfractibus, de torrentium lapsibus; aut certe de omnium rerum generibus, quae oriuntur adque occidunt. Fuerunt enim homines ante nos, sunt et nobiscum, erunt et post nos; ita quaeque animantia uel arbusta. Monstra quoque ipsa, quae inusitata nascuntur, quamuis inter se diuersa sint et quaedam eorum semel facta narrentur, tamen secundum id, quod generaliter miracula et monstra sunt, utique et fuerunt et erunt. nec recens et nouum est, ut monstrum sub sole nascatur. Quamuis haec uerba quidam sic intellexerint, tamquam in praedestinatione Dei iam facta fuisse omnia sapiens ille uoluisset intellegi, et ideo nihil recens esse sub sole. Absit autem a recta fide, ut his Salomonis uerbis illos circuitus significatos esse credamus, quibus illi

8 1, 9 sq.

1 at $V a^1 \alpha f$; ait e^1; aut $a^2 e$; ac p (*in marg.* aut), t; aut v; *om.* b At *usque ad* pergit *om.* l 7 est et a 10 qui $V a b e l p t \alpha$; quis $f v$ loquitur *mss.*; loquatur v; loquetur *Domb.* 11 dicit $a b e l^2 p t \alpha f$; dicet $V l^1$ *Domb.*; dicat v in saeculis $b l^2 p v$ 12. 28 circumitus v 13 et in eadem e 19 et erunt v 21 narrarentur t 22 monstrata l 25 iam *om.* V

putant sic eadem temporum temporaliumque rerum uolumina repeti, ut uerbi gratia, sicut isto saeculo Plato philosophus in urbe Atheniensi et in ea schola, quae Academia dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro saecula multum quidem prolixis interuallis, sed tamen certis, et idem Plato et eadem ciuitas et eadem schola idemque discipuli repetiti et per innumerabilia deinde saecula repetendi sint. Absit, inquam, ut nos ista credamus. Semel enim Christus mortuus est pro peccatis nostris; surgens autem a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur; et nos post resurrectionem semper cum Domino erimus, cui modo dicimus, quod sacer admonet psalmus: Tu, Domine, seruabis nos et custodies nos a generatione hac et in aeternum. Satis autem istis existimo conuenire quod sequitur: In circuitu inpii ambulabunt; non quia per circulos, quos opinantur, eorum uita est recursura, sed quia modo talis est erroris eorum uia, id est falsa doctrina.

CAPUT XV.

De temporali conditione generis humani, quam Deus nec nouo consilio instituerit nec mutabili uoluntate.

Quid autem mirum est, si in his circuitibus errantes nec aditum nec exitum inueniunt? quia genus humanum adque ista nostra mortalitas nec quo initio coepta sit sciunt, nec quo fine claudatur; quando quidem altitudinem Dei penetrare

9 Rom. 6, 9 12 Ps. 11, 8 sq.

2 saeculo Plato philosophus] saeculi iniqui (iniquo *m. 2*) philosophos *t* 3 schola] domo *m. 2 sup. lin. t* 4 docuit] floruit *t* saeculi *t* 5 prolixis quidem *v* 6 et idem *l* 9 resurgens *e v* autem *om. a* 13 *alterum* et *om. a b l p v* 14 istis] et isti *t* circumitu *sic semper v* 15 *et* p. 590, 14 ambulabunt *V e l² α;* ambulant *a b l¹ p v* 18 Cap. XIIII *v* 19 hum. generis *p* 20 constituerit *p q v* 25 quidem quando *cum transpositionis nota V*

non possunt, qua, cum ipse sit aeternus et sine initio, ab aliquo tamen initio exorsus est tempora et hominem, quem numquam antea fecerat, fecit in tempore, non tamen nouo et repentino, sed inmutabili aeternoque consilio. Quis hanc ualeat altitudinem inuestigabilem uestigare et inscrutabilem perscrutari, secundum quam Deus hominem temporalem, ante quem nemo umquam hominum fuit, non mutabili uoluntate in tempore condidit et genus humanum ex uno multiplicauit? Quando quidem psalmus ipse cum praemisisset adque dixisset: Tu, Domine, seruabis nos et custodies nos a generatione hac et in aeternum, ac deinde repercussisset eos, in quorum stulta inpiaque doctrina nulla liberationis et beatitudinis animae seruatur aeternitas, continuo subiciens: In circuitu inpii ambulabunt: tamquam ei diceretur: 'Quid ergo tu credis, sentis, intellegis? numquidnam existimandum est subito Deo placuisse hominem facere, quem numquam antea infinita retro aeternitate fecisset, cui nihil noui accidere potest, in quo mutabile aliquid non est?' continuo respondit ad ipsum Deum loquens: Secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum. Sentiant, inquit, homines quod putant, et quod eis placet opinentur et disputent: Secundum altitudinem tuam, quam nullus potest nosse hominum, multiplicasti filios hominum. Valde quippe altum est et semper fuisse, et hominem, quem numquam fecerat, ex aliquo tempore primum facere uoluisse, nec consilium uoluntatemque mutasse.

1 qua *a l* p^1 *t;* quam *V b;* quia *e* p^2 *v Domb.* ipsi coaeternus *omisso* sit *V* et sine initio] omnium initium *p;* omne initio *t* 3 ante *p v* fecerat] didicerat *p, in lacuna* t^2 5 uestig. et inscrut. *om.* e^1 scrutabilem perscrutamini *t* 6 antequam e^1 7 tempore isto *t* 9 atque *V* 11 percussit *l* stultam piaque *t* 14 ei] et *t* tu ergo quid *a* 16 ante V^1 23 et semper fuisse *V b e l Domb.;* et semper Deum fuisse *v;* scrutari et non semper fuisse *a;* consilio perfecisse (*m. 2 ex* fuisse *corr.*) *t;* consilio perfecisse-ua-cat, *in marg.* et deum semper fuisse, *p* 24 hominem et quem *a* ex quo *V* 25 nec cons. uoluntatemque mutasse *om. l* 26 que mutasse *deest in lacuna t*

CAPUT XVI.

An ut Deus semper etiam dominus fuisse intellegatur, credendum sit creaturam quoque numquam defuisse cui dominaretur, et quo modo dicatur semper creatum quod dici non potest coaeternum.

Ego quidem sicut Dominum Deum aliquando dominum non fuisse dicere non audeo, ita hominem numquam antea fuisse et ex quodam tempore primum hominem creatum esse dubitare non debeo. Sed cum cogito cuius rei dominus semper fuerit, si semper creatura non fuit, adfirmare aliquid pertimesco, quia et me ipsum intueor et scriptum esse recolo: Quis hominum potest scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare quid uelit Dominus? Cogitationes enim mortalium timidae et incertae adinuentiones nostrae. Corruptibile enim corpus adgrauat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ex his igitur, quae in hac terrena inhabitatione multa cogito (ideo utique multa, quia unum, quod ex illis uel praeter illa. quod forte non cogito, uerum est, inuenire non possum), si dixero semper fuisse creaturam, cuius dominus esset, qui semper est dominus nec dominus umquam non fuit: sed nunc illam, nunc aliam per alia adque alia temporum spatia, ne aliquam Creatori coaeternam esse dicamus, quod fides ratioque sana condemnat: cauendum est, ne sit absurdum et a luce ueritatis alienum mortalem quidem per uices temporum semper fuisse creaturam, decedentem aliam, aliam succedentem; inmortalem uero non esse coepisse, nisi cum ad nostrum saeculum uentum est, quando et angeli creati sunt, si eos recte lux illa primum facta significat aut illud potius

12 Sap. 9, 13 sqq.

2 fuisse semper intellegatur *p q v* 5 eternum *p* 8 sed ex *a* 9 cum *om. l* 13 uelit Dominus *om. t* deus *l* 17 cogitante *t* 18 unum] non *t* 19 fortē *omisso* non *t* 20 possumus V^2 *t* 22 *alterum* alia *om. t* 23 nec *t* 24 est *om. e* 26 *alterum* aliam *om. e* 27 uera *t* 29 si eos] *lacuna t*

caelum, de quo dictum est: In principio fecit Deus caelum et terram, cum tamen non fuerint, antequam fierent, ne inmortales, si semper fuisse dicuntur, Deo coaeterni esse credantur. Si autem dixero non in tempore creatos angelos, sed ante omnia tempora et ipsos fuisse, quorum Deus dominus esset, qui numquam nisi dominus fuit: quaeretur a me etiam, si ante omnia tempora facti sunt, utrum semper potuerint esse qui facti sunt. Hic respondendum forte uideatur: Quo modo non semper, cum id, quod est omni tempore, non inconuenienter semper esse dicatur? Usque adeo autem isti omni tempore fuerunt, ut etiam ante omnia tempora facti sint; si tamen a caelo coepta sunt tempora, et illi iam erant ante caelum. At si tempus non a caelo, uerum et ante caelum fuit; non quidem in horis et diebus et mensibus et annis (nam istae dimensiones temporalium spatiorum, quae usitate ac proprie dicuntur tempora, manifestum est quod a motu siderum coeperint; unde et Deus, cum haec institueret, dixit: Et sint in signa et in tempora et in dies et in annos), sed in aliquo mutabili motu, cuius aliud prius, aliud posterius praeterit, eo quod simul esse non possunt; — si ergo ante caelum in angelicis motibus tale aliquid fuit et ideo tempus iam fuit adque angeli, ex quo facti sunt, temporaliter mouebantur: etiam sic omni tempore fuerunt, quando quidem cum illis facta sunt tempora. Quis autem dicat: Non semper fuit, quod omni tempore fuit?

Sed si hoc respondero, dicetur mihi: Quo modo ergo non coaeterni Creatori, si semper ille, semper illi fuerunt? Quo modo etiam creati dicendi sunt, si semper fuisse intelleguntur? Ad hoc quid respondebitur? An dicendum est et semper

3 dicantur *b v* 4 esse creatos *e* 5 dñs dš *t* 6 quaeritur *a e l* 7 facti sint si tamen *omissis quae inde a lin. 7 usque ad 12 intercedunt a* 12 sunt *t* a *om. t* 13 At] ac *b*, ut t^2 18 et tempora *t* et annos *e* 19 *prius* aliud *ex* aliquid *corr. V* 20 posterius esse *p* praeterierit *v*; poterit *p t* potuerunt *p t* 21 et ideo t. i. fuit *om.* a^1 22 temp. iam] temporum *t* et angeli *l* 24 sint *l* 26 hoc quid *superscripto* est *b* non sunt *a v* 2*l* coaeterno *e*

eos fuisse, quoniam omni tempore fuerunt, qui cum tempore facti sunt, aut cum quibus facta sunt tempora, et tamen creatos? Neque enim et ipsa tempora creata esse negabimus, quamuis omni tempore tempus fuisse nemo ambigat. Nam si non omni tempore fuit tempus, erat ergo tempus, quando nullum erat tempus. Quis hoc stultissimus dixerit? Possumus enim recte dicere: Erat tempus, quando non erat Roma; erat tempus, quando non erat Hierusalem; erat tempus, quando non erat Abraham; erat tempus, quando non erat homo, et si quid huius modi; postremo si non cum initio temporis, sed post aliquod tempus factus est mundus, possumus dicere: Erat tempus, quando non erat mundus; at uero: Erat tempus, quando nullum erat tempus, tam inconuenienter dicimus, ac si quisquam dicat: Erat homo, quando nullus erat homo, aut: Erat iste mundus, quando iste non erat mundus. Si enim de alio adque alio intellegatur, potest dici aliquo modo, hoc est: Erat alius homo, quando non erat iste homo; sic ergo: Erat aliud tempus, quando non erat hoc tempus, recte possumus dicere; at uero: Erat tempus, quando nullum erat tempus, quis uel insipientissimus dixerit? Sicut ergo dicimus creatum tempus, cum ideo semper fuisse dicatur, quia omni tempore tempus fuit: ita non est consequens, ut, si semper fuerunt angeli, ideo non sint creati, ut propterea semper fuisse dicantur, quia omni tempore fuerunt, et propterea omni tempore fuerunt, quia nullo modo sine his ipsa tempora esse potuerunt. Ubi enim nulla creatura est, cuius mutabilibus motibus tempora peragantur, tempora omnino esse non possunt; ac per hoc etsi semper fuerunt, creati sunt, nec si semper fuerunt, ideo Creatori coaeterni sunt. Ille enim semper fuit aeternitate inmutabili; isti autem facti sunt; sed ideo semper fuisse dicuntur, quia omni tempore fuerunt, sine quibus tempora

1 eos *om.* *V* 2 temp. facta sunt *l v* 3 ipso *t* negauimus $V^1 l^1$ 4 quam *t* 7 non *usque ad* non erat *l. 8 om.* e^1 11 possumus *usque ad* mundus *om.* e^1 15 sic enim de alta *t* 17 si *e t* 23 sunt *t* 27 tempora perag. *om.* *b* peraguntur *V* 30 inmutabilis *t*

nullo modo esse potuerunt; tempus autem quoniam mutabilitate transcurrit, aeternitati inmutabili non potest esse coaeternum. Ac per hoc etiamsi inmortalitas angelorum non transit in tempore, nec praeterita est quasi iam non sit, nec futura quasi nondum sit: tamen eorum motus, quibus tempora peraguntur, ex futuro in praeteritum transeunt, et ideo Creatori, in cuius motu dicendum non est uel fuisse quod iam non sit, uel futurum esse quod nondum sit, coaeterni esse non possunt.

Quapropter si Deus semper dominus fuit, semper habuit creaturam suo dominatui seruientem; uerum tamen non de ipso genitam, sed ab ipso de nihilo factam nec ei coaeternam; erat quippe ante illam, quamuis nullo tempore sine illa; non eam spatio transcurrente, sed manente perpetuitate praecedens. Sed hoc si respondero eis qui requirunt, quo modo semper creator, semper dominus fuit, si creatura seruiens non semper fuit; aut quo modo creata est et non potius creatori coaeterna est, si semper fuit: uereor ne facilius iudicer adfirmare quod nescio, quam docere quod scio. Redeo igitur ad id, quod creator noster scire nos uoluit; illa uero, quae uel sapientioribus in hac uita scire permisit uel omnino perfectis in alia uita scienda seruauit, ultra uires meas esse confiteor. Sed ideo putaui sine adfirmatione tractanda, ut qui haec legunt uideant, a quibus quaestionum periculis debeant temperare, nec ad omnia se idoneos arbitrentur potiusque intellegant quam sit apostolo obtemperandum praecipienti salubriter, ubi ait: Dico autem per gratiam Dei quae data est mihi omnibus qui sunt in uobis, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad temperantiam, unicuique

26 Rom. 12, 3

2 aeternitate *t* 4 nec futura q. nondum sit *om. t* 5 peragunt *V* 8 quo *l* 11 de ipso non *e* 12 genitum V^1 quoaēnā l^1 13 sine illam *t* nonne aspatio *l* 14 transcurrentem *t* 16 dominus fuerit *l* 19 ad quod *e* 25 intellegat *t* 26 praecipiendi *t* 27 dei *mss.; om. v* 28 inter uos *α α* 29 sicut unicuique *v*

sicut Deus partitus est mensuram fidei. Si enim pro uiribus suis alatur infans, fiet, ut crescendo plus capiat; si autem uires suae capacitatis excedat, deficiet antequam crescat.

CAPUT XVII.

Quo modo intellegenda sit promissa homini a Deo uita aeterna ante tempora aeterna.

Quae saecula praeterierint antequam genus institueretur humanum, me fateor ignorare; non tamen dubito nihil omnino creaturae Creatori esse coaeternum. Dicit etiam apostolus tempora aeterna, nec ea futura, sed, quod magis est mirandum, praeterita. Sic enim ait: In spem uitae aeternae, quam promisit non mendax Deus ante tempora aeterna; manifestauit autem temporibus suis uerbum suum. Ecce dixit retro quod fuerint tempora aeterna, quae tamen non fuerint Deo coaeterna, si quidem ille ante tempora aeterna non solum erat, uerum etiam promisit uitam aeternam, quam manifestauit temporibus suis, id est congruis, quid aliud quam Verbum suum? Hoc est enim uita aeterna. Quo modo autem promisit, cum hominibus utique promiserit, qui nondum erant ante tempora aeterna, nisi quia in eius aeternitate adque in ipso Verbo eius eidem coaeterno iam praedestinatione fixum erat, quod suo tempore futurum erat?

12 Tit. 1, 2 sq.

2 suis *om.* *t* 3 abscedat *l* 5 Cap. XVI *v* 8 praeterierunt *l* intueretur *t* 11 nec afutura *t* 12 spe *t* 20 nam quo modo ante promisit *p;* nam quomodo autem prom. *t* homo *t* 21 ante *om.* *t* ante temp. aet. nisi *om.* *l* quia] qui *a* in eius *mss.;* in ipsius *v* 22 eius Verbo *v*

CAPUT XVIII.

Quid de incommutabili consilio ac uoluntate Dei fides sana defendat contra ratiocinationes eorum, qui opera Dei ex aeternitate repetita per eosdem semper uolunt saeculorum redire circuitus.

Illud quoque non dubito, antequam homo primus creatus esset, numquam quemquam fuisse hominem; nec eundem ipsum nescio quibus circuitibus nescio quotiens reuolutum, nec alium aliquem natura similem. Neque ab hac fide me philosophorum argumenta deterrent, quorum acutissimum illud putatur, quod dicunt nulla infinita ulla scientia posse conprehendi; ac per hoc Deus, inquiunt, rerum quas facit omnium finitarum omnes finitas aput se rationes habet; bonitas autem eius numquam uacua fuisse credenda est, ne sit temporalis eius operatio, cuius retro fuerit aeterna cessatio, quasi paenituerit eum prioris sine initio uacationis ac propterea sit operis adgressus initium; et ideo necesse est, inquiunt, eadem semper repeti eademque semper repetenda transcurrere, uel manente mundo mutabiliter, qui licet numquam non fuerit et sine initio temporis tamen factus est, uel eius quoque ortu et occasu semper illis circuitibus repetito semperque repetendo; ne uidelicet, si aliquando primum Dei opera coepta dicuntur, priorem suam sine initio uacationem tamquam inertem ac desidiosam et ideo sibi displicentem damnasse quodam modo adque ob hoc mutasse credatur; si autem semper quidem temporalia, sed alia adque alia perhibetur operatus ac sic aliquando etiam ad hominem

1 Cap. XVII *v* 2 Quod *q* immutabili *p q* ac *V α;* aut *p q v* Dei *om. p* 4 Dei *om. p* 5 et semper *p* circumitus *v* 6 primus homo *v* primus *erasum in e* esset creatus ęternum quemquam *a* 7 hom. fuisse *v* 8. 20 circumitibus *v* 10 quod dicitur *b* 12 dš inquiunt dš *a* rerum finitarum finitas, *in marg.* omnes *a* fecit *e* et omnium *p* finitorum *p;* infinitorum *t;* infinitarum *e α f* 18 mente *t* 20 hortu et hoccasu *l* 21 repetitio *t* 22 praecepta *p t* dicuntur *mss.;* dicantur *v* 23 uacuatam tam inertem *p;* uacuati////tamquam *t* et ideo] *lacuna t* 24 ob hoc *om. p t α*

faciendum, quem numquam antea fecerat, peruenisse, non scientia, qua putant non posse quaecumque infinita conprehendi, sed quasi ad horam, sicut ueniebat in mentem, fortuita quadam inconstantia uideatur fecisse quae fecit. Porro si illi circuitus admittantur, inquiunt, quibus uel manente mundo uel ipso quoque reuolubiles ortus suos et occasus eisdem circuitibus inserente eadem temporalia repetuntur, nec ignauum otium, praesertim tam longae sine initio diuturnitatis, Deo tribuitur, nec inprouida temeritas operum suorum; quoniam si non eadem repetantur, non possunt infinita diuersitate uariata ulla eius scientia uel praescientia conprehendi.

Has argumentationes, quibus inpii nostram simplicem pietatem, ut cum illis in circuitu ambulemus, de uia recta conantur auertere, si ratio refutare non posset, fides inridere deberet. Huc accedit, quod in adiutorio Domini Dei nostri hos uolubiles circulos, quos opinio confingit, ratio manifesta confringit. Hinc enim maxime isti errant, ut in circuitu falso ambulare quam uero et recto itinere malint, quod mentem diuinam omnino inmutabilem, cuiuslibet infinitatis capacem et innumera omnia sine cogitationis alternatione numerantem, de sua humana mutabili angustaque metiuntur; et fit illis quod ait apostolus: Conparantes enim semet ipsos sibimet ipsis non intellegunt. Nam quia illis quidquid noui faciendum uenit in mentem, nouo consilio faciunt (mutabiles quippe mentes gerunt): profecto non Deum, quem cogitare non possunt, sed semet ipsos pro illo cogitantes, non illum, sed se ipsos, nec illi, sed sibi conparant. Nobis autem fas non est credere, aliter affici Deum cum uacat, aliter

14 Ps. 11, 9 23 2. Cor. 10, 12

2 quemcunque *t* 5 illic *e* circumit. *et sic semper v* 6 reuolutiles *l t;* reuolutile *e* 7 circuiti inserentes *t* 8 ignauium *t* 15 possit *l* 16 in aduentum *p;* in aduentu *in ras. t* . 17 confingit ratio] configuratio *t* 22 angustiaque *e* 28 conparantur *b* 29 Deum affici *v*

cum operatur; quia nec affici dicendus est, tamquam in eius natura fiat aliquid, quod ante non fuerit. Patitur quippe qui afficitur, et mutabile est omne quod aliquid patitur. Non itaque in eius uacatione cogitetur ignauia desidia inertia, sicut nec in eius opere labor conatus industria. Nouit quiescens agere et agens quiescere. Potest ad opus nouum non nouum, sed sempiternum adhibere consilium; nec paenitendo, quia prius cessauerat, coepit facere quod non fecerat. Sed et si prius cessauit et posterius operatus est (quod nescio quem ad modum ab homine possit intellegi): hoc procul dubio, quod dicitur prius et posterius, in rebus prius non existentibus et posterius existentibus fuit; in illo autem non alteram praecedentem altera subsequens mutauit aut abstulit uoluntatem, sed una eademque sempiterna et inmutabili uoluntate res, quas condidit, et ut prius non essent egit, quamdiu non fuerunt, et ut posterius essent, quando esse coeperunt, hinc eis, qui talia uidere possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit, sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex aeternitate initio carente in non minore beatitate permansit.

CAPUT XVIIII.

Contra eos, qui dicunt ea, quae infinita sunt, nec Dei posse scientia conprehendi.

Illud autem aliud quod dicunt, nec Dei scientia quae infinita sunt posse conprehendi: restat eis, ut dicere audeant adque huic se uoragini profundae inpietatis inmergant, quod non omnes numeros Deus nouerit. Eos quippe infinitos esse, certissimum est; quoniam in quocumque numero finem faciendum putaueris, idem ipse, non dico uno addito augeri, sed

1 quia nec *om. e* aff. dic.] afficiendus *e;* afficicendus *t* in eius *om. b* 2 non ante *r* quia *t* 4 utique, *in marg.* itaque, *e* cogitur *t* inhertia *t* 11 et posterius in rebus prius *om. e* 12 in illo autem fuit *t* 13 mutabit *e t* 14 sed *usque ad* uoluntate *om. l*¹ 17 hostendens *l* 18 indiguerunt *t* 19 beatitudine V¹ *e*² 28 fine *t*

quamlibet sit magnus et quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione adque scientia numerorum non solum duplicari, uerum etiam multiplicari potest. Ita uero suis quisque numerus proprietatibus terminatur, ut nullus eorum par esse cuicumque alteri possit. Ergo et dispares inter se adque diuersi sunt, et singuli quique finiti sunt, et omnes infiniti sunt. Itane numeros propter infinitatem nescit omnes Deus, et usque ad quandam summam numerorum scientia Dei peruenit, ceteros ignorat? Quis hoc etiam demen- tissimus dixerit? Nec audebunt isti contemnere numeros et eos dicere ad Dei scientiam non pertinere, aput quos Plato Deum magna auctoritate commendat mundum numeris fabricantem. Et aput nos Deo dictum legitur: Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti; de quo et propheta dicit: Qui profert numerose saeculum, et Saluator in euangelio: Capilli, inquit, uestri omnes numerati sunt. Absit itaque ut dubitemus, quod ei notus sit omnis numerus, cuius intellegentiae, sicut in psalmo canitur, non est numerus. Infinitas itaque numeri, quamuis infinitorum numerorum nullus sit numerus, non est tamen inconprehensibilis ei, cuius intellegentiae non est numerus. Quapropter si, quidquid scientia conprehenditur, scientis conprehensione finitur: profecto et omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia scientiae ipsius inconprehensibilis non est. Quare si infinitas numerorum scientiae Dei, qua conprehenditur, esse non potest infinita: qui tandem nos sumus homunculi, qui eius scientiae limites figere praesuma-

13 Sap. 11, 21 15 Esai. 40, 26 16 Mt. 10, 30 18 Ps. 146, 5

1 ingentem m. c. in ipsa *om. e* 2 in *om. t* 5 dispares//////adque *l* 7 infirmitatem V^1 9 etiam *om. V f* 12 numerum mundum, is *et transpositionis signis m. 1 superscriptis, V;* mundum numeris, *codd. excepto b, qui* numeris *omittit, v;* num. mundum *Domb.* 13 Et *om. b* Dno *e* 14 dicit et propheta *v* 15 numero *e l* 17 notus, *in marg.* ignotus, *e* 19 infinitus *V* 22 si] dī (= dei) *l* 23 inexfabili V^1 24 Deo *om.* l^1 *α f*

mus, dicentes quod, nisi eisdem circuitibus temporum eadem temporalia repetantur, non potest Deus cuncta quae facit uel praescire ut faciat, uel scire cum fecerit? cuius sapientia simpliciter multiplex et uniformiter multiformis tam inconprehensibili conprehensione omnia inconprehensibilia conprehendit, ut, quaecumque noua et dissimilia consequentia praecedentibus si semper facere uellet, inordinata et inprouisa habere non posset, nec ea prouideret ex proximo tempore, sed aeterna praescientia contineret.

CAPUT XX.

De saeculis saeculorum.

Quod utrum ita faciat, et continuata sibi conexione copulentur quae appellantur saecula saeculorum, alia tamen adque alia ordinata dissimilitudine procurrentia, eis dumtaxat, qui ex miseria liberantur, in sua beata inmortalitate sine fine manentibus; an ita dicantur saecula saeculorum, ut intellegantur saecula in sapientia Dei inconcussa stabilitate manentia istorum, quae cum tempore transeunt, tamquam efficientia saeculorum, definire non audeo. Fortassis enim possit dici saeculum, quae sunt saecula, ut nihil aliud perhibeatur saeculum saeculi quam saecula saeculorum, sicut nihil aliud dicitur caelum caeli quam caeli caelorum. Nam caelum Deus uocauit firmamentum super quod sunt aquae; et tamen psalmus: Et aquae, inquit, quae super caelos, laudent nomen Domini. Quid ergo istorum duorum sit, an praeter haec

23 Ps. 148, 4

2 facit *V e t α f;* fecit *a b l p v* 3 ut] quid *l* 4 simpliciter *m. 2 in* ueraciter *mutatum t* 6 dissimile *t* consequantur *l* 7 facere] eanere *t* et prouisa *b* 8 possit *l* prouideret *V a b e p*^{1} *t α f;* praeuideret *l p*^{2} *v* ex] e *b;* et *V* si ex *t* si proximo ex tempore *transpositione notata p;* 10 Cap. XVIIII *v* 12 ista *V* fiat, *in marg.* faciat, *e* 14 his *l* 15 liberentur *V*^{1} 21 in nihil *t* 23 insuper *t* quo super *e* 24 super caelos *V e t α;* sup. c. sunt *a b l p v*

duo aliquid aliud de saeculis saeculorum possit intellegi, profundissima quaestio est, neque hoc quod nunc agimus inpedit, si indiscussa interim differatur; siue aliquid in ea definire ualeamus, siue nos faciat cautiores diligentior ipsa tractatio, ne in tanta obscuritate rerum adfirmare temere aliquid audeamus. Nunc enim contra opinionem disputamus, qua illi circuitus adseruntur, quibus semper eadem per interualla temporum necesse esse repeti existimantur. Quaelibet autem illarum sententiarum de saeculis saeculorum uera sit, ad hos circuitus nihil pertinet; quoniam siue saecula saeculorum sint non eadem repetita, sed alterum ex altero conexione ordinatissima procurrentia, liberatorum beatitudine sine ullo recursu miseriarum certissima permanente, siue saecula saeculorum aeterna sint temporalium tamquam dominantia subditorum, circuitus illi eadem reuoluentes locum non habent, quos maxime refellit aeterna uita sanctorum.

CAPUT XXI.

De inpietate eorum, qui adserunt animas summae ueraeque beatitudinis participes iterum adque iterum per circuitus temporum ad easdem miserias laboresque redituras.

Quorum enim aures piorum ferant post emensam tot tantisque calamitatibus uitam (si tamen uita ista dicenda est, quae potius mors est, ita grauis, ut mors, quae ab hac liberat, mortis huius amore timeatur), post tam magna mala tamque multa et horrenda tandem aliquando per ueram religionem adque sapientiam expiata adque finita ita peruenire ad conspectum

15 Mt. 25, 46

3 si interimdiscussa *V* sine V^1 5 aliquid temere *v* 7 adseruntur *t* 10 sunt *e* 11 contexitne *V* 12 procurrenti *t* 14 circumitus *et sic semper v* 15 habentes maxima *V* 17 Cap. XX *v* 19 bereque *V* 21 lauoresque *V* 23 ista uita *v* 25 timeatur, *in marg.* non, *e* mala tamque] multamque *t*

Dei adque ita fieri beatum contemplatione incorporeae lucis per participationem inmutabilis inmortalitatis eius, cuius adipiscendae amore flagramus, ut eam quandoque necesse sit deseri et eos, qui deserunt, ab illa aeternitate ueritate felicitate deiectos tartareae mortalitati, turpi stultitiae, miseriis exsecrabilibus inplicari, ubi Deus amittatur, ubi odio ueritas habeatur, ubi per inmundas nequitias beatitudo quaeratur, et hoc itidem adque itidem sine ullo fine priorum et posteriorum certis interuallis et dimensionibus saeculorum factum et futurum; et hoc propterea, ut possint Deo circuitibus definitis euntibus semper adque redeuntibus per nostras falsas beatitudines et ueras miserias alternatim quidem, sed reuolutione incessabili sempiternas nota esse opera sua, quoniam neque a faciendo quiescere neque sciendo potest ea, quae infinita sunt, indagare? Quis haec audiat? quis credat? quis ferat? Quae si uera essent, non solum tacerentur prudentius, uerum etiam (ut quo modo ualeo dicam quod uolo) doctius nescirentur. Nam si haec illic in memoria non habebimus et ideo beati erimus, quur hic per eorum scientiam grauatur amplius nostra miseria? Si autem ibi ea necessario scituri sumus, hic saltem nesciamus, ut hic felicior sit expectatio quam illic adeptio summi boni; quando hic aeterna uita consequenda expectatur; ibi autem beata, sed non aeterna, quandoque amittenda cognoscitur.

Si autem dicunt neminem posse ad illam beatitudinem peruenire, nisi hos circuitus, ubi beatitudo et miseria uicissim alternant, in huius uitae eruditione cognouerit: quo modo

1 ita *om. t* 3 amore *om. e* quando *l* 6 hodio *t* ueritatis *l* 7 et huc *V* 9 factum futurum, *in marg.* est, *e* 10 *in l uerba* et hoc ... *usque ad* ... falsae beatitudinis *p. 603, 10 hic omissa et inserto folio suppleta infra p. 607, 5 post* consecutus *exstant ibique lineolis deleta sunt* definitis ... redeuntibus *om, e* 14 potest *V a e l p;* possit *v* potest ea] postea *a b* 15 indagare] inuenire *l* ferat quis credat *t* 18 memoriam *t* habuerimus *V;* habemus *e* 19 et cur *a* amplius *om. a* 20 ibia V^1 24 ammit. *t*

ergo fatentur, quanto plus quisque amauerit Deum, tanto eum facilius ad beatitudinem peruenturum, qui ea docent, quibus amor ipse torpescat? Nam quis non remissius et tepidius amet eum, quem se cogitat necessario deserturum et contra eius ueritatem sapientiamque sensurum, et hoc cum ad eius plenam pro sua capacitate notitiam beatitudinis perfectione peruenerit? quando nec hominem amicum possit quisque amare fideliter, cui se futurum nouit inimicum. Sed absit ut uera sint, quae nobis minantur ueram miseriam numquam finiendam, sed interpositionibus falsae beatitudinis saepe ac sine fine rumpendam. Quid enim illa beatitudine falsius adque fallacius, ubi nos futuros miseros aut in tanta ueritatis luce nesciamus aut in summa felicitatis arce timeamus? Si enim uenturam calamitatem ignoraturi sumus, peritior est hic nostra miseria, ubi uenturam beatitudinem nouimus; si autem nos illic clades inminens non latebit, beatius tempora transigit anima misera, quibus transactis ad beatitudinem subleuetur, quam beata, quibus transactis in miseriam reuoluatur. Adque ita spes nostrae infelicitatis est felix et felicitatis infelix. Unde fit, ut, quia hic mala praesentia patimur, ibi metuimus inminentia, uerius semper miseri quam beati aliquando esse possimus.

Sed quoniam haec falsa sunt clamante pietate, conuincente ueritate (illa enim nobis ueraciter promittitur uera felicitas, cuius erit semper retinenda et nulla infelicitate rumpenda certa securitas): uiam rectam sequentes, quod nobis est Christus, eo duce ac saluatore a uano et inepto inpiorum circuitu iter fidei mentemque auertamus. Si enim de istis circuitibus et sine cessatione alternantibus itionibus et reditionibus animarum Porphyrius Platonicus suorum opinionem

1 tanta *t* 8 nouit *V a b*^{1} *e l p t α f*; nouerit *b*^{2} *v* 11 ac *a* 20 praescientia *t* 21 imminentiam *t* 25 eius *l* 26 quod *codd. praeter p*; quae *p v* 27 ac] ex *l* 28 mente tenensque *t* 29 rectionibus *b* 30 Porph.] proprius *a*, *superscripto* plotinus *b* opinione *a t*; opiniones *α*

sequi noluit, siue ipsius rei uanitate permotus siue iam tempora Christiana reueritus, et, quod in libro decimo commemoraui, dicere maluit animam propter cognoscenda mala traditam mundo, ut ab eis liberata adque purgata, cum ad Patrem redierit, nihil ulterius tale patiatur: quanto magis nos istam inimicam Christianae fidei falsitatem detestari ac deuitare debemus! His autem circuitibus euacuatis adque frustratis nulla necessitas nos conpellit ideo putare non habere initium temporis ex quo esse coeperit genus humanum, quia per nescio quos circuitus nihil sit in rebus noui, quod non et antea certis interuallis temporum fuerit et postea sit futurum. Si enim liberatur anima non reditura ad miserias, sicut numquam antea liberata est, fit in illa aliquid, quod antea numquam factum est, et hoc quidem ualde magnum, id est quae numquam desinat aeterna felicitas. Si autem in natura immortali fit tanta nouitas nullo repetita, nullo repetenda circuitu, quur in rebus mortalibus fieri non posse contenditur? Si dicunt non fieri in anima beatitudinis nouitatem, quoniam ad eam reuertitur, in qua semper fuit, ipsa certe liberatio noua fit, cum de miseria liberatur in qua numquam fuit, et ipsa miseriae nouitas in ea facta est quae numquam fuit. Haec autem nouitas si non in rerum, quae diuina prouidentia gubernantur, ordinem uenit, sed casu potius euenit, ubi sunt illi determinati dimensique circuitus, in quibus nulla noua fiunt, sed repetuntur eadem quae fuerunt? Si autem et haec nouitas ab ordinatione prouidentiae non excluditur, siue data sit anima siue lapsa sit: possunt fieri noua, quae neque antea

2 c. 30

1 sequi noluit *om. a* quantitate *t;* quā|titate *litteris in corrosa membrana rescriptis V* 2 xp̄i ueritas *t* 3 animum *t* 5 patiebatur *t* 8 habere] debere *t* 9 temporis *om. a* coepit *a* qua *t* 14 magnum *om. l*¹ 15 numquam quam *t* mortali *l* 18 in *om. t* 19 ad eam] eadem *l* 22 quem *b* gubernatur *b* 23 ordinem *V b l v;* ordine *e p t α f* ueniunt *l* 24 mensique *l* nulla *om. l*¹ 27 siuelabsit *l*¹

facta sint nec tamen a rerum ordine aliena sint. Et si potuit anima per inprudentiam facere sibi nouam miseriam, quae non esset inprouisa diuinae prouidentiae, ut hanc quoque in rerum ordine includeret et ab hac eam non inprouide libera- ret: qua tandem temeritate humanae uanitatis audemus negare diuinitatem facere posse res, non sibi, sed mundo nouas. quas neque antea fecerit nec umquam habuerit inprouisas? Si autem dicunt liberatas quidem animas ad miseriam non reuersuras, sed cum hoc fit in rebus nihil noui fieri, quoniam semper aliae adque aliae liberatae sunt et liberantur et libera- buntur: hoc certe concedunt, si ita est, nouas animas fieri, quibus sit et noua miseria et noua liberatio. Nam si antiquas eas esse dicunt et retrorsum sempiternas, ex quibus cottidie noui fiant homines, de quorum corporibus, si sapienter uixe- rint, ita liberentur, ut numquam ad miserias reuoluantur. consequenter dicturi sunt infinitas. Quantuslibet namque finitus numerus fuisset animarum, infinitis retro saeculis sufficere non ualeret, ut ex illo semper homines fierent, quorum essent animae ab ista semper mortalitate liberandae, numquam ad eam deinceps rediturae. Nec ullo módo explicabunt, quo modo in rebus, quas, ut Deo notae esse possint, finitas uolunt, in- finitus sit numerus animarum.

Quapropter quoniam circuitus illi iam explosi sunt, quibus ad easdem miserias necessario putabatur anima reditura: quid restat conuenientius pietati quam credere non esse inpossibile Deo et ea, quae numquam fecerit, noua facere et ineffabili prae- scientia uoluntatem mutabilem non habere? Porro autem utrum animarum liberatarum nec ulterius ad miserias rediturarum numerus possit semper augeri, ipsi uiderint, qui de rerum in-

1 sunt *t* 2 facere per imprud. *v* 4 ordine *usque ad* eam non *om. t* eam *ex* enim *corr. V* inprouida *V* 5 uanitas *t* 8 animas liberatas quidem *p* miserias *α* 11 concedant *e v* 13 dicunt esse *v* 14 de] sed *e* de quorum] decorum *t* 18 fierent homines *v* 21 exse *V*[1] possunt *V* 24 putatur *V* 25 conueniens *b* 29 semper *om. V*[1]; tempore *t*

finitate cohibenda tam subtiliter disputant; nos uero ratiocinationem nostram ex utroque latere terminamus. Si enim potest, quid causae est, ut negetur creari potuisse quod numquam antea creatum esset, si liberatarum animarum numerus, qui numquam antea fuit, non solum factus est semel, sed fieri numquam desinet? Si autem oportet ut certus sit liberatarum aliquis numerus animarum, quae ad miseriam numquam redeant, neque iste numerus ulterius augeatur: etiam ipse sine dubio, quicumque erit, ante utique numquam fuit; qui profecto crescere et ad suae quantitatis terminum peruenire sine aliquo non posset initio; quod initium eo modo antea numquam fuit. Hoc ergo ut esset, creatus est homo, ante quem nullus fuit.

CAPUT XXII.

De conditione unius primi hominis adque in eo generis humani.

Hac igitur quaestione difficillima propter aeternitatem Dei noua creantis sine nouitate aliqua uoluntatis, quantum potuimus, explicata non est arduum uidere multo fuisse melius quod factum est, ut ex uno homine, quem primum condidit, multiplicaret genus humanum, quam si id incohasset a pluribus. Nam cum animantes alias solitarias et quodam modo soliuagas, id est, quae solitudinem magis adpetant, sicuti sunt aquilae milui, leones lupi et quaecumque ita sunt, alias congreges instituerit, quae congregatae adque in gregibus malint uiuere, ut sunt columbi sturni, cerui damulae et cetera huius modi: utrumque tamen genus non ex singulis propagauit, sed plura simul iussit existere. Hominem uero,

1 subpliciter *t* 3 utegatur, *in marg.* n, *b* 4 est *α* animarum *om. b* numquam antea non *V* 5 nunquam fieri *v* 8 alterius *t* 11 posset *V e p t α;* possit *a b l v* 14 Cap. XXI *v* 21 multiplicare *t* 22 quodadmodo *t* 23 adpetunt secuti *t* 25 alias graeges *V;* alia congreges *l* 26 sturni, *in marg.* *t* sturdi, *a* dammulae *V e;* danimulae *t* 27 tamen *om. α*

cuius naturam quodam modo mediam inter angelos bestiasque condebat, ut, si Creatori suo tamquam uero domino subditus praeceptum eius pia oboedientia custodiret, in consortium transiret angelicum, sine morte media beatam inmortalitatem absque ullo termino consecutus; si autem Dominum Deum suum lĭbera uoluntate superbe adque inoboedienter usus offenderet, morti addictus bestialiter uiueret, libidinis seruus aeternoque post mortem supplicio destinatus, unum ac singulum creauit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo uehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas uinculumque concordiae, si non tantum inter se naturae similitudine, uerum etiam cognationis affectu homines necterentur; quando ne ipsam quidem feminam copulandam uiro sicut ipsum creare illi placuit, sed ex ipso, ut omnino ex homine uno diffunderetur genus humanum.

CAPUT XXIII.

Quod praescierit Deus hominem, quem primum condidit, peccaturum simulque praeuiderit, quantum piorum populum ex eius genere in angelicum consortium sua esset gratia translaturus.

Nec ignorabat Deus hominem peccaturum et morti iam obnoxium morituros propagaturum eoque progressuros peccandi inmanitate mortales, ut tutius adque pacatius inter se rationalis uoluntatis expertes bestiae sui generis uiuerent, quarum ex aquis et terris plurium pullulauit exordium, quam homines, quorum genus ex uno est ad commendandam concordiam propagatum. Neque enim umquam inter se leones aut inter

1 quodadmodo *t* 5 termino] tempore *l* consecuturus *lp*^{2}*α*; consecuturū *e* nisi *t* 12 cognitionis effectu *ab* 13 nec ipsam *abptv* 14 uiri *t* illi *sup. lin. V* 15 omnino *Velptαf*; omne *av* hominem *b* uno *om. α* 17 Cap. XXII *v* 18 Deus *om. p* primum deus *p* 20 populorū *p* 21 essent *p* transituros *p* 24 capacius *e* rationali *V* 25 sue *e*^{1} 26 plurium *Vlv*; plurimum *abeptαf*

se dracones, qualia homines, bella gesserunt. Sed praeuidebat etiam gratia sua populum piorum in adoptionem uocandum remissisque peccatis iustificatum Spiritu sancto sanctis angelis in aeterna pace sociandum, nouissima inimica morte destructa; cui populo esset huius rei consideratio profutura, quod ex uno homine Deus ad commendandum hominibus, quam ei grata sit etiam in pluribus unitas, genus instituisset humanum.

CAPUT XXIIII.

De natura humanae animae creatae ad imaginem Dei.

Fecit ergo Deus hominem ad imaginem suam. Talem quippe illi animam creauit, qua per rationem adque intellegentiam omnibus esset praestantior animalibus terrestribus et natatilibus et uolatilibus, quae mentem huius modi non haberent. Et cum uirum terreno formasset ex puluere eique animam qualem dixi siue quam iam fecerat sufflando indidisset siue potius sufflando fecisset eumque flatum, quem sufflando fecit (nam quid est aliud sufflare quam flatum facere?), animam hominis esse uoluisset, etiam coniugem illi in adiutorium generandi ex eius latere osse detracto fecit, ut Deus. Neque enim haec carnali consuetudine cogitanda sunt, ut uidere solemus opifices ex materia quacumque terrena corporalibus membris, quod artis industria potuerint, fabricantes. Manus Dei potentia Dei est, qui etiam uisibilia inuisibiliter operatur. Sed haec fabulosa potius quam uera esse arbitrantur, qui uirtutem ac sapientiam Dei, qua nouit et potest etiam sine seminibus ipsa certe facere semina, ex his usitatis et cottidianis metiuntur operibus; ea uero, quae primitus instituta sunt, quoniam non nouerunt, infideliter cogitant; quasi non haec ipsa, quae

2 adoptione *t* 5 esse *t* 9 Cap. XXIII *v* 13 illi *om. l*¹ 14 animabus *V* 18 nam *usque ad* hominis *om. l* 20 uoluisse/, t *eraso, e* in] ad *t* adiutorio *l* 21 os *l* 24 potuerunt *l p t* 25 Dei *om. p* qui] qua *p* 27 nobit *t* 28 ista facere *omisso* certe *p t* 29 uea *V*

nouerunt de humanis conceptibus adque partubus, si inexpertis narrarentur, incredibiliora uiderentur; quamuis et ea ipsa plerique magis naturae corporalibus causis quam operibus diuinae mentis adsignent.

CAPUT XXV.

An ullius uel minimae creaturae possint dici angeli creatores.

Sed cum his nullum nobis est in his libris negotium, qui diuinam mentem facere uel curare ista non credunt. Illi autem qui Platoni suo credunt non ab illo summo Deo, qui fabricatus est mundum, sed ab aliis minoribus, quos quidem ipse creauerit, permissu siue iussu eius animalia facta esse cuncta mortalia, in quibus homo praecipuum disque ipsis cognatum teneret locum, si superstitione careant, qua quaerunt unde iuste uideantur sacra et sacrificia facere quasi conditoribus suis, facile carebunt etiam huius opinionis errore. Neque enim fas est ullius naturae quamlibet minimae mortalisque creatorem nisi Deum credere ac dicere, et antequam possit intellegi. Angeli autem, quos illi deos libentius appellant, etiamsi adhibent uel iussi uel permissi operationem suam rebus quae gignuntur in mundo, tam non eos dicimus creatores animalium, quam nec agricolas frugum adque arborum.

CAPUT XXVI.

Omnem naturam et omnem speciem uniuersae creaturae non nisi opere Dei fieri adque formari.

Cum enim alia sit species, quae adhibetur extrinsecus cuicumque materiae corporali, sicut operantur homines figuli et

10 Tim. p. 41, C

1 partibus V^1 *t* 4 menti *t* 5 Cap. XXIIII *v* 13 praecipuumdisque *V* 14 superstitutione *l* 15 sacra et *om. t* 21 tam non $V e^1 l f$; iam non *t* α; tamen non *a b* e^2 *p*; tamen tam non *v* 25 fieri adque *V* α; *om. p q v*

fabri adque id genus opifices, qui etiam pingunt et effingunt formas similes corporibus animalium; alia uero, quae intrinsecus efficientes causas habet de secreto et occulto naturae uiuentis adque intellegentis arbitrio, quae non solum naturales corporum species, uerum etiam ipsas animantium animas, dum non fit, facit: supra dicta illa species artificibus quibusque tribuatur; haec autem altera non nisi uni artifici, creatori et conditori Deo, qui mundum ipsum et angelos sine ullo mundo et sine ullis angelis fecit. Qua enim ui diuina et, ut ita dicam, effectiua, quae fieri nescit, sed facere, accepit speciem, cum mundus fieret, rutunditas caeli et rutunditas solis: eadem ui diuina et effectiua, quae fieri nescit, sed facere, accepit speciem rutunditas oculi et rutunditas pomi et ceterae figurae naturales, quas uidemus in rebus quibusque nascentibus non extrinsecus adhiberi, sed intima Creatoris potentia, qui dixit: Caelum et terram ego inpleo, et cuius sapientia est, quae adtingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suauiter. Proinde facti primitus angeli cuius modi ministerium praebuerint Creatori cetera facienti nescio; nec tribuere illis audeo quod forte non possunt, nec debeo derogare quod possunt. Creationem tamen conditionemque omnium naturarum, qua fit ut omnino naturae sint, eis quoque fauentibus illi Deo tribuo, cui se etiam ipsi debere quod sunt cum gratiarum actione nouerunt. Non solum igitur agricolas non dicimus fructuum quorumque creatores, cum legamus: Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; sed ne ipsam quidem terram, quamuis mater omnium fecunda uideatur, quae germinibus erumpentia promouet et fixa radici-

16 Hierem. 23, 24 17 Sap. 8, 1 26 1. Cor. 3, 7

1 etiam qui *p* at effing. *a* 3 occultato *V* 9 mundo| modo *t* 10 facit *t* 11 cum *usque ad* speciem *l. 13 om. e* 11 *sqq.* rutunditas *V* α^1*;* rotund. *a b l p t* 13 rutundas oculi et rutundas pomi *e* 18 sua suauiter *t;* sapienter *V* 20 ne *t* 22 tamen *om.* l^1 qua fuit *t* 23 fabentibus *V* illis *V* 26 creatoris *t*

bus continet, cum itidem legamus: Deus illi dat corpus quo modo uoluerit et unicuique seminum proprium corpus. Ita nec feminam sui puerperii creatricem appellare debemus, sed potius illum qui cuidam famulo suo dixit: Priusquam te formarem in utero, noui te. Et quamuis anima sic uel sic affecta praegnantis ualeat aliquibus uelut induere qualitatibus fetum, sicut de uirgis uariatis fecit Iacob, ut pecora colore uaria gignerentur: naturam tamen illam, quae gignitur, tam ipsa non fecit, quam nec ipsa se fecit. Quaelibet igitur corporales uel seminales causae gignendis rebus adhibeantur, siue operationibus angelorum aut hominum aut quorumque animalium siue marium feminarumque mixtionibus; quaelibet etiam desideria motusue animae matris ualeant aliquid liniamentorum aut colorum aspergere teneris mollibusque conceptibus: ipsas omnino naturas, quae sic uel sic in suo genere afficiantur, non facit nisi summus Deus, cuius occulta potentia cuncta penetrans incontaminabili praesentia facit esse quidquid aliquo modo est, in quantumcumque est; quia nisi faciente illo non tale uel tale esset, sed prorsus esse non posset. Quapropter si in illa specie, quam forinsecus corporalibus opifices rebus inponunt, urbem Romam et urbem Alexandriam non fabros et architectos, sed reges, quorum uoluntate consilio imperio fabricatae sunt, illam Romulum, illam Alexandrum habuisse dicimus conditores: quanto potius non nisi Deum debemus conditorem dicere naturarum, qui neque ex ea materia facit aliquid, quam ipse non fecerit, nec operarios habet, nisi quos

1 ib. 15, 38 5 Hierem. 1, 5 8 Gen. 30, 37

4 suo famulo *v* 6 si uel *t* ualeat] uolent *b* 7 sicut] uelut *b* 8 colore uario *p t;* uario colore *α;* colere uaria *cum transpositionis nota a* natura tam. illa *t* illum *b* 9 tam *om. b* quam ... fecit *om. b* 10 quālibet *b* uel seminales *om. b* gignentibus *α* 12 quorumcumque *b* feminarum *om. b* commixtionibus *b* 13 desideriū *e* 14 lineam. *v* 17 praescientia *l* 18 quantumque b^1 19 u ale *om. b* esset] esse *V t* possit *l* 20 qua *t* 24 condit. debemus 26 quod ipse *b*

ipse creauerit; et si potentiam suam, ut ita dicam, fabricatoriam rebus subtrahat, ita non erunt, sicut ante quam fierent non fuerunt. Sed ante dico aeternitate, non tempore. Quis enim alius creator est temporum, nisi qui fecit ea, quorum motibus currerent tempora?

CAPUT XXVII.

De Platonicorum opinione, qua putauerunt angelos quidem a Deo conditos, sed ipsos esse humanorum corporum conditores.

Ita sane Plato minores et a summo Deo factos deos effectores esse uoluit animalium ceterorum, ut inmortalem partem ab ipso sumerent, ipsi uero mortalem adtexerent. Proinde animarum nostrarum eos creatores noluit esse, sed corporum. Unde quoniam Porphyrius propter animae purgationem dicit corpus omne fugiendum simulque cum suo Platone aliisque Platonicis sentit eos, qui inmoderate adque inhoneste uixerint, propter luendas poenas ad corpora redire mortalia, Plato quidem etiam bestiarum, Porphyrius tantummodo ad hominum: sequitur eos, ut dicant deos istos, quos a nobis uolunt quasi parentes et conditores nostros coli, nihil esse aliud quam fabros conpedum carcerumue nostrorum, nec institutores, sed inclusores adligatoresque nostros ergastulis aerumnosis et grauissimis uinculis. Aut ergo desinant Platonici poenas animarum ex istis corporibus comminari, aut eos nobis deos colendos non praedicent, quorum in nobis operationem, ut quantum possumus fugiamus et euadamus, hortantur, cum

10 Tim. 41, C

1 tuam *b* 2 subtraha/t, n *eras.*, *V*; subtrahas *b* 5 current *t* 6 Cap. XXVI *v* 10 sed a *l* 11 ut, *superscripto m. 1* et, *V* 12 adtexerent, *in marg.* attingerent, *l* 13 esse noluit *v* 15 omne corpus *v* simulque supplicatione aliisque inhoneste uixerunt (*sic!*) *b* 16 sentit ut *V α*; sentiunt *p t* ac *v* uixerunt *a* 18 etiam bestiarum *V b l t*; bestiarum etiam *e*; etiam ad bestiarum *a p v* 21 carcerumq. *V* 22 sed *om. b*

tamen sit utrumque falsissimum. Nam neque ita luunt poenas animae, cum ad istam uitam denuo reuoluuntur, et omnium uiuentium siue in caelo siue in terra nullus est conditor, nisi a quo facta sunt caelum et terra. Nam si nulla causa est uiuendi in hoc corpore nisi propter pendenda supplicia: quo modo dicit idem Plato aliter mundum fieri non potuisse pulcherrimum adque optimum, nisi omnium animalium, id est et inmortalium et mortalium, generibus inpleretur? Si autem nostra institutio, qua uel mortales conditi sumus, diuinum munus est: quo modo poena est ad ista corpora, id est ad diuina beneficia, remeare? Et si Deus, quod adsidue Plato commemorat, sicut mundi uniuersi, ita omnium animalium species aeterna intellegentia continebat: quo modo non ipse cuncta condebat? An aliquorum esse artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis eius et ineffabiliter laudabilis mens haberet?

CAPUT XXVIII.

In primo homine exortam fuisse omnem plenitudinem generis humani, in qua praeuiderit Deus, quae pars honoranda esset praemio, quae damnanda supplicio.

Merito igitur uera religio, quem mundi uniuersi, eum animalium quoque uniuersorum, hoc est et animarum et corporum, conditorem agnoscit et praedicat. In quibus terrenis praecipuus ab illo ad eius imaginem homo propter eam causam, quam dixi, et si qua forte alia maior latet, factus est unus, sed non relictus est solus. Nihil enim est quam hoc

5 Tim. 92, B

3 in terram *V* 4 etsi *e* est causa *a* 7 id est etiam mortalium generibus *(sic!) b* 8 et inmort. *V e l p t;* et *om. a v* et mortalium *om. l* 9 uel qua *e* 11 deos *t* 12 uniuersi mundi *v* 17 Cap. XXVII *v* 19 praeuiderit *V q;* prouiderit *p;* praeuidit *v* 22 uera est *p* ueram eligo *b* quem *V a b*^{1} *e l t α f;* quae *b*^{2} *p Dübn.; om. v* 24 cognoscit *p*

genus tam discordiosum uitio, tam sociale natura. Neque commodius contra uitium discordiae uel cauendum ne existeret, uel sanandum cum extitisset, natura loqueretur humana, quam recordationem illius parentis, quem propterea Deus creare uoluit unum, de quo multitudo propagaretur, ut hac admonitione etiam in multis concors unitas seruaretur. Quod uero femina illi ex eius latere facta est, etiam hic satis significatum est quam cara mariti et uxoris debeat esse coniunctio. Haec opera Dei propterea sunt utique inusitata, quia prima. Qui autem ista non credunt, nulla facta prodigia debent credere; neque enim et ipsa, si usitato naturae curriculo gignerentur, prodigia dicerentur. Quid autem sub tanta gubernatione diuinae prouidentiae, quamuis eius causa lateat, frustra gignitur? Ait quidam psalmus sacer: Venite et uidete opera Domini, quae posuit prodigia super terram. Quur ergo ex latere uiri femina facta sit, et hoc primum quodam modo prodigium quid praefigurauerit, dicetur alio loco, quantum me Deus adiuuerit.

Nunc quoniam liber iste claudendus est, in hoc [primo] homine, qui primitus factus est, nondum quidem secundum euidentiam, iam tamen secundum Dei praescientiam exortas fuisse existimemus in genere humano societates tamquam ciuitates duas. Ex illo enim futuri erant homines, alii malis angelis in supplicio, alii bonis in praemio sociandi, quamuis occulto Dei iudicio, sed tamen iusto. Cum enim scriptum sit: Uniuersae uiae Domini misericordia et ueritas: nec iniusta eius gratia nec crudelis potest esse iustitia.

14 Ps. 45, 9 25 Ps. 24, 10

1 neque enim *t* 7 illi *om. t* hic *V e l p t α;* hinc *a b v* 9 utrique *V* 12 quis *V t* 16 est *t* primum, *in marg.* ipsū, *e* 17 quodadmodo *t* dicetur *V e l p α;* alio loco q. m. d. adiuuerit dicam *a b v* 19 primo *om. V* 20 secundum *om. b* 21 Dei *om. l* praesentiam *b* exhortas fuisse exhistimemus *l* 23 alii in malis angelis alii in supplitio *b* 24 sociandis *e* EXPL. LIB. XII. AURELI AUGUSTINI INCIP. LIBER XIII. *V*

LIBER XIII.

CAPUT I.

De lapsu primorum hominum, per quem est contracta mortalitas.

Expeditis de nostri saeculi exortu et de initio generis humani difficillimis quaestionibus nunc iam de lapsu primi hominis, immo primorum hominum, et de origine ac propagine mortis humanae disputationem a nobis institutam rerum ordo deposcit. Non enim eo modo, quo angelos, condiderat Deus homines, ut etiam si peccassent mori omnino non possent; sed ita ut perfunctos oboedientiae munere sine interuentu mortis angelica inmortalitas et beata aeternitas sequeretur; inoboedientes autem mors plecteret damnatione iustissima; quod etiam in libro superiore iam diximus.

CAPUT II.

De ea morte, quae animae semper utcumque uicturae accidere potest, et ea, cui corpus obnoxium est.

Sed de ipso genere mortis uideo mihi paulo diligentius disserendum. Quamuis enim anima humana ueraciter inmortalis perhibeatur, habet tamen quandam etiam ipsa mortem suam. Nam ideo dicitur inmortalis, quia modo quodam quantulocumque non desinit uiuere adque sentire; corpus autem ideo mortale, quoniam deseri omni uita potest nec per se ipsum aliquatenus uiuit. Mors igitur animae fit, cum eam

14 c. 21

3 primorum hominum *V p q;* primi hominis *v* 8 humana V^1 disputatione *V;* dispositionem *b* instituta/. m *eraso*, *V;* institutus *l* 9 quo *om. b* 10 si non pecc. *b* omnino mori *b* ut *om. l* 12 inmutabilitas *a b* 20 hum. anima *v* 21 perhibeatur *usque ad* dicitur inmortalis *om. p; ad explendam sententiam in margine m. 2* sit etiam *om. l* 22 quodam *om. V* 23 sentire] sustinere *b* 25 aliquan|tinus *l*

deserit Deus, sicut corporis, cum id deserit anima. Ergo utriusque rei, id est totius hominis, mors est, cum anima Deo deserta deserit corpus. Ita enim nec ex Deo uiuit ipsa nec corpus ex ipsa. Huius modi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem diuinorum eloquiorum appellat auctoritas. Hanc Saluator significauit, ubi ait: Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Quod cum ante non fiat, quam cum anima corpori sic fuerit copulata, ut nulla diremtione separentur: mirum uideri potest quo modo corpus ea morte dicatur occidi, qua non anima deseritur, sed animatum sentiensque cruciatur. Nam in illa ultima poena ac sempiterna, de qua suo loco diligentius disserendum est, recte mors animae dicitur, quia non uiuit ex Deo; mors autem corporis quonam modo, cum uiuat ex anima? Non enim aliter potest ipsa corporalia, quae post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta. An quia uita qualiscumque aliquod bonum est, dolor autem malum, ideo nec uiuere corpus dicendum est, in quo anima non uiuendi causa est, sed dolendi? Viuit itaque anima ex Deo, cum uiuit bene; non enim potest bene uiuere nisi Deo in se operante quod bonum est; uiuit autem corpus ex anima, cum anima uiuit in corpore, seu uiuat ipsa seu non uiuat ex Deo. Inpiorum namque in corporibus uita non animarum, sed corporum uita est; quam possunt eis animae etiam mortuae, hoc est Deo deserente, quantulacumque propria uita, ex qua et inmortales sunt, non desistente, conferre. Verum in damnatione nouissima quamuis homo sentire non desinat, tamen, quia sensus ipse nec uoluptate suauis nec quiete salubris,

5 Apoc. 2, 11; 21, 8 6 Mt. 10, 28

1 defecerit *V* 3 deo *V b l p α f;* a deo *a v* 8 gehenna *V e* 10 corpus *om. l*¹ 11 quia *b* anima *V a e l p t;* in anima *b;* ab anima *v* 12 ultima poena *V;* poena ult. *rell. v* 13 diligentius suo loco *v* 14 quo modo *b* 15 potef (= poterit) ef *m. 2 in ras. e* 21 operante in se *v* 22 seu *ante* uiuat *ex* sed *corr. V* 25 deo deserente *l p;* deo desertae *rell. Domb.;* a Deo desertae *v* e qua *p* 26 et] etiam *V e p* mortales *p*

sed dolore poenalis est, non inmerito mors est potius appellata quam uita. Ideo autem secunda, quia post illam primam est, qua fit cohaerentium diremtio naturarum, siue Dei et animae siue animae et corporis. De prima igitur corporis morte dici potest, quod bonis bona sit, malis mala; secunda uero sine dubio sicut nullorum bonorum est, ita nulli bona.

CAPUT III.

Utrum mors, quae per peccatum primorum hominum in omnes homines pertransiit, etiam in sanctis poena peccati sit.

Non autem dissimulanda nascitur quaestio, utrum re uera mors, qua separantur anima et corpus, bonis sit bona; quia si ita est, quo modo poterit obtineri, quod etiam ipsa sit poena peccati? Hanc enim primi homines, nisi peccauissent, perpessi utique non fuissent. Quo pacto igitur bona esse possit bonis, quae accidere non posset nisi malis? Et rursus si non nisi malis posset accidere, non deberet bonis bona esse, sed nulla. Quur enim esset ulla poena in quibus non essent ulla punienda? Quapropter fatendum est primos quidem homines ita fuisse institutos, ut, si non peccassent, nullum mortis experirentur genus; sed eosdem primos peccatores ita fuisse morte multatos, ut etiam quidquid de eorum stirpe esset exortum eadem poena teneretur obnoxium. Non enim aliud ex eis, quam quod ipsi fuerant, nasceretur. Pro magnitudine quippe culpae illius naturam damnatio mutauit in peius, ut, quod poenaliter praecessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus ceteris. Neque enim ita homo ex homine, sicut homo ex puluere. Puluis namque

5 bona malis mala sit *a* 10 in *V; om. p q α v* 13 qua *V* 16 Quo igitur pacto *v* 17 et rursus *p;* sed rursus *rell. v Domb.* 22 primos *om. a*[1] ita morte fuisse *b* 23 de eorum *p v;* de *om. rell. Domb.* 24 eadem poena *mss.;* eidem poenae *v* 25 nascere/tur, n *eraso, V* 26 culpae *om. e*

homini faciendo materies fuit, homo autem homini gignendo parens. Proinde quod est terra, non hoc est caro, quamuis ex terra facta sit caro; quod est autem parens homo, hoc est et proles homo. In primo igitur homine per feminam in progeniem transiturum uniuersum genus humanum fuit, quando illa coniugum copula diuinam sententiam suae damnationis excepit; et quod homo factus est, non cum crearetur, sed cum peccaret et puniretur, hoc genuit, quantum quidem adtinet ad peccati et mortis originem. Non enim ad infantilem hebetudinem et infirmitatem animi et corporis, quam uidemus in paruulis, peccato uel poena ille redactus est (quae Deus uoluit esse tamquam primordia catulorum, quorum parentes in bestialem uitam mortemque deiecerat; sicut enim scriptum est: Homo in honore cum esset, non intellexit; conparatus est pecoribus non intellegentibus et similis factus est illis; nisi quod infantes infirmiores etiam cernimus in usu motuque membrorum et sensu adpetendi adque uitandi, quam sunt aliorum tenerrimi fetus animalium; tamquam se tanto adtollat excellentius supra cetera animantia uis humana, quanto magis inpetum suum, uelut sagitta cum arcus extenditur, retrorsum reducta distulerit); — non ergo ad ista infantilia rudimenta praesumtione inlicita et damnatione iusta prolapsus uel inpulsus est primus homo; sed hactenus in eo natura humana uitiata adque mutata est, ut repugnantem pateretur in membris inoboedientiam concupiscendi et obstringeretur necessitate moriendi, adque ita id, quod uitio poenaque factus est, id est obnoxios peccato mortique generaret. A quo peccati uinculo si per Mediatoris Christi gratiam soluuntur infantes, hanc solam mortem per-

14 Ps. 48, 13

3 autem est *e* 6 illa *om. e* copulam *V* 11 quae noluit, *omisso* Deus, *V* 13 mortalemque *l* enim *V b e p α f Domb.; om. a l v* 14 cum in hon. *v* 16 illis *a b p v; om. V*[1]; eis *V*[2] *e l Domb.* 17 sicut cernimus *e* 18 sint *l* 21 et retrorsum *l* 22 inl. et damn. *om. l* 23 uel inpulsus *sup. lin. e* 29 Christi *V e; om. a b l p v* solbuntur *V*[1]

peti possunt, quae animam seiungit a corpore; in secundam uero illam sine fine poenalem liberati a peccati obligatione non transeunt.

CAPUT IIII.

Quur ab his, qui per gratiam regenerationis absoluti sunt a peccato, non auferatur mors, id est poena peccati.

Si quem uero mouet, quur uel ipsam patiantur, si et ipsa peccati poena est, quorum per gratiam reatus aboletur: iam ista quaestio in alio nostro opere, quod scripsimus de baptismo paruulorum, tractata ac soluta est; ubi dictum est ad hoc relinqui animae experimentum separationis a corpore, quamuis ablato iam criminis nexu, quoniam, si regenerationis sacramentum continuo sequeretur inmortalitas corporis, ipsa fides eneruaretur, quae tunc est fides, quando expectatur in spe, quod in re nondum uidetur. Fidei autem robore adque certamine, in maioribus dumtaxat aetatibus, etiam mortis fuerat superandus timor, quod in sanctis martyribus maxime eminuit; cuius profecto certaminis esset nulla uictoria, nulla gloria (quia nec ipsum omnino posset esse certamen), si post lauacrum regenerationis iam sancti non possent mortem perpeti corporalem. Cum paruulis autem baptizandis quis non ad Christi gratiam propterea potius curreret, ne a corpore solueretur? Adque ita non inuisibili praemio probaretur fides, sed iam nec fides esset, confestim sui operis quaerendo et sumendo mercedem. Nunc uero maiore et mirabiliore gratia Saluatoris in usus iustitiae peccati poena conuersa est. Tunc enim dictum est homini: Morieris, si peccaueris: nunc dicitur martyri: Morere, ne pecces. Tunc dictum est: Si mandatum

10 II, c. 30 sqq.

2 obligationem *V* 5 sunt absoluti *p* 6 non *om. p* 9 poena est peccati *a;* poena peccati est *v* 10 in alio *usque ad* baptismo *in marg. e* babtismo *l* 19 nulla esset *v* 20 possit *l* 22 babti. *l* 28 dicimtur *V* 29 ne *ex* non *corr. e*

transgressi fueritis, morte moriemini; nunc dicitur: Si mortem recusaueritis, mandatum transgrediemini. Quod tunc timendum fuerat, ut non peccaretur, nunc suscipiendum est, ne peccetur. Sic per ineffabilem Dei misericordiam et ipsa poena uitiorum transit in arma uirtutis, et fit iusti meritum etiam supplicium peccatoris. Tunc enim mors est adquisita peccando, nunc inpletur iustitia moriendo. Verum hoc in sanctis martyribus, quibus alterutrum a persecutore proponitur, ut aut deserant fidem aut sufferant mortem. Iusti enim malunt credendo perpeti, quod sunt primi iniqui non credendo perpessi. Nisi enim peccassent illi, non morerentur; peccabunt autem isti, nisi moriantur. Mortui ergo sunt illi, quia peccauerunt; non peccant isti, quia moriuntur. Factum est per illorum culpam, ut ueniretur in poenam; fit per istorum poenam, ne ueniatur in culpam; non quia mors bonum aliquod facta est, quae antea malum fuit; sed tantam Deus fidei praestitit gratiam, ut mors, quam uitae constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad uitam.

CAPUT V.

Quod sicut iniqui male utuntur lege, quae bona est, ita iusti bene utantur morte, quae mala est.

Apostolus cum uellet ostendere, quantum peccatum gratia non subueniente ad nocendum ualeret, etiam ipsam legem, qua prohibetur peccatum, non dubitauit dicere uirtutem esse peccati. Aculeus, inquit, mortis est peccatum, uirtus autem peccati lex. Verissime omnino. Auget enim pro-

25 1. Cor. 15, 56

2 transgrediemini *V b e l p v;* transgredimini *a α f* Quod *om. l* tunc *in marg. l* n&imendum *l* 7 habetur *m. 1 corr. V* 9 enim] autem *e* 11 isti *om. e* 12 ergo sunt *V;* sunt autem *l* sunt ergo *rell. v* 13 factum est illorum culpa, *eraso* est *m. 2 superscriptum est p, a* 14 pro istorum pena *a* 15 quae antea malum fuit *in marg. a* 16 Deus *om. a* 20 impii, *superscripto* i iniqui, *q* 21 est *m. 2 sup. lin. q* ita *V p α f; om. q;* ita et *v* utantur *V f;* utuntur *p q α v*

hibitio desiderium operis inliciti, quando iustitia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas eius delectatione uincatur. Ut autem diligatur et delectet uera iustitia, non nisi diuina subuenit gratia. Sed ne propterea lex putaretur malum, quoniam uirtus est dicta peccati: ideo ipse alio loco uersans huius modi quaestionem: Itaque, inquit, lex quidem sancta et mandatum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est, inquit, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem, ut fiat super modum peccator aut peccatum per mandatum. Super modum dixit, quia etiam praeuaricatio additur, cum peccandi aucta libidine etiam lex ipsa contemnitur. Quur hoc commemorandum putauimus? Quia scilicet, sicut lex non est malum, quando auget peccantium concupiscentiam, ita nec mors bonum est, quando auget patientium gloriam, cum uel illa pro iniquitate deseritur et efficit praeuaricatores, uel ista pro ueritate suscipitur et efficit martyres. Ac per hoc lex quidem bona est, quia prohibitio est peccati; mors autem mala, quia stipendium est peccati; sed quem ad modum iniustitia male utitur non tantum malis, uerum etiam bonis: ita iustitia bene non tantum bonis, sed etiam malis. Hinc fit, ut et mali male lege utantur, quamuis sit lex bonum, et boni bene moriantur, quamuis sit mors malum.

6 Rom. 7, 12 sq.

6 itaque inquit *V a b e p f*; utique inquit *l*; inquit *om. α*; itaque *om. v* 9 per *om. e* 10 est *om. e*[1] 10. 11 super *V b l f*; supra *a e p α v* 11 aut] ad *l* 16 ulla *l* 17 ista *om. e* 20 quemammodum *V* iniustitia *codd.*; iniusti *v* utitur *codd.* (*extra lin. m. 2 a*); utuntur *v* 21 uerum *V b e l p α f*; sed *a v* bonis *usque ad* etiam *om. e* iustitia *codd.*; iusti *v* 22 etiam et *a b*

CAPUT VI.

De generali mortis malo, quo animae et corporis societas separatur.

Quapropter quod adtinet ad corporis mortem, id est separationem animae a corpore, cum eam patiuntur, qui morientes appellantur, nulli bona est. Habet enim asperum sensum et contra naturam uis ipsa, qua utrumque diuellitur, quod fuerat in uiuente coniunctum adque consertum, quamdiu moratur, donec omnis adimatur sensus, qui ex ipso inerat animae carnisque conplexu. Quam totam molestiam nonnumquam unus ictus corporis uel animae raptus intercipit nec eam sentiri praeueniente celeritate permittit. Quidquid tamen illud est in morientibus, quod cum graui sensu adimit sensum, pie fideliterque tolerando auget meritum patientiae, non aufert uocabulum poenae. Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine procul dubio sit mors poena nascentis, tamen si pro pietate iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis; et cum sit mors peccati retributio, aliquando inpetrat, ut nihil retribuatur peccato.

CAPUT VII.

De morte, quam quidam non regenerati pro Christi confessione suscipiunt.

Nam quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis ualet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis. Qui enim dixit: Si quis non renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum caelorum, alia sen-

26 Io. 3, 5

2 generali *V*; generalis *p q v* animi *V α* 3 separetur *α* 7 quia *V* 8 iniuuente *m. 1 corr. V* 10 unius *l* 13 adhimit *l* 14 sapientiae nec auferet *l* 16 prop/ietate, r *eras.*, *e* 21 quidam *om. p q v* per xpi confessionem *p* 23 praeceptore generationis l^1 labacro V^1 27 spiritu *V a* b^1 *e l p*; sp. sancto b^2 *α v* sententia effecit exceptis ubi dns gener. *b*

tentia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter ait: Qui me confessus fuerit coram hominibus confitebor [et ego] eum coram Patre meo qui in caelis est; et alio loco: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Hinc est quod scriptum est: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Quid enim pretiosius quam mors, per quam fit ut et delicta omnia dimittantur et merita cumulatius augeantur? Neque enim tanti sunt meriti, qui, cum mortem differre non possent, baptizati sunt deletisque omnibus peccatis ex hac uita emigrarunt, quanti sunt hi, qui mortem, cum possent, ideo non distulerunt, quia maluerunt Christum confitendo finire uitam quam eum negando ad eius baptismum peruenire. Quod utique si fecissent, etiam hoc eis in illo lauacro dimitteretur, quod timore mortis negauerant Christum, in quo lauacro et illis facinus tam inmane dimissum est, qui occiderant Christum. Sed quando sine abundantia gratiae Spiritus illius, qui ubi uult spirat, tantum Christum amare possent, ut eum in tanto uitae discrimine sub tanta spe ueniae negare non possent? Mors igitur pretiosa sanctorum, quibus cum tanta gratia est praemissa et praerogata mors Christi, ut ad eum adquirendum suam non cunctarentur inpendere, in eos usus redactum esse monstrauit, quod ad poenam peccati antea fuerat constitutum, ut inde iustitiae fructus uberior nasceretur. Mors ergo non ideo bonum uideri debet, quia in tantam utilitatem non ui sua, sed diuina opitulatione conuersa est, ut, quae tunc metuenda proposita est, ne peccatum committeretur, nunc suscipienda proponatur,

1 Mt. 10, 32 4 ib. 16, 25 5 Ps. 115, 15 17 Io. 3, 8

1 ait *V a b e l p α f;* dixit *v* 3 [et ego] *om. V a b e l p α* 7 et] etiam V^1 *e; om. l* 9 deferre l^1 possint, i *ex* u *corr., l* 10 emigrarunt *V b e l* p^2 *v;* emigrauerunt *a;* migrarunt p^1 *α f* hi *om. l* 11 mortem differre *e* possint *l* 12 finiſe, ſ *m. 1 superscr., l* 13 babt. *l* 14. 15 labacro *V* 18 possint *l* 19 tanta sub spe *v* possint *l* 20 promissa *V a b e l p* 22 inpendere animam *l* 23 peccati *p α Domb.;* peccantis *V a b e l v* fuerat antea *Domb.* fuerit *e l* 26 tunc *V*

ut peccatum non committatur commissumque deleatur magnaeque uictoriae debita iustitiae palma reddatur.

CAPUT VIII.

Quod in sanctis primae mortis pro ueritate susceptio secundae sit mortis abolitio.

Si enim diligentius consideremus, etiam cum quisque pro ueritate fideliter et laudabiliter moritur, mors cauetur. Ideo quippe aliquid eius suscipitur, ne tota contingat et secunda insuper, quae numquam finiatur, accedat. Suscipitur enim animae a corpore separatio, ne Deo ab anima separato etiam ipsa separetur a corpore, ac sic totius hominis prima morte conpleta secunda excipiat sempiterna. Quocirca mors quidem, ut dixi, cum eam morientes patiuntur cumque in eis ut moriantur facit, nemini bona est, sed laudabiliter toleraretur pro tenendo uel adipiscendo bono; cum uero in ea sunt, qui iam mortui nuncupantur, non absurde dicitur et malis mala et bonis bona. In requie sunt enim animae piorum a corpore separatae, inpiorum autem poenas luunt, donec istarum ad aeternam uitam, illarum uero ad aeternam mortem, quae secunda dicitur, corpora reuiuescant.

CAPUT VIIII.

Tempus mortis, quo uitae sensus aufertur, in morientibus an in mortuis esse dicendum sit.

Sed id tempus, quo animae a corpore separatae aut in bonis sunt aut in malis, utrum post mortem potius an in morte dicendum est? Si enim post mortem est, iam non ipsa mors, quae transacta adque praeterita est, sed post eam uita praesens animae bona seu mala est. Mors autem tunc eis mala erat, quando erat, hoc est quando eam patiebantur, cum

5 absolutio *p q v* 11 separatio *e* a corpore *sup. lin. e* 15 qui iam] quidam *V* 17 requies/unt, *eraso* c, *e* enim sunt *v* 20 reuiuiscant *a b e*[1] *l p v* 23 dic. est *p*

morerentur, quoniam grauis et molestus eius inerat sensus; quo malo bene utuntur boni. Peracta autem mors quonam modo uel bona uel mala est, quae iam non est? Porro si adhuc diligentius adtendamus, nec illa mors esse apparebit, cuius grauem ac molestum in morientibus diximus sensum. Quamdiu enim sentiunt, adhuc utique uiuunt, et si adhuc uiuunt, ante mortem quam in morte potius esse dicendi sunt; quia illa, cum uenerit, aufert omnem corporis sensum, qui ea propinquante molestus est. Ac per hoc quo modo morientes dicamus eos, qui nondum mortui sunt, sed inminente morte iam extrema et mortifera adflictione iactantur, explicare difficile est, etiamsi recte isti appellantur morientes, quia, cum mors quae iam inpendet aduenerit, non morientes, sed mortui nuncupantur. Nullus est ergo moriens nisi uiuens, quoniam, cum in tanta est extremitate uitae, in quanta sunt quos agere animam dicimus, profecto qui nondum anima caruit adhuc uiuit. Idem ipse igitur simul et moriens est et uiuens, sed morti accedens, uita cedens; adhuc tamen in uita, quia inest anima corpori; nondum autem in morte, quia nondum abscessit a corpore. Sed si, cum abscesserit, nec tunc in morte, sed post mortem potius erit: quando sit in morte quis dixerit? Nam neque ullus moriens erit, si moriens et uiuens simul esse nullus potest. Quamdiu quippe anima in corpore est, non possumus negare uiuentem. Aut si moriens potius dicendus est, in cuius iam corpore agitur ut moriatur, nec simul quisquam potest esse uiuens et moriens: nescio quando sit uiuens.

1 eius *mss.*; eis *v* 2 quo modo *a l*; quodam modo *e* 5 quandiu *V* 13 impendit *a* 14 est *om. l* 18 caedens *V*; cedens *a e l p*; decedens *b v* 19 in corpore *l* autem] tamen *V* in mortem *b l* 20 nec *om. V* 22 erit si moriens *om. e* 26 potens esse *V* quando s. u. nescio *v*

CAPUT X.

An uita mortalium mors potius quam uita dicenda sit.

Ex quo enim quisque in isto corpore morituro esse coeperit, numquam in eo non agitur ut mors ueniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore uitae huius (si tamen uita dicenda est), ut ueniatur in mortem. Nemo quippe est, qui non ei post annum sit, quam ante annum fuit, et cras quam hodie, et hodie quam heri, et paulo post quam nunc, et nunc quam paulo ante propinquior; quoniam, quidquid temporis uiuitur, de spatio uiuendi demitur, et cottidie fit minus minusque quod restat, ut omnino nihil sit aliud tempus uitae huius, quam cursus ad mortem, in quo nemo uel paululum stare uel aliquanto tardius ire permittitur; sed urgentur omnes pari motu nec diuerso inpelluntur accessu. Neque enim, cui uita breuior fuit, celerius diem duxit quam ille, cui longior; sed cum aequaliter et aequalia momenta raperentur ambobus, alter habuit propius, alter remotius, quo non inpari uelocitate ambo currebant. Aliud est autem amplius uiae peregisse, aliud tardius ambulasse. Qui ergo usque ad mortem productiora spatia temporis agit, non lentius pergit, sed plus itineris conficit. Porro si ex illo quisque incipit mori, hoc est esse in morte, ex quo in illo agi coeperit ipsa mors, id est uitae detractio (quia, cum detrahendo finita fuerit, post mortem iam erit, non in morte): profecto, ex quo esse incipit in hoc corpore, in morte est. Quid enim aliud diebus horis momentisque singulis agitur, donec ea consumta mors, quae agebatur, inpleatur, et incipiat iam tempus esse post mortem, quod, cum uita detraheretur, erat in morte? Numquam igitur in uita homo est, ex quo est in isto corpore moriente potius

2 *hanc inscriptionem om.* p^1 De uita mortalium quae mors potius quam uita dicenda est $p^2 q v$ 13 in qua *V* 14 aliquando *e* omnes urgentur *v* 19 uiae] diȩ *V* 25 iam erit in mortem *b* in quo *b* 26 horis *om. b* 27 consummata *a b p α* 29 in mortem *b* 30 in corp. isto *v*

quam uiuente, si et in uita et in morte simul non potest esse. An potius et in uita et in morte simul est; in uita scilicet, in qua uiuit, donec tota detrahatur; in morte autem, quia iam moritur, cum uita detrahitur? Si enim non est in uita, quid est quod detrahitur, donec eius fiat perfecta consumtio? Si autem non est in morte, quid est uitae ipsa detractio? Non enim frustra, cum uita fuerit corpori tota detracta, post mortem iam dicitur, nisi quia mors erat, cum detraheretur. Nam si ea detracta non est homo in morte, sed post mortem: quando, nisi cum detrahitur, erit in morte?

CAPUT XI.

An quisquam simul et uiuens esse possit et mortuus.

Si autem absurdum est, ut hominem, antequam ad mortem perueniat, iam esse dicamus in morte (cui enim propinquat peragendo uitae suae tempora, si iam in illa est?), maxime quia nimis est insolens, ut simul et uiuens esse dicatur et moriens, cum uigilans et dormiens simul esse non possit: quaerendum est quando erit moriens. Etenim antequam mors ueniat, non est moriens, sed uiuens; cum uero mors uenerit, mortuus erit, non moriens. Illud ergo est adhuc ante mortem, hoc iam post mortem. Quando ergo in morte? Tunc enim est moriens, ut, quem ad modum tria sunt cum dicimus 'ante mortem, in morte, post mortem', ita tria singulis singula 'uiuens, moriens mortuusque' reddantur. Quando itaque sit moriens, id est in morte, ubi neque sit uiuens, quod est ante mortem, neque mortuus, quod est post mortem, sed moriens, id est in morte, difficillime definitur. Quamdiu quippe est anima in corpore, maxime si etiam sensus adsit, procul dubio uiuit homo, qui constat ex anima et corpore, ac per hoc

2 et *ante* in uita *om. a* 4 quia *V a b e l Domb.;* qua *p v* dum *p* 5 consumtio *V l;* consummatio *a b e p α* 9 detractio *l* 14 ad *sup. lin. V* 17 simul et *om. l* 22 ergo *sup. lin. e* 23 quemammodum *V* 28 sed est *e* 29 etiamsi *l* atsit *V*

adhuc ante mortem, non in morte esse dicendus est; cum uero anima abscesserit omnemque abstulerit corporis sensum, iam post mortem mortuusque perhibetur. Perit igitur inter utrumque, quo moriens uel in morte sit; quoniam si adhuc uiuit, ante mortem est; si uiuere destitit, iam post mortem est. Numquam ergo moriens, id est in morte, esse conprehenditur. Ita etiam in transcursu temporum quaeritur praesens, nec inuenitur, quia sine ullo spatio est, per quod transitur ex futuro in praeteritum. Nonne ergo uidendum est, ne ista ratione mors corporis nulla esse dicatur? Si enim est, quando est, quae in ullo et in qua ullus esse non potest? Quando quidem si uiuitur, adhuc non est, quia hoc ante mortem, non in morte; si autem uiuere iam cessatum est, iam non est, quia et hoc post mortem est, non in morte. Sed rursus si nulla mors est ante quid uel post, quid est quod dicitur ante mortem siue post mortem? Nam et hoc inaniter dicitur, si mors nulla est. Adque utinam in paradiso bene uiuendo egissemus, ut re uera nulla mors esset. Nunc autem non solum est, uerum etiam tam molesta est, ut nec ulla explicari locutione possit nec ulla ratione uitari.

Loquamur ergo secundum consuetudinem (non enim aliter debemus) et dicamus 'ante mortem', priusquam mors accidat; sicut scriptum est: Ante mortem ne laudes hominem quemquam. Dicamus etiam cum acciderit: Post mortem illius uel illius factum est illud aut illud. Dicamus et de praesenti tempore ut possumus, uelut cum ita loquimur: Moriens ille

23 Eccli. 11, 30

4 utrisque *l* quo modo mo|riens, do mo *m. 2 in marg., l* 5 si uiuere ... mortem est *om. e* desistit *l* 11 nullo *a l v* nullus esse potest *a* 12 mortem est *p α* 14 et *om. l* est *sup. lin. V* 15 ante quid uel post quid *V l p α f;* ante uel post quid *a v;* ante quid dicitur, *omissis* uel post quid est quod, *b* 16 siue] uel *a* 18 esset mors *v* 19 illa V^1 22 sed dic. *l* priusquam *usque ad* ante mortem *m. 1 in marg. p* accedat *b l* 23 ne glorifices quemquam *α* 25 uel illius *om. b* illud aut *V b e l;* illud uel *a p v*

testatus est, et: Illis adque illis illud adque illud moriens dereliquit; quamuis hoc nisi uiuens omnino facere non posset et potius hoc ante mortem fecerit, non in morte. Loquamur etiam sicut loquitur scriptura diuina, quae mortuos quoque non post mortem, sed in morte esse non dubitat dicere. Hinc enim est illud: Quoniam non est in morte, qui memor sit tui. Donec enim reuiuescant, recte esse dicuntur in morte, sicut in somno esse quisque, donec euigilet, dicitur; quamuis in somno positos dicamus dormientes, nec tamen eo modo possumus dicere eos, qui iam sunt mortui, morientes. Non enim adhuc moriuntur, qui, quantum adtinet ad corporis mortem, de qua nunc disserimus, iam sunt a corporibus separati. Sed hoc est, quod dixi explicari aliqua locutione non posse. quonam modo uel morientes dicantur uiuere uel iam mortui etiam post mortem adhuc esse dicantur in morte. Quo modo enim post mortem, si adhuc in morte? praesertim cum eos nec morientes dicamus, sicuti eos, qui in somno sunt, dicimus dormientes, et qui in languore, languentes, et qui in dolore, utique dolentes, et qui in uita, uiuentes; at uero mortui, priusquam resurgant, esse dicuntur in morte, nec tamen possunt appellari morientes. Unde non inportune neque incongrue arbitror accidisse, etsi non humana industria, iudicio fortasse diuino, ut hoc uerbum, quod est moritur, in Latina lingua nec grammatici declinare potuerint, ea regula qua cetera talia declinantur. Namque ab eo quod est oritur, fit uerbum praeteriti temporis 'ortus est'; et si qua similia sunt, per temporis praeteriti participia declinantur. Ab eo uero, quod est moritur, si quaeramus praeteriti temporis uerbum,

6 Ps. 6, 6

2 possit *l* 6 enim *om. l* quis *l* 7 reuiuescant *V;* reuiuisc. *rell. v* esse *om. α* dicuntur esse *v* 9 dicimus V^1 14 quoniam l^1*;* quoue l^2 17 in *om.* l^1 19 utique *om.* a^1 α 24 potuerunt *l* 25 Namque *usque ad* declinantur *l. 22 om.* a^1 nam ab *p* 27 uero] uerbo *b*

responderi adsolet 'mortuus est', u littera geminata. Sic enim dicitur mortuus, quo modo fatuus, arduus, [carduus], conspicuus et si qua similia, quae non sunt praeteriti temporis, sed quoniam nomina sunt, sine tempore declinantur. Illud autem, quasi ut declinetur, quod declinari non potest, pro participio praeteriti temporis ponitur nomen. Conuenienter itaque factum est, ut, quem ad modum id quod significat non potest agendo, ita ipsum uerbum non posset loquendo declinari. Agi tamen potest in adiutorio gratiae Redemtoris nostri, ut saltem secundam mortem declinare possimus. Illa est enim grauior et omnium malorum pessima, quae non fit separatione animae et corporis, sed in aeternam poenam potius utriusque conplexu. Ibi e contrario non erunt homines ante mortem adque post mortem, sed semper in morte; ac per hoc numquam uiuentes, numquam mortui, sed sine fine morientes. Numquam enim erit homini peius in morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte.

CAPUT XII.

Quam mortem primis hominibus Deus, si mandatum eius transgrederentur, fuerit comminatus.

Cum ergo requiritur, quam mortem Deus primis hominibus fuerit comminatus, si ab eo mandatum transgrederentur acceptum nec oboedientiam custodirent, utrum animae an corporis an totius hominis an illam quae appellatur secunda: respondendum est: Omnes. Prima enim constat ex duabus, [secunda] ex omnibus tota. Sicut enim uniuersa terra ex multis terris et uniuersa ecclesia ex multis constat ecclesiis: sic uniuersa mors ex omnibus. Quoniam prima constat ex duabus, una animae, altera corporis; ut sit prima totius hominis mors,

1 adsolent *l* 2 [carduus] *V e l p inclusi utpote ab sciolo librario additum; om. a b v Domb.* 4 declinaretur *l* 6 ponitur. Non inconuenienter *b* 7 quemammodum *V e* 8 posset *V b e p α;* possit *a l;* declin. loq. non possit *v* 10 saltim *b* 11 enim est *v* est *om. e* 23 uerum *V* 25 ex duabus constat *v* secunda *om. V e l α*

cum anima sine Deo et sine corpore ad tempus poenas luit; secunda uero, ubi anima sine Deo cum corpore poenas aeternas luit. Quando ergo dixit Deus primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo uetito: Quacumque die ederitis ex illo, morte moriemini: non tantum primae mortis partem priorem, ubi anima priuatur Deo, nec tantum posteriorem, ubi corpus priuatur anima, nec solam ipsam totam primam, ubi anima et a Deo et a corpore separata punitur; sed quidquid mortis est usque ad nouissimam, quae secunda dicitur, qua est nulla posterior, comminatio illa conplexa est.

CAPUT XIII.

Praeuaricatio primorum hominum quam primam senserit poenam.

Nam postea quam praecepti facta transgressio est, confestim gratia deserente diuina de corporum suorum nuditate confusi sunt. Unde etiam foliis ficulneis, quae forte a perturbatis prima conperta sunt, pudenda texerunt; quae prius eadem membra erant, sed pudenda non erant. Senserunt ergo nouum motum inoboedientis carnis suae, tamquam reciprocam poenam inboedientiae suae. Iam quippe anima libertate in peruersum propria delectata et Deo dedignata seruire pristino corporis seruitio destituebatur, et quia superiorem dominum suo arbitrio deseruerat, inferiorem famulum ad suum arbitrium non tenebat, nec omni modo habebat subditam carnem, sicut semper habere potuisset, si Deo subdita ipsa mansisset. Tunc ergo coepit caro concupiscere aduersus spiritum, cum qua controuersia nati sumus, trahentes ori-

27 Gal. 5, 17

1 quam *V* 3 homini illi *l p* 4 comederitis *p* 5 ex eo *v* 7 solam *V e l p;* solum *v* 8 primam *om. p* 16 eos deserente *p* 17 ficulneis *V* a *sup. lin. V* 18 tundenda *V* 27 ipsa *om. V b*

ginem mortis et in membris nostris uitiataque natura contentionem eius siue uictoriam de prima praeuaricatione gestantes.

CAPUT XIIII.

Qualis homo sit factus a Deo et in quam sortem deciderit suae uoluntatis arbitrio.

Deus enim creauit hominem rectum, naturarum auctor, non utique uitiorum; sed sponte deprauatus iusteque damnatus deprauatos damnatosque generauit. Omnes enim fuimus in illo uno, quando omnes fuimus ille unus, qui per feminam lapsus est in peccatum, quae de illo facta est ante peccatum. Nondum erat nobis singillatim creata et distributa forma, in qua singuli uiueremus; sed iam erat natura seminalis, ex qua propagaremur; qua scilicet propter peccatum uitiata et uinculo mortis obstricta iusteque damnata non alterius condicionis homo ex homine nasceretur. Ac per hoc a liberi arbitrii malo usu series calamitatis huius exorta est, quae humanum genus origine deprauata, uelut radice corrupta, usque ad secundae mortis exitium, quae non habet finem, solis eis exceptis qui per Dei gratiam liberantur, miseriarum conexione perducit.

CAPUT XV.

Quod Adam peccaturus prius ipse reliquerit Deum, quam relinqueretur a Deo, et primam fuisse animae mortem a Deo recessisse.

Quam ob rem etiamsi in eo quod dictum est: Morte moriemini, quoniam non est dictum: Mortibus, eam solam

1 ratura *V* contemptionem *l* 2 primo V^1 6 aruitrio *V* 10 quando homines fuimus in illo uno quando omnes fuimus ille unus *e* 13 erat *sup. lin. V* natura erat *v* 14 uiuata *V* 16 per hoc *om. b* a liberi V^1 *e l p v;* a *lineola deletum* V^2*; om. a b Domb.* 17 usu] usque ad *b* 20 gratiam Dei *v* 23 *ut editur, nisi quod V* relinquerit *habet.* V^c*;* prius peccaturus primum reliq. *α;* peccans prius ipse reliq. *p q;* peccans prius reliq. *v* 25 a dno *V* 27 non dixit *l* si eam *l*

intellegamus, quae fit cum anima deseritur sua uita, quod illi Deus est (non enim deserta est ut desereret, sed ut desereretur deseruit; ad malum quippe eius prior est uoluntas eius; ad bonum uero eius prior est uoluntas Creatoris eius; siue ut eam faceret, quae nulla erat, siue ut reficiat, quia lapsa perierat), — etiamsi ergo hanc intellegamus Deum denuntiasse mortem in eo quod ait: Qua die ederitis ex illo, morte moriemini, tamquam diceret: Qua die me deserueritis per inoboedientiam, deseram uos per iustitiam: profecto in ea morte etiam ceterae denuntiatae sunt, quae procul dubio fuerant secuturae. Nam in eo, quod inoboediens motus in carne animae inoboedientis exortus est, propter quem pudenda texerunt, sensa est mors una, in qua deseruit animam Deus. Ea significata est uerbis eius, quando timore dementi sese abscondenti homini dixit: Adam, ubi es? non utique ignorando quaerens, sed increpando admonens, ut adtenderet ubi esset, in quo Deus non esset. Cum uero corpus anima ipsa deseruit aetate corruptum et senectute confectum, uenit in experimentum mors altera, de qua Deus peccatum adhuc puniens homini dixerat: Terra es et in terram ibis; ut ex his duabus mors illa prima, quae totius est hominis, conpleretur, quam secunda in ultimo sequitur, nisi homo per gratiam liberetur. Neque enim corpus, quod de terra est, rediret in terram nisi sua morte, quae illi accidit, cum deseritur sua uita, id est anima. Unde constat inter Christianos ueraciter catholicam tenentes fidem etiam ipsam nobis corporis mortem non lege naturae, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati, quoniam peccatum uindicans Deus dixit homini, in quo tunc omnes eramus: Terra es et in terram ibis.

15 Gen. 3, 9 20 Gen. 3, 19

3. 4 uolumptas l^1 5 quia V^2abela; qua V^1; quae pv 6 ergo *in marg. e* 13 pudentate *e* 15 dementis ac sese, sese *m. 2 in ras., e* 17 non esset Deus *v* 21 dix ibis *a* 24 in terra *V* 25 unde cum *V* 27 quia *b* 28 homini *Velpv*; hominis *abα*

CAPUT XVI.

De philosophis, qui animae separationem a corpore non putant esse poenalem, cum Plato inducat summum deum dis minoribus promittentem, quod numquam sint corporibus exuendi.

Sed philosophi, contra quorum calumnias defendimus ciuitatem Dei, hoc est eius ecclesiam, sapienter sibi uidentur inridere, quod dicimus animae a corpore separationem inter poenas eius esse deputandam, quia uidelicet eius perfectam beatitudinem tunc illi fieri existimant, cum omni prorsus corpore exuta ad Deum simplex et sola et quodam modo nuda redierit. Ubi si nihil, quo ista refelleretur opinio, in eorum litteris inuenirem, operosius mihi disputandum esset, quo demonstrarem non corpus esse animae, sed corruptibile corpus onerosum. Unde illud est quod de scripturis nostris in superiore libro commemorauimus: Corpus enim corruptibile adgrauat animam. Addendo utique corruptibile non qualicumque corpore, sed quale factum est ex peccato consequente uindicta, animam perhibuit adgrauari. Quod etiamsi non addidisset, nihil aliud intellegere deberemus. Sed cum apertissime Plato deos a summo Deo factos habere inmortalia corpora praedicet eisque ipsum Deum, a quo facti sunt, inducat pro magno beneficio pollicentem, quod in aeternum cum suis corporibus permanebunt nec ab eis ulla morte soluentur: quid est quod isti ad exagitandam Christianam fidem fingunt se nescire quod sciunt, aut etiam sibi repugnantes aduersum se ipsos malunt dicere, dum nobis non desinant contradicere? Nempe Platonis haec uerba sunt, sicut ea Cicero in Latinum uertit, quibus inducit summum deum deos quos

15 c. 15 16 Sap. 9, 15 28 Tim. p. 41 A

4 dis *om. p* 10 extimant *e* 11 ex/uta, s *eras.*, *e* dominum *l* 12 refellitur *l* 15 superiori *p v* 17 adgrabat V^1 21 haberet *V* 25 exigendam, *in marg.* exagitandam, *e* 26 fingent, e *m. 1 in* a *corr.*, *V* 27 aduersus *e*

fecit adloquentem ac dicentem: 'Vos, qui deorum satu orti estis, adtendite: quorum operum ego parens effectorque sum, haec sunt indissolubilia me inuito, quamquam omne conligatum solui potest; sed haudquaquam bonum est ratione uinctum uelle dissoluere. Sed quoniam estis orti, inmortales uos quidem esse et indissolubiles non potestis; ne utiquam tamen dissoluemini, neque uos ulla mortis fata periment, nec erunt ualentiora quam consilium meum, quod maius est uinculum ad perpetuitatem uestram, quam illa quibus estis [tum, cum gignebamini,] conligati'. Ecce deos Plato dicit et corporis animaeque conligatione mortales, et tamen inmortales dei a quo facti sunt uoluntate adque consilio. Si ergo animae poena est in qualicumque corpore conligari, quid est quod eos adloquens deus tamquam sollicitos, ne forte morian-tur, id est dissoluantur a corpore, de sua facit inmortalitate securos; non propter eorum naturam, quae sit conpacta, non simplex, sed propter suam inuictissimam uoluntatem, qua potens est facere, ut nec orta occidant nec conexa soluantur, sed incorruptibiliter perseuerent?

Et hoc quidem utrum Plato uerum de sideribus dicat, alia quaestio est. Neque enim ei continuo concedendum est globos istos luminum siue orbiculos luce corporea super terras seu die seu nocte fulgentes suis quibusdam propriis animis uiuere eisque intellectualibus et beatis, quod etiam de ipso uniuerso mundo, tamquam uno animali maximo, quo cuncta cetera continerentur animalia, instanter adfirmat. Sed haec, ut dixi, alia quaestio est, quam nunc discutiendam non suscepimus.

1 c. 11

3 me inuito, *in marg.* a me inuicto, *e* 4 autquaquam *l*; adhut|quaquam *V* bonum *V a e l p α f*; boni *b v* uictum V^1 6 dissolub. *b* ne utiquam *V e* $α^1$; neū///quam *l*; nec umquam *p* $α^2$; numquam *f*; nequaquam *a b v* 8 meum *in marg. V* 10 tum cum gignebamini *b e v*, *m. rec. in marg. p*; *om. V a l* p^1 *α f* 12 uoluntate dei *l* 18 potens *V* 22 super *V* 25 uni *e* maxime *l*

Hoc tantum contra istos commemorandum putaui, qui se Platonicos uocari uel esse gloriantur, cuius superbia nominis erubescunt esse Christiani, ne commune illis cum uulgo uocabulum uilem faciat palliatorum tanto magis inflatam, quanto magis exiguam paucitatem; et quaerentes, quid in doctrina Christiana reprehendant, exagitant aeternitatem corporum, tamquam haec sint inter se contraria, ut et beatitudinem quaeramus animae et eam semper esse uelimus in corpore, uelut aerumnoso uinculo conligatam; cum eorum auctor et magister Plato donum a deo summo dis ab illo factis dicat esse concessum, ne aliquando moriantur, id est a corporibus, quibus eos conexuit, separentur.

CAPUT XVII.

Contra eos, qui adserunt corpora terrena incorruptibilia fieri et aeterna non posse.

Contendunt etiam isti terrestria corpora sempiterna esse non posse, cum ipsam uniuersam terram dei sui, non quidem summi, sed tamen magni, id est totius huius mundi, membrum in medio positum et sempiternum esse non dubitent. Cum ergo deus ille summus fecerit eis alterum quem putant deum, id est istum mundum, ceteris dis, qui infra eum sunt, praeferendum, eundemque esse existiment animantem, anima scilicet, sicut adserunt, rationali uel intellectuali in tam magna mole corporis eius inclusa, ipsiusque corporis tamquam membra locis suis posita adque digesta quattuor constituerit elementa, quorum iuncturam, ne umquam deus eorum tam magnus moriatur, insolubilem ac sempiternam uelint: quid causae est, ut in corpore maioris animantis tamquam medium membrum aeterna sit terra, et aliorum animantium terrestrium

1 putauit *V* qui] ut qui *p α f* 4 faciant *V* 5 quaucitatem *V* 14 corp. terr. *V*; terr. corp. *p q v Domb.* 15 fueri *V* fieri eterna fieri non posse *p*; aeterna fieri n. p. *q* 22 etque *V*; etundēq;, t *m. 2 in* d *mutatum*, *e* 27 morietur V^1

corpora, si Deus sicut illud uelit, aeterna esse non possint? Sed terrae, inquiunt, terra reddenda est, unde animalium terrestria sumta sunt corpora; ex quo fit, inquiunt, ut ea sit necesse dissolui et emori et eo modo terrae stabili ac sempiternae, unde fuerant sumta, restitui. Si quis hoc etiam de igne similiter adfirmet et dicat reddenda esse uniuerso igni corpora, quae inde sumta sunt, ut caelestia fierent animalia: nonne inmortalitas, quam talibus dis, uelut deo summo loquente, promisit Plato, tamquam uiolentia disputationis huius intercidet? An ibi propterea non fit, quia Deus non uult, cuius uoluntatem, ut ait Plato, nulla uis uincit? Quid ergo prohibet, ut hoc etiam de terrestribus corporibus Deus possit efficere, quandoquidem, ut nec ea quae orta sunt occidant nec ea quae sunt uincta soluantur nec ea quae sunt ex elementis sumta reddantur adque ut animae in corporibus constitutae nec umquam ea deserant et cum eis inmortalitate ac sempiterna beatitudine perfruantur, posse Deum facere confitetur Plato? Quur ergo non possit, ut nec terrestria moriantur? An Deus non est potens quo usque Christiani credunt, sed quo usque Platonici uolunt? Nimirum quippe consilium Dei et potestatem potuerunt philosophi, nec potuerunt nosse prophetae; cum potius e contrario Dei prophetas ad enuntiandam eius, quantum dignatus est, uoluntatem Spiritus eius docuerit, philosophos autem in ea cognoscenda coniectura humana deceperit.

Verum non usque adeo decipi debuerunt, non solum ignorantia, uerum etiam peruicacia, ut et sibi apertissime refragentur magnis disputationum uiribus adserentes animae, ut beata esse possit, non terrenum tantum, sed omne corpus esse fugiendum, et deos rursus dicentes habere beatissimas

4 mori *a* ac] et *p* 6 ac dicat *p α f* 11 uoluntate *V* 12 perhibet *b* 14 uicta *V;* uincta *b e l f;* iuncta *a p v* 19 usque *superscripto m. 1* quo, *V* 21 potestate *V* 22 et contrario *e* 24 eius *m. 1 ex* scī (sancti) *corr. e* 24 coniect.| creatura *b* 27 uerum *V a e f;* sed magis, *e in marg., b p v;* sed maius, iori *m. rec., l*

animas et tamen aeternis corporibus inligatas, caelestes quidem igneis, Iouis autem ipsius animam, quem mundum istum uolunt, omnibus omnino corporeis elementis, quibus haec tota moles a terra in caelum surgit, inclusam. Hanc enim animam Plato ab intimo terrae medio, quod geometrae centron uocant, per omnes partes eius usque ad caeli summa et extrema diffundi et extendi per numeros musicos opinatur, ut sit iste mundus animal maximum beatissimum sempiternum, cuius anima et perfectam sapientiae felicitatem teneret et corpus proprium non relinqueret, cuiusque corpus et in aeternum ex illa uiueret et eam quamuis non simplex, sed tot corporibus tantisque conpactum hebetare adque tardare non posset. Cum igitur suspicionibus suis ista permittant, quur nolunt credere, diuina uoluntate adque potentia inmortalia corpora fieri posse terrena, in quibus animae nulla ab eis morte separatae, nullis eorum oneribus adgrauatae sempiterne ac feliciter uiuant, quod deos suos posse adserunt in corporibus igneis Iouemque ipsum eorum regem in omnibus corporeis elementis? Nam si animae, ut beata sit, corpus est omne fugiendum, fugiant di eorum de globis siderum, fugiat Iuppiter de caelo et terra; aut si non possunt, miseri iudicentur. Sed neutrum isti uolunt, qui neque a corporibus separationem audent dare dis suis, ne illos mortales colere uideantur, nec beatitudinis priuationem, ne infelices eos esse fateantur. Non ergo ad beatitudinem consequendam omnia fugienda sunt corpora; sed corruptibilia molesta, grauia moribunda; non qualia fecit primis hominibus bonitas Dei, sed qualia esse conpulit poena peccati.

2 quae *e* 5 ab initio *b* geometres *p* centrum *v* 7 opinantur *l* 9 animam *V* 18 regem eorum *v* in *sup. lin. V* hominibus *V* 19 deorum *V;* deorum, *superscripto m. rec.* dii, *l* 21 ut *V* 22 separatione *V*

CAPUT XVIII.

De terrenis corporibus, quae philosophi adfirmant in caelestibus esse non posse, quia, quod terrenum est, naturali pondere reuocetur ad terram.

Sed necesse est, inquiunt, ut terrena corpora naturale pondus uel in terra teneat uel cogat ad terram et ideo in caelo esse non possint. Primi quidem illi homines in terra erant nemorosa adque fructuosa, quae paradisi nomen obtinuit; sed quia et ad hoc respondendum est uel propter Christi corpus cum quo ascendit in caelum uel propter sanctorum qualia in resurrectione futura sunt, intueantur paulo adtentius pondera ipsa terrena. Si enim ars humana efficit, ut ex metallis, quae in aquis posita continuo submerguntur, quibusdam modis uasa fabricata etiam natare possint: quanto credibilius et efficacius occultus aliquis modus operationis Dei, cuius omnipotentissima uoluntate Plato dicit nec orta interire nec conligata posse dissolui, cum multo mirabilius incorporea corporeis quam quaecumque corpora quibuscumque corporibus copulentur, potest molibus praestare terrenis, ut nullo in ima pondere deprimantur, ipsisque animis perfectissime beatis, ut quamuis terrena, tamen incorruptibilia iam corpora ubi uolunt ponant et quo uolunt agant, situ motuque facillimo! An uero si hoc angeli faciant et quaelibet animalia terrestria rapiant unde libet constituantque ubi libet, aut eos non posse aut onera sentire credendum est? Quur ergo sanctorum perfectos et beatos diuino munere spiritus sine ulla difficultate posse ferre quo uoluerint et sistere ubi uoluerint sua corpora

2 *sqq. ut editur V, et sic etiam excepto quod l. 4* uocetur *habent p q v;* aduersus eos qui terrena corpora dicunt corpore grauitate naturali caelum non posse conscendere *α et omisso* corpore *f* 16 dixit *a b* 17 corporeis] corpore, e *in* i *corr., b* corporeis .. corpora *om. l* 18 quam *om. p*[1] corporea *a v* quibusque *p* 23 hoc *om. b* faciunt *b* 24 ubi[nde] *V* libet terrestria *p* aut eos] utrum eos *p* eos non posse *codd.;* eos sine labore n. p. *v* 27 deferre *a b* quod *l* et sistere] existere *a b*

non credamus? Nam cum terrenorum corporum, sicut onera in gestando sentire consueuimus, quanto maior est quantitas, tanto sit maior et grauitas, ita ut plura pondo quam pauciora plus premant: membra tamen suae carnis leuiora portat anima, cum in sanitate robusta sunt quam in languore cum macra sunt. Et cum aliis gestantibus onerosior sit saluus et ualidus quam exilis et morbidus, ipse tamen ad suum corpus mouendum adque portandum agilior est, cum in bona ualetudine plus habet molis, quam cum in peste uel fame minimum roboris. Tantum ualet in habendis etiam terrenis corporibus, quamuis adhuc corruptibilibus adque mortalibus, non quantitatis pondus, sed temperationis modus. Et quis uerbis explicat, quantum distet inter praesentem quam dicimus sanitatem et inmortalitatem futuram? Non itaque nostram fidem redarguunt philosophi de ponderibus corporum. Nolo enim quaerere, quur non credant terrenum esse posse corpus in caelo, cum terra uniuersa libretur in nihilo. Fortassis enim de ipso medio mundi loco, eo quod in eum coeant quaeque grauiora, etiam argumentatio ueri similior habeatur. Illud dico: Si di minores, quibus inter animalia terrestria cetera etiam hominem faciendum commisit Plato, potuerunt, sicut dicit, ab igne remouere urendi qualitatem, lucendi relinquere quae per oculos emicaret: itane Deo summo concedere dubitabimus, cuius ille uoluntati potestatique concessit, ne moriantur quae orta sint, et tam diuersa, tam dissimilia, id est corporea et incorporea, sibimet conexa nulla possint dissolutione seiungi, ut de carne hominis, cui donat inmortalitatem, corruptionem auferat, natu-

21 Tim. p. 42, D 23 ib. p. 45, B

3 maior sit *v* paucior amplius praemunt *b* 5 cum acra *b* 6 honeros. *V* 7 exillis *b* 8 ualetudine est *e* 9 quam qum, *in marg.* quantum, *e* in fame *e* 10 tantum uel, *in marg.* ualet, *e* 12 explicet *v* 18 distat *l* 14 redarguant $a^2 p v$ 16 posse esse *v* posse *om.* $o f^*$ 22 poculos, i *m. 2*, *e* 23 dubitauimus *V a e* 24 consensit *l* ne moriantur concessit *v* sunt *b v* 25 et *ante* tam *om. p* 27 donant *e*

ram relinquat, congruentiam figurae membrorumque detineat, detrahat ponderis tarditatem? Sed de fide resurrectionis mortuorum et de corporibus eorum inmortalibus diligentius, si Deus uoluerit, in fine huius operis disserendum est.

CAPUT XVIIII.

Contra eorum dogmata, qui primos homines, si non peccassent, inmortales futuros fuisse non credunt, aeternitatem animarum uolunt carere corporibus.

Nunc de corporibus primorum hominum quod instituimus explicemus; quoniam nec mors ista, quae bona perhibetur bonis nec tantum paucis intellegentibus siue credentibus, sed omnibus nota est, qua fit animae a corpore separatio, qua certe corpus animantis, quod euidenter uiuebat, euidenter emoritur, eis potuisset accidere, nisi peccati meritum sequeretur. Licet enim iustorum ac piorum animae defunctorum quod in requie uiuant dubitare fas non sit, usque adeo tamen eis melius esset cum suis corporibus bene ualentibus uiuere, ut etiam illi, qui omni modo esse sine corpore beatissimum existimant, hanc opinionem suam sententia repugnante conuincant. Neque enim quisquam audebit illorum sapientes homines, siue morituros siue iam mortuos, id est aut carentes corporibus aut corpora relicturos, dis inmortalibus anteponere, quibus Deus summus aput Platonem munus ingens, indissolubilem scilicet uitam, id est aeternum cum suis corporibus consortium, pollicetur. Optime autem cum hominibus agi arbitratur idem Plato, si tamen hanc uitam pie iusteque peregerint, ut a suis corporibus separati in ipsorum deorum, qui sua corpora numquam deserunt, recipiantur sinum,

27 Phaedr. p. 108, C.; Phaedr. p. 248, C

8 *ut editur V;* aeternitatem ... corporibus *om. p q v* 15 moritur *b* eis] et his *a b* 17 uibat V^1 19 beatissimam *V* 20 sue sententie repugnantem *p* uincant *a*

Scilicet inmemores supera ut conuexa reuisant
Rursus et incipiant in corpora uelle reuerti;

quod Vergilius ex Platonico dogmate dixisse laudatur. Ita quippe animas mortalium nec in suis corporibus semper esse posse existimat, sed mortis necessitate dissolui, nec sine corporibus durare perpetuo, sed alternantibus uicibus indesinenter uiuos ex mortuis et ex uiuis mortuos fieri putat; ut a ceteris hominibus hoc uideantur differre sapientes, quod post mortem feruntur ad sidera, ut aliquanto diutius in astro sibi congruo quisque requiescat adque inde rursus miseriae pristinae oblitus et cupiditate habendi corporis uictus redeat ad labores aerumnasque mortalium; illi uero, qui stultam duxerint uitam, ad corpora suis meritis debita siue hominum siue bestiarum de proximo reuoluantur. In hac itaque durissima condicione constituit etiam bonas adque sapientes animas, quibus non talia corpora distributa sunt, cum quibus semper adque inmortaliter uiuerent, ut neque in corporibus permanere neque sine his possint in aeterna puritate durare. De quo Platonico dogmate iam in libris superioribus diximus Christiano tempori erubuisse Porphyrium et non solum ab animis humanis remouisse corpora bestiarum, uerum etiam sapientium animas ita uoluisse de corporeis nexibus liberari, ut corpus omne fugientes beatae aput Patrem sine fine teneantur. Itaque ne a Christo uinci uideretur uitam sanctis pollicente perpetuam, etiam ipse purgatas animas sine ullo ad miserias pristinas reditu in aeterna felicitate constituit; et ut Christo aduersaretur, resurrectionem incorruptibilium corporum negans non solum sine terrenis, sed sine ullis omnino corporibus eas adseruit in sempiternum esse uicturas. Nec tamen ista qualicumque opinione praecepit saltem ne dis corporatis reli-

1 Verg. Aen. VI, 750 sq. 13 Phaedr. p. 247, E. sqq. 19 X. c. 30

2 in] ad *a* 5 posse *om. l* 9 feruntur *mss.*; ferantur *v Domb.* 15 constituit *sup. lin. V* 17 adque *om. V* 18 possent V^1 19 in sup. libris *l* 20 tempori *V b*; tempore *rell. v* hum. anim. *v* 22 corporibus V^1 24 uideretur qui *l* 27 auersaretur *e* 30 saltim *l*

gionis obsequio subderentur. Quid ita, nisi quia eas, quamuis nulli corpori sociatas, non credidit illis esse meliores? Quapropter, si non audebunt isti, sicut eos ausuros esse non arbitror, dis beatissimis et tamen in aeternis corporibus constitutis humanas animas anteponere: quur eis uidetur absurdum, quod fides Christiana praedicat, et primos homines ita fuisse conditos, ut, si non peccassent, nulla morte a suis corporibus soluerentur, sed pro meritis oboedientiae custoditae inmortalitate donati cum eis uiuerent in aeternum; et talia sanctos in resurrectione habituros ea ipsa, in quibus hic laborauerunt, corpora, ut nec eorum carni aliquid corruptionis uel difficultatis nec eorum beatitudini aliquid doloris et infelicitatis possit accidere?

CAPUT XX.

Quod caro sanctorum, quae nunc requiescit in spe, in meliorem reparanda sit qualitatem, quam fuit primorum hominum ante peccatum.

Proinde nunc sanctorum animae defunctorum ideo non habent grauem mortem, qua separatae sunt a corporibus suis, quia caro eorum requiescit in spe. quaslibet sine ullo iam sensu contumelias accepisse uideatur. Non enim, sicut Platoni uisum est, corpora obliuione desiderant, sed potius, quia meminerunt quid sibi ab eo sit promissum, qui neminem fallit, qui eis etiam de capillorum suorum integritate securitatem dedit, resurrectionem corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis ulterius tale sensuri desiderabiliter et patienter expectant. Si enim carnem suam non oderant, quando eam suae menti infirmitate resistentem spiritali iure cohercebant, quanto magis eam diligunt etiam ipsam spiritalem futuram! Sicut enim spiritus carni

23 Luc. 21, 18 26 Eph. 5, 29

2 societas l^1 16 spem V 19 qua] quia e 22 corporum obliuionē e^2 23 eius *rescriptum* V 24 suorum *om.* l^1 28 resistente $V^2 b e l$ cohercebant $V b e l$

seruiens non incongrue carnalis, ita caro spiritui seruiens recte appellabitur spiritalis, non quia in spiritum conuertetur, sicut nonnulli putant ex eo quod scriptum est: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale, sed quia spiritui summa et mirabili obtemperandi facilitate subdetur usque ad inplendam inmortalitatis indissolubilis securissimam uoluntatem, omni molestiae sensu, omni corruptibilitate et tarditate detracta. Non solum enim non erit tale, quale nunc est in quauis optima ualetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum, qui licet morituri non essent, nisi peccassent, alimentis tamen ut homines utebantur, nondum spiritalia, sed adhuc animalia corpora terrena gestantes. Quae licet senio non ueterescerent, ut necessitate perducerentur ad mortem (qui status eis de ligno uitae, quod in medio paradiso cum arbore uetita simul erat, mirabili Dei gratia praestabatur), tamen et alios sumebant cibos praeter unam arborem, quae fuerat interdicta, non quia ipsa erat malum, sed propter commendandum purae et simplicis oboedientiae bonum, quae magna uirtus est rationalis creaturae sub Creatore Domino constitutae. Nam ubi nullum malum tangebatur, profecto, si prohibitum tangeretur, sola inoboedientia peccabatur. Agebatur ergo aliis quae sumebant, ne animalia corpora molestiae aliquid esuriendo ac sitiendo sentirent; de ligno autem uitae propterea gustabatur, ne mors eis undecumque subreperet uel senectute confecta decursis temporum spatiis interirent; tamquam cetera essent alimento, illud sacramento; ut sic fuisse accipiatur lignum uitae in paradiso corporali, sicut in spiritali, hoc est intellegibili,

3 1. Cor. 15, 44

4 corpus *om. p* surget *V a b e;* surgit *p α f;* resurget *l v* 5 felicitate *a b* 6 inplendam *codd. excepto b, in quo* plenam; *om. v* 7 uoluntatem *mss. v;* uoluptatem *Domb.* 13 et senio *l* non *sup. lin. a* ueterescerent *mss. praeter a;* ueterascerent *v;* conueterascerent *a* 16 sumebat *V* 22 agebatur *V b l p α f Domb.;* alebantur *a e v* ne *sup. lin. V* 23 in animalia *l*

paradiso sapientia Dei, de qua scriptum est: Lignum uitae est amplectentibus eam.

CAPUT XXI.

De paradiso, in quo primi homines fuerunt, quod recte per significationem eius spiritale aliquid intellegatur, salua ueritate narrationis historicae de corporali loco.

Unde nonnulli totum ipsum paradisum, ubi primi homines parentes generis humani sanctae scripturae ueritate fuisse narrantur, ad intellegibilia referunt arboresque illas et ligna fructifera in uirtutes uitae moresque conuertunt; tamquam uisibilia et corporalia illa non fuerint, sed intellegibilium significandorum causa eo modo dicta uel scripta sint. Quasi propterea non potuerit esse paradisus corporalis, quia potest etiam spiritalis intellegi; tamquam ideo non fuerint duae mulieres, Agar et Sarra, et ex eis duo filii Abrahae, unus de ancilla, alius de libera, quia duo testamenta in eis figurata dicit apostolus; aut ideo de nulla petra Moyse percutiente aqua defluxerit, quia potest illic figurata significatione etiam Christus intellegi, eodem apostolo dicente: Petra autem erat Christus. Nemo itaque prohibet intellegere paradisum uitam beatorum, quattuor eius flumina quattuor uirtutes, prudentiam, fortitudinem, temperantiam adque iustitiam, et ligna eius omnes utiles disciplinas, et lignorum fructus mores piorum, et lignum uitae ipsam bonorum omnium matrem sapientiam, et lignum scientiae boni et mali transgressi mandati experimentum. Poenam enim peccatoribus bene utique, quoniam iuste, constituit Deus, sed non suo bono experitur homo.

17 Gal. 4, 22 sqq. 18 Exod. 17, 6; Num. 20, 11 20 1. Cor. 10, 4

4 *sqq. ut editur V;* fuerant q. r. possit significatione eius spirituale aliquid intellegi *p q v* 16 mulieris V^1 Sara *a v* ex eis *V a b e l;* ex his *p;* ex illis *α v* 17 et alius *b;* et unus *a* figur. in eis *a* 21 intellegi *a* 28 bono suo *v*

Possunt haec etiam in ecclesia intellegi, ut ea melius accipiamus tamquam prophetica indicia praecedentia futurorum; paradisum scilicet ipsam ecclesiam, sicut de illa legitur in cantico canticorum; quattuor autem paradisi flumina quattuor euangelia, ligna fructifera sanctos, fructus autem eorum opera eorum, lignum uitae sanctum sanctorum utique Christum, lignum scientiae boni et mali proprium uoluntatis arbitrium. Nec se ipso quippe homo diuina uoluntate contemta nisi perniciose uti potest, adque ita discit, quid intersit, utrum inhaereat communi omnibus bono an proprio delectetur. Se quippe amans donatur sibi, ut inde timoribus maeroribusque conpletus cantet in psalmo, si tamen mala sua sentit: Ad me ipsum turbata est anima mea; correctusque iam dicat: Fortitudinem meam ad te custodiam. Haec et si qua alia commodius dici possunt de intellegendo spiritaliter paradiso nemine prohibente dicantur, dum tamen et illius historiae ueritas fidelissima rerum gestarum narratione commendata credatur.

CAPUT XXII.

De corporibus sanctorum post resurrectionem, quae sic spiritalia erunt, ut non in spiritum caro uertatur.

Corpora ergo iustorum, quae in resurrectione futura sunt, neque ullo ligno indigebunt, quo fiat ut nullo morbo uel senectute inueterata moriantur, neque ullis aliis corporalibus alimentis, quibus esuriendi ac sitiendi qualiscumque molestia deuitetur; quoniam certo et omni modo inuiolabili munere inmortalitatis induentur, ut non nisi uelint, possibilitate, non necessitate uescantur. Quod angeli quoque uisibiliter et tractabiliter apparentes, non quia indigebant, sed quia uolebant

3 Cant. 4, 13 12 Ps. 41, 7 14 Ps. 58, 10

8 ipsum *b; om. V* 11 indę, de *eras., e* 12 a me ipso α^2 *f* 13 correptusque *a* 24 nullo m̊ (= modo) *a* 25 aliis *om. e*

et poterant, ut hominibus congruerent sui ministerii quadam humanitate, fecerunt. Neque enim in phantasmate angelos edisse credendum est, quando eos homines hospitio susceperunt, quamuis utrum angeli essent ignorantibus simili nobis indigentia uesci uiderentur. Unde est quod ait angelus in libro Tobiae: Videbatis me manducare, sed uisu uestro uidebatis; id est necessitate reficiendi corporis, sicut uos facitis, me cibum sumere putabatis. Sed si forte de angelis aliud credibilius disputari potest, certe fides Christiana de ipso Saluatore non dubitat, quod etiam post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed tamen uera, cibum ac potum cum discipulis sumsit. Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibendi talibus corporibus auferetur. Unde et spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu uiuificante subsistent.

CAPUT XXIII.

Quid intellegendum sit de corpore animali et de corpore spiritali, et qui moriantur in Adam, qui uero uiuificentur in Christo.

Nam sicut ista, quae habent animam uiuentem, nondum spiritum uiuificantem, animalia dicuntur corpora, nec tamen animae sunt, sed corpora: ita illa spiritalia uocantur corpora; absit tamen ut spiritus ea credamus futura, sed corpora carnis habitura substantiam, sed nullam tarditatem corruptionemque carnalem spiritu uiuificante passura. Tunc iam non terrenus, sed caelestis homo erit; non quia corpus, quod de

3 Gen. 18; Tob. 11, 20 6 Tob. 12, 19 12 Lc. 24

3 edidisse *V*; e//disse *l* 4 simili *V l Domb.*; cum simili *b e p*; consimili *a v*; 6 uiso l^1 6 *sq.* uis uidebatis *e* 18 et *V*; aut *p q v Domb.* moriuntur.... uiuificantur *p q v* 20 ista *V e l p*; corpora ista *a b v* 21 spiritu uiuificante *α* 24 habura V^1 subsistentiam iam, *lineolis deleta, in marg.* substantiam, *e* *post* substantiam *sequuntur in p, quae infra p. 649, 13* propterea— *usque ad lin. 17* —proderetur *leguntur*

terra factum est, non ipsum erit; sed quia dono caelesti iam tale erit, ut etiam caelo incolendo non amissa natura, sed mutata qualitate conueniat. Primus autem homo de terra terrenus in animam uiuentem factus est, non in spiritum uiuificantem, quod ei post oboedientiae meritum seruabatur. Ideo corpus eius, quod cibo ac potu egebat, ne fame adficeretur ac siti, et non inmortalitate illa absoluta adque indissolubili, sed ligno uitae a mortis necessitate prohibebatur adque in iuuentutis flore tenebatur, non spiritale, sed animale fuisse non dubium est, nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei praedicentis minantisque sententiam delinquendo conruisset et alimentis quidem etiam extra paradisum non negatis, a ligno tamen uitae prohibitus traditus esset tempori uetustatique finiendus, in ea dumtaxat uita, quam in corpore licet animali, donec spiritale oboedientiae merito fieret, posset in paradiso nisi peccasset habere perpetuam. Quapropter etiamsi mortem istam manifestam, qua fit animae a corpore separatio, intellegamus simul significatam in eo quod Deus dixerat: Qua die ederitis ex illo, morte moriemini: non ideo debet absurdum uideri, quia non eo prorsus die a corpore sunt soluti, quo cibum interdictum mortiferumque sumserunt. Eo quippe die mutata in deterius uitiataque natura adque a ligno uitae separatione iustissima mortis in eis etiam corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Propter quod apostolus non ait: Corpus quidem moriturum est propter peccatum, sed ait: Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem uita est propter iustitiam. Deinde subiunxit: Si autem spiritus eius, qui suscitauit Christum a mortuis,

3 1. Cor. 15, 47 19 Gen. 2, 17 26 Rom. 8, 11

5 post *V e l p α f;* per *a b v* 9 flore|re^{i}tenebatur *l* 10 du|bi^{t}amus *l* 11 corruisset delinq. *p* corruissent *l* 13 prohibethas traditas esset *b* traditus *om. V* et tempori *V* 17 quae *V;* qua/, m? *eraso, l* 20 die prorsus *Domb.* 25 mortuum *l* 26 sed *usque ad* peccatum *om. l* 28 uita est] uiuit *l* subiungit *v;* subiecit *a* 29 a] ex *l*

habitat in uobis: qui suscitauit Christum a mortuis uiuificabit et mortalia corpora uestra per inhabitantem spiritum eius in uobis. Tunc ergo erit corpus in spiritum uiuificantem, quod nunc est in animam uiuentem; et tamen mortuum dicit apostolus, quia iam moriendi necessitate constrictum est. Tunc autem ita erat in animam uiuentem, quamuis non in spiritum uiuificantem, ut tamen mortuum dici non recte posset, quia nisi perpetratione peccati necessitatem moriendi habere non posset. Cum uero Deus et dicendo: Adam, ubi es? mortem significauerit animae, quae facta est illo deserente, et dicendo: Terra es et in terram ibis mortem significauerit corporis, quae illi fit anima discedente: propterea de morte secunda nihil dixisse credendus est, quia occultam esse uoluit propter dispensationem testamenti noui, ubi secunda mors apertissime declaratur; ut prius ista mors prima, quae communis est omnibus, proderetur ex illo uenisse peccato, quod in uno commune factum est omnibus; mors uero secunda non utique communis est omnibus propter eos, qui secundum propositum uocati sunt, quos ante praesciuit et praedestinauit, sicut ait apostolus, conformes imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos a secunda morte per Mediatorem Dei gratia liberauit.

In corpore ergo animali primum hominem factum sic apostolus loquitur. Volens enim ab spiritali, quod in resurrectione futurum est, hoc quod nunc est animale discernere: Seminatur, inquit, in corruptione, surget in incor-

11 Gen. 3, 9; 19 19 Rom. 8, 28 sq.

6 constructum est ut tamen *(l. 8) omissis quae intercedunt b* ita erat *a e l p v*; ita *om. V f Domb.* 8 recte non *v* 8 *et* 9 possit l^1 9 cum ergo et deus discendo *b* 11 dicente *V l* 13 discernente *V* 14 occulta *e* 18 uno] illo, *in marg.* uno, *e* 20 uocati sunt sancti *p uett. edd.* quos ... praed. *om. p* 21 conformes fieri *p uett. edd.* 24 liberabit *p α* 28 *sqq.* surget *V e v*; surgit *a b p α f*; surgit l^1

ruptione; seminatur in contumelia, surget in gloria; seminatur in infirmitate, surget in uirtute; seminatur corpus animale, surget corpus spiritale. Deinde ut hoc probaret: Si est, inquit, corpus animale, est et spiritale. Et ut quid esset animale corpus ostenderet: Sic, inquit, scriptum est: Factus est primus homo in animam uiuentem. Isto igitur modo uoluit ostendere quid sit corpus animale, quamuis scriptura non dixerit de homine primo, qui est appellatus Adam, quando illi anima flatu Dei creata est: Et factus est homo in corpore animali; sed: Factus est homo in animam uiuentem. In eo ergo quod scriptum est: Factus est primus homo in animam uiuentem, uoluit apostolus intellegi corpus hominis animale. Spiritale autem quem ad modum intellegendum esset, ostendit addendo: Nouissimus Adam in spiritum uiuificantem, procul dubio Christum significans, qui iam ex mortuis ita resurrexit, ut mori deinceps omnino non possit. Denique sequitur et dicit: Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Ubi multo apertius declarauit se animale corpus insinuasse in eo quod scriptum est factum esse primum hominem in animam uiuentem, spiritale autem in eo quod ait: Nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Prius est enim animale corpus, quale habuit primus Adam, quamuis non moriturum, nisi peccasset; quale nunc habemus et nos, hactenus eius mutata uitiataque natura, quatenus in illo, postea quam peccauit, effectum est, unde haberet iam

6 Cor. I, 15, 42 sqq.; Gen. 2, 7

1 resurgit, i *m. 2 in* e *corr., l* 4 animale *usque ad* corpus *l. 5 om. e* 5 est et corpus spir. *l, et sic etiam infra 652, 16* esset] est *p* 6 et scriptum V^2 *Domb.;* et *om.* V^1 *rell. v* est scr. *p* scriptum *omisso* est, α 9 primo hom. *v* 12 In *usque ad* uiuentem *om.* l^1 14 quemammodum *V* 15 nouissimus *V a b e l p* α *f;* Nou. autem *v* [Ada]m, *pars tantum litterae* m *in corrosa membrana superest, V* 17 omnino deinceps *v* 23 spiritu uiuificante *a* 26 uitaque V^1

moriendi necessitatem; tale pro nobis etiam Christus primitus habere dignatus est, non quidem necessitate, sed potestate; postea uero spiritale, quale iam praecessit in Christo tamquam in capite nostro, secuturum est autem in membris eius ultima resurrectione mortuorum.

Adiungit deinde apostolus duorum istorum hominum euidentissimam differentiam dicens: Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni; qualis caelestis, tales et caelestes. Et quo modo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem eius, qui de caelo est. Hoc apostolus ita posuit, ut nunc quidem in nobis secundum sacramentum regenerationis fiat, sicut alibi dicit: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis; re autem ipsa tunc perficietur, cum et in nobis, quod est animale nascendo, spiritale factum fuerit resurgendo. Ut enim eius itidem uerbis utar: Spe salui facti sumus. Induimus autem imaginem terreni hominis propagatione praeuaricationis et mortis, quam nobis intulit generatio; sed induimus imaginem caelestis hominis gratia indulgentiae uitaeque perpetuae, quod nobis praestat regeneratio, non nisi per mediatorem Dei et hominum, hominem Christum Iesum; quem caelestem hominem uult intellegi, quia de caelo uenit, ut terrenae mortalitatis corpore uestiretur, quod caelesti immortalitate uestiret. Caelestes uero ideo appellat et alios, quia fiunt per gratiam membra eius, ut cum illis sit unus Christus, uelut caput et corpus. Hoc in eadem epistula euidentius ita ponit: Per hominem mors, et per hominem resur-

7 1. Cor. 15, 47 sqq. 14 Gal. 3, 27 17 Rom. 8, 24 22 1. Tim. 2, 5 28 1. Cor. 15, 21 sq.

1 tale *V e l p α;* quale *a b v* 8 caelestis *a b e l p α v; om. V Domb.* 11 etiam *e* 12 ita *om. l* 14 quodquod *V l*[1] 15 percipietur *l* 16 nascendo *sup. lin. V* 17 eius itidem] eiusdem *a b* 18 praeuar. *usque ad* generatio *om. b* 19 induimus *V a b e l p v;* inuemimus *f;* induemus *α Domb.* 22 Ies. Christ. *v*

rectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes uiuificabuntur; iam utique in corpore spiritali quod erit in spiritum uiuificantem; non quia omnes, qui in Adam moriuntur, membra erunt Christi (ex illis enim multo plures secunda in aeternum morte plectentur); sed ideo dictum est omnes adque omnes, quia, sicut nemo corpore animali nisi in Adam moritur, ita nemo corpore spiritali nisi in Christo uiuificatur. Proinde nequaquam putandum est nos in resurrectione tale corpus habituros, quale habuit homo primus ante peccatum; nec illud, quod dictum est: Qualis terrenus, tales et terreni, secundum id intellegendum, quod factum est admissione peccati. Non enim existimandum est eum prius, quam peccasset, spiritale corpus habuisse et peccati merito in animale mutatum. Ut enim hoc putetur, parum adtenduntur tanti uerba doctoris, qui ait: Si est corpus animale, est et spiritale; sic et scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam uiuentem. Numquid hoc post peccatum factum est, cum sit ista hominis prima conditio, de qua beatissimus Paulus ad corpus animale monstrandum hoc testimonium legis adsumsit?

7 animali *usque ad* corpore *om.* l^1 8 uiuificantur *l* 10 qualem *V* neque *v* 12 illud intell. est *v* ammissione *V l* 15 mutetur *V* 16 et *sup. lin. l* corpus spiritale *l* 17 sic et *V l p α f*; sicut *a b v*; sicut et *e* primus homo Adam factus est *v* primus *om.* l^1 18 est pecc. factum *p* 19 factus *f* 20 paulus *V a b e l p α f*; apostolus *v*

CAPUT XXIIII.

Qualiter accipienda sit uel illa insufflatio Dei, qua primus homo factus est in animam uiuentem, uel illa, quam Dominus fecit dicens discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum.

Unde et illud parum considerate quibusdam uisum est, in eo quod legitur: Inspirauit Deus in faciem eius spiritum uitae, et factus est homo in animam uiuentem, non tunc animam primo homini datam, sed eam, quae iam inerat, Spiritu sancto uiuificatam. Mouet enim eos, quod Dominus Iesus, postea quam resurrexit a mortuis, insufflauit dicens discipulis suis: Accipite Spiritum sanctum. Unde tale aliquid factum existimant, quale tunc factum est, quasi et hic secutus euangelista dixerit: Et facti sunt in animam uiuentem. Quod quidem si dictum esset, hoc intellegeremus, quod animarum quaedam uita sit Spiritus Dei, sine quo animae rationales mortuae deputandae sunt, quamuis earum praesentia uiuere corpora uideantur. Sed non ita factum, quando est conditus homo, satis ipsa libri uerba testantur, quae ita se habent: Et formauit Deus hominem puluerem de terra. Quod quidam planius interpretandum putantes dixerunt: Et finxit Deus hominem de limo terrae, quoniam superius dictum fuerat: Fons autem ascendebat de terra et inrigabat omnem faciem terrae; ut ex hoc limus intellegendus uideretur, umore scilicet terraque concretus. Ubi enim hoc dictum est, continuo sequitur: Et formauit Deus hominem puluerem de terra, sicut Graeci codices habent, unde in Latinam linguam scriptura

7 Gen. 2, 7 12 Io. 20, 22 23 Gen. 2, 7; 6

2 *sqq. sic V* insufflatio, in qua *p q v* 3 anima uiuente *p q* 4 disc. suis *om. p q v* 6 parum considerate, *in marg.* inc̃fiderate, *e* 9 pro *V* primo *usque ad* inerat *in marg. e* 13 existim. factum *v* 20 puluere b^2 24 irrigauit *p* superficiem *α*

ipsa conuersa est. Siue autem formauit siue finxit quis dicere uoluerit, quod Graece dicitur ἔπλασεν, ad rem nihil interest; magis tamen proprie dicitur finxit. Sed ambiguitas uisa est deuitanda eis, qui formauit dicere maluerunt, eo quod in Latina lingua illud magis obtinuit consuetudo, ut hi dicantur fingere, qui aliquid mendacio simulante conponunt. Hunc igitur formatum hominem de terrae puluere siue limo (erat enim puluis umectus) — hunc, inquam, ut expressius dicam, sicut scriptura locuta est, puluerem de terra animale corpus factum esse docet apostolus, cum animam accepit: 'Et factus est iste homo in animam uiuentem', id est, formatus iste puluis factus est in animam uiuentem.

Iam, inquiunt, habebat animam, alioquin non appellaretur homo, quoniam homo non est corpus solum uel anima sola, sed qui et anima constat et corpore. Hoc quidem uerum est, quod non totus homo, sed pars melior hominis anima est; nec totus homo corpus, sed inferior hominis pars est; sed cum est utrumque coniunctum simul, habet hominis nomen; quod tamen et singula non amittunt, etiam cum de singulis loquimur. Quis enim dicere prohibetur cottidiani quadam lege sermonis: Homo ille defunctus est et nunc in requie est uel in poenis, cum de anima sola possit hoc dici, et: Illo aut illo loco homo ille sepultus est, cum hoc nisi de solo corpore non possit intellegi? An dicturi sunt sic loqui scripturam non solere diuinam? Immo uero illa ita nobis in hoc adtestatur, ut etiam cum duo ista coniuncta sunt et uiuit homo, tamen etiam singula hominis uocabulo appellet, animam scilicet interiorem hominem, corpus autem exteriorem hominem uocans, tamquam duo sint homines, cum simul utrumque

27 2. Cor. 4, 16

1 ipsa *V e l;* ista *rell. v Domb.* 2 eplasen, *superscriptum* n *fere euanidum, V* 6 simulant et b^2 7 puluerem *V* 11 iste *om. α* 13 habebant V^1 15 et anima *V b e l α;* ex an. *a p v* constat] continetur *b* 16 pars *usque ad* sed *om.* l^1 est *om. e* 23 cum *sup. lin. V* 24 ac *b* sunt soloqui *b* 25 testatur *p* 28 autem *mss.;* uero *v*

sit homo unus. Sed intellegendum est, secundum quid dicatur homo ad imaginem Dei et homo terra adque iturus in terram. Illud enim secundum animam rationalem dicitur, qualem Deus insufflando uel, si commodius dicitur, inspirando indidit homini, id est hominis corpori; hoc autem secundum corpus, qualem hominem Deus finxit ex puluere, cui data est anima, ut fieret corpus animale, id est homo in animam uiuentem.

Quapropter in eo, quod Dominus fecit, quando insufflauit dicens: Accipite Spiritum sanctum, nimirum hoc intellegi uoluit, quod Spiritus sanctus non tantum sit Patris, uerum etiam ipsius Unigeniti Spiritus. Idem ipse est quippe Spiritus et Patris et Filii, cum quo est trinitas Pater et Filius et Spiritus sanctus, non creatura, sed Creator. Neque enim flatus ille corporeus de carnis ore procedens substantia erat Spiritus sancti adque natura, sed potius significatio, qua intellegeremus, ut dixi, Spiritum sanctum Patri esse Filioque communem, quia non sunt eis singulis singuli, sed unus amborum est. Semper autem iste Spiritus in scripturis sanctis Graeco uocabulo πνεῦμα dicitur, sicut eum et hoc loco Iesus appellauit, quando eum corporalis sui oris flatu significans discipulis dedit; et locis omnibus diuinorum eloquiorum non mihi aliter umquam nuncupatus occurrit. Hic uero, ubi legitur: Et finxit Deus hominem puluerem de terra et insufflauit siue inspirauit in faciem eius spiritum uitae, non ait Graecus πνεῦμα, quod solet dici Spiritus sanctus, sed πνοήν, quod nomen in creatura quam in Creatore frequentius legitur; unde nonnulli etiam Latini propter differentiam hoc uocabulum non spiritum, sed flatum appellare

1 si/t, n *eras.*, *V* quod *l* 10 sanctum *om. e* 12 Unigeniti ipsius *v* idemque *b* ipse est *b e l p;* est *om. V Domb.* 13 spiritus est *a v* ut patris, *recte fortasse, p* etş *V* 16 naturam *V* quaṃ *l* 20 et hoc et alio *a* iesus *V e l p α f;* dominus *a b v* 22 disc. suis *v* 23 ụmquam, um *eras.*, *V* 24 de puluerem *V* 25 et suffl. *b* 27 sed *om. l*[1]

maluerunt. Hoc enim est in Graeco etiam illo loco aput Esaiam, ubi Deus dicit: Omnem flatum ego feci, omnem animam sine dubitatione significans. Quod itaque Graece πνοὴ dicitur, nostri aliquando flatum, aliquando spiritum, aliquando inspirationem uel aspirationem, quando etiam Dei dicitur, interpretati sunt; πνεῦμα uero numquam nisi spiritum, siue hominis (de quo ait apostolus: Quis enim scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?) siue pecoris (sicut in Salomonis libro scriptum est: Quis scit si spiritus hominis ascendat sursum in caelum et spiritus pecoris descendat deorsum in terram?) siue istum corporeum, qui etiam uentus dicitur, (nam eius hoc nomen est, ubi in psalmo canitur: Ignis, grando, nix, glacies spiritus tempestatis) siue iam non creatum, sed Creatorem, sicut est de quo dicit Dominus in euangelio: Accipite Spiritum sanctum, eum corporei sui oris flatu significans, et ubi ait: Ite, baptizate [omnes] gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ubi ipsa trinitas excellentissime et euidentissime commendata est, et ubi legitur: Deus spiritus est, et aliis plurimis sacrarum litterarum locis. In his quippe omnibus testimoniis scripturarum, quantum ad Graecos adtinet, non πνοὴν uidemus scriptum esse, sed πνεῦμα; quantum autem ad Latinos, non flatum, sed spiritum. Quapropter in eo, quod scriptum est: Inspirauit, uel si magis proprie dicendum est: Insufflauit in faciem eius spiritum uitae, si Graecus non πνοήν, sicut ibi legitur, sed πνεῦμα posuisset, nec sic esset consequens, ut

2 Esai. 57, 16 7 1. Cor. 2, 11 10 Eccle. 3, 21 13 Ps. 148, 8 17 Mt. 28, 19 20 Io. 4, 24

1 est enim in gr. in illo *a* 2 Isaiam *a v* 3 pnoen V^1 *l* 5 dī *l* 9 ippecoris *l* salomone *l* libro *om. l* 10 quiscit *e l* susum $V\,l^2$ 13 canitur *V a b e l v*; cantatur *p α f* 16 sanctum *om. b* eum] nam *b* 17 flatum *b* signif. flatu *v* et *om.* V^1 omnes *om.* *V b e α* f^1 23 quantum ad graecos attinet non autem *V*

Creatorem Spiritum, qui proprie dicitur in trinitate Spiritus sanctus, intellegere cogeremur; quando quidem πνεῦμα, ut dictum est, non solum de Creatore, sed etiam de creatura dici solere manifestum est.

Sed cum dixisset, inquiunt, spiritum, non adderet uitae, nisi illum sanctum Spiritum uellet intellegi; et cum dixisset: Factus est homo in animam, non adderet uiuentem, nisi animae uitam significaret, quae illi diuinitus inpertitur dono Spiritus Dei. Cum enim uiuat anima, inquiunt, proprio suae uitae modo, quid opus erat addere uiuentem, nisi ut ea uita intellegeretur, quae illi per sanctum Spiritum datur? Hoc quid est aliud nisi diligenter pro humana suspicione contendere et scripturas sanctas neglegenter adtendere? Quid enim magnum erat non ire longius, sed in eodem ipso libro paulo superius legere: Producat terra animam uiuentem, quando animalia terrestria cuncta creata sunt? Deinde aliquantis interpositis, in eodem tamen ipso libro quid magnum erat aduertere quod scriptum est: Et omnia, quae habent spiritum uitae, et omnis, qui erat super aridam, mortuus est, cum insinuaret omnia quae uiuebant in terra perisse diluuio? Si ergo et animam uiuentem et spiritum uitae etiam in pecoribus inuenimus, sicut loqui diuina scriptura consueuit, et cum hoc quoque loco, ubi legitur: Omnia quae habent spiritum uitae, non Graecus πνεῦμα, sed πνοήν dixerit: quur non dicimus: Quid opus erat ut adderet uiuentem, cum anima nisi uiuat esse non possit? aut quid opus erat ut adderet uitae, cum dixisset spiritum? Sed intellegimus animam uiuentem et spiritum uitae scri-

15 Gen. 1, 24 18 Gen. 7, 22

1 qui *usque ad* sanctus *om. l* 5 adtenderet *b* 6 illum *mss.;* illic *v* Spiritum *om. V* Spiritum sanctum *v* 8 signaret *e* 9 Etenim cum *p* 11 sanct. spir. *V b;* spir. sanct. *a e l p v* 13 intellegenter *l* 14 erat *om. p* in *om. V* libro ipso *v* 21 periisse *v* dilubio *V* Si *om. V* 27 cum *usque ad* uitae *om. p* 28 spir. uitae et animam uiuent. *v* spirit. uitae *om. b*

pturam suo more dixisse, cum animalia, id est animata corpora, uellet intellegi, quibus inesset per animam perspicuus iste etiam corporis sensus. In hominis autem conditione obliuiscimur, quem ad modum loqui scriptura consueuerit, cum suo prorsus more locuta sit, quo insinuaret hominem etiam rationali anima accepta, quam non sicut aliarum carnium aquis et terra producentibus, sed Deo flante creatam uoluit intellegi, sic tamen factum, ut in corpore animali, quod fit anima in eo uiuente, sicut illa animalia uiueret, de quibus dixit: Producat terra animam uiuentem, et quae itidem dixit habuisse in se spiritum uitae; ubi etiam in Graeco non dixit πνεῦμα, sed πνοήν; non utique Spiritum sanctum, sed eorum animam tali exprimens nomine.

Sed enim Dei flatus, inquiunt, Dei ore exisse intellegitur, quem si animam crediderimus, consequens erit, ut eiusdem fateamur esse substantiae paremque illius sapientiae, quae dicit: Ego ex ore Altissimi prodii. Non quidem dixit sapientia ore Dei efflatam se fuisse, sed ex eius ore prodisse. Sicut autem nos possumus non de nostra natura, qua homines sumus, sed de isto aere circumfuso, quem spirando ac respirando ducimus ac reddimus, flatum facere cum sufflamus: ita omnipotens Deus non de sua natura neque subiacenti creatura, sed etiam de nihilo potuit facere flatum, quem corpori hominis inserendo inspirasse uel insufflasse conuenientissime dictus est, incorporeus incorporeum, sed inmutabilis mutabilem, quia non creatus creatum. Verum tamen ut sciant isti, qui de scripturis loqui uolunt et scripturarum locutiones non aduertunt, non hoc solum dici exire ex ore Dei, quod est aequalis

17 Eccli. 24, 3

1 dixissem *V* corp. anim. *v* 4 quemammodum *V* 5 qui *e* 7 flente V^1 10 dixit *V b l p α;* dicit *a e v* 16 paremque *V e l f v;* partemque *a b p α et sic Domb. male edoctus de codice V* 17 prodiui *v* 20 inspirando *V a b* 21 reddimus *a b e l α f;* reducimus *V, marg. e, p v* 22 neque *V b e l p α;* neque de *a v* subiacente *b l p* 23 nihil *V* 28 exore *V*

eiusdemque naturae, audiant uel legant quod Deo dicente scriptum est: Quoniam tepidus es et neque calidus neque frigidus, incipiam te reicere ex ore meo.

Nulla itaque causa est, quur apertissime loquenti resistamus apostolo, ubi ab spiritali corpore corpus animale discernens, id est ab illo in quo futuri sumus hoc in quo nunc sumus, ait: Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale; si est corpus animale, est et spiritale; sic et scriptum est: Factus est primus homo Adam in animam uiuentem, nouissimus Adam in spiritum uiuificantem. Sed non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de caelo caelestis. Qualis terrenus, tales et terreni, et qualis caelestis, tales et caelestes. Et quo modo induimus imaginem terreni, induamus et imaginem eius qui de caelo est. De quibus omnibus apostolicis uerbis superius locuti sumus. Corpus igitur animale, in quo primum hominem Adam factum esse dicit apostolus, sic erat factum, non ut mori omnino non posset, sed ut non moreretur, nisi homo peccasset. Nam illud, quod spiritu uiuificante spiritale erit et inmortale, mori omnino non poterit, sicut anima creata est inmortalis, quae licet peccato mortua perhibeatur carens quadam uita sua, hoc est dei Spiritu, quo etiam sapienter et beate uiuere poterat, tamen propria quadam, licet misera, uita sua non desinit uiuere, quia inmortalis est creata; sicut etiam desertores angeli, licet secundum quendam modum mortui sint peccando, quia fontem uitae deseruerunt, qui Deus est, quem potando

2 Apoc. 3, 16 7 Cor. 15, 44 sqq.

2 quia *p* es *om.* V^1 3 reicere *V e l p f*; eicere *b α*; euomere *a v* 7 surget *V a e l α v*; surgit *b p f* 9 sic et *V b e l p*^{1} *α*; sic est *f*; sicut *a p*^{2} *v* 12 *sq.* animale est *l* postea *mss.*; postea quod *v* 14 de caelo caelestis *a b e p α v*; caelestis *om. V l f Domb.* 15 et qualis *V a b p α*; et *om. e l v* 23 sicut et *b* 25 quod *V* 28 modum quendam *v* sunt *b*

sapienter et beate poterant uiuere, tamen non sic mori potuerunt, ut omni modo desisterent uiuere adque sentire, quoniam inmortales creati sunt; adque ita in secundam mortem post ultimum praecipitabuntur iudicium, ut nec illic uita careant, quando quidem etiam sensu, cum in doloribus futuri sunt, non carebunt. Sed homines ad Dei gratiam pertinentes, ciues sanctorum angelorum in beata uita manentium, ita spiritalibus corporibus induentur, ut neque peccent amplius neque moriantur; ea tamen inmortalitate uestiti, quae, sicut angelorum, nec peccato possit auferri; natura quidem manente carnis, sed nulla omnino carnali corruptibilitate uel tarditate remanente.

Sequitur autem quaestio necessario pertractanda et Domino Deo ueritatis adiuuante soluenda: Si libido membrorum inoboedientium ex peccato inoboedientiae in illis primis hominibus, cum illos diuina gratia deseruisset, exorta est; unde in suam nuditatem oculos aperuerunt, id est eam curiosius aduerterunt, et quia inpudens motus uoluntatis arbitrio resistebat, pudenda texerunt: quo modo essent filios propagaturi, si, ut creati fuerant, sine praeuaricatione mansissent. Sed quia et liber iste claudendus est nec tanta quaestio in sermonis angustias coartanda, in eum qui sequitur commodiore dispositione differtur.

1 beateque *v* 2 omni modo *V e l p Domb.;* omnino *a b α v* 6 sint *l* 10 posset *V e* 16 *uerbis* exorta est *desinit quaternio in cod. p; sequens quaternio sat rudi manu scriptus continet integrum libri XIII c. 24 et libri XIIII partem usque ad uerbo* —mala patiantur *c. 15 II p. 37, 30 Domb.*[2] 17 in sua nuditate *V* 19 pregnati *b* 20 ut si *V;* sicut *b l p* si sine *l* 21 tanta, *in marg.* ista, *e;* tanta ista *α f* 22 angustia *a b* 23 dispositione V^1 *b e l p α Domb.;* disputatione V^2 *a f v* differtur *V a e l Domb. (falso adnotauit Dübnerus codicem e praebere* differatur); differatur *p v;* differre uoluimus *b* AURELI AUGUSTINI | CONTRA PAGANOS | DE CIVITATE DEI | LIBER XIII. EXP. | INCIP. LIB. XIIII. *V* *'In cod. f post* differtur *est subscriptio:* emendauit dominus uigilius' *Domb.*